This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07030121 7

LENOX LIBRARY

Duyckinck Collection.
Presented in 1878.

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.

DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue Richelieu, n° 47 *bis*.

BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.

Jul. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

PUBLII TERENTII AFRI

COMOEDIAE

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

PUBLII TERENTII AFRI

COMŒDIAE

EX

OPTIMARUM EDITIONUM

TEXTU RECENSITÆ

QUAS ADNOTATIONE PERPETUA, VARIIS DISQUISITIONIBUS ET INDICE RERUM LOCUPLETISSIMO ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUME POSTERIUS

PARS PRIMA

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVIII

LENOX LIBRARY
NEW YORK

PUBLII TERENTII AFRI

ADELPHI.

ADELPHI TERENTII.*

ACTA[1] Ludis Funebribus[2] L. Æmilii Pauli[3], quos fecere Q. Fabius Maximus et P. Cornelius Africanus[4].

* ADELPHI. Hæc fabula in Mss. plurimis vocatur ADELPHOE. Quod itidem ex libb. antiquis laudat Mur. sicut dicebatur, animadvertente Dacieria, *oloe* pro *illi*, *Clerumenoe* pro *Clerumenoi*. — *Adelph. Terentii*. Sic pronuntiatam dicunt hanc fabulam, *Adelph. Terentii*, non *Terentii Adelph.* Quod adhuc magis de fabulæ nomine poeta, quam de poetæ nomine fabula commendabatur. *Donat.*

1. *Acta*, scilicet comœdia *Adelphi*. — In præfatione sua ad hanc comœdiam adnotat Donatus : « Hæc fabula palliata, ut ipsum indicat nomen, ex plurali numero, quum sit una : et masculino genere, quum sit comœdia : ex græca lingua, quum sit latina, censetur. Potuit eam Terentius FRATRES dicere : sed et græci nominis εὐφωνίαν perderet : et præterea togata videretur; ad summam, non statim intelligeretur Menandri esse : quod Terentius in primis lectorem scire cupit, minus existumans laudis, proprias scribere, quam Græcas transferre. »

2. *Ludis funebribus*. Quas hucusque vidimus Terentii fabulæ, nonnisi *Megalensibus ludis* actæ inscribebantur. Sed ludi erant præterea tres alii, uti monet Lindenbrog. Apollinares, Apollini consecrati; Plebeii, qui pro salute plebis edebantur; *funebres* (de quibus hic agitur), ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene institueretur. Sic Homerus memorat celebratos ab Achille in funere Patrocli; et Virgilius refert ab Ænea celebratos in honorem Anchisæ parentis.

3. *L. Æmilii Pauli*. Plures omittunt *L*, aut legunt *Paulli*. Hic *L. Æmilius Paulus* Macedonicus ille dicitur esse, Africani minoris pater, et Macedonici nomine decoratus, quia Persea Macedoniæ regem devicit. Diem obiit ann. U. C. 593, ad id redactus inopiæ, ut necesse fuerit ipsius hæredi olum publicari, unde conjugi dos institueretur.

4. *Quos fecere Q. Fab. Maxim. et P. Corn. African.* Muretus commemorat antiquitus legi, *Q. Fabio Maximo, P. Corn. Africano ædilibus curulibus*. Quæ tamen nomina deleta sunt inde jam ab ætate Donati;

Egerunt[5] L. Atilius Prænestinus et Minutius[6] Prothimus. Modos fecit Flaccus Claudii [filius][7] tibiis Serranis[8]....

et restituit felicissime nostram hanc lectionem Muretus ex veteri codice manuscripto, quem Venetiis viderat. Felicissime, inquam, si quidem non ædilibus, ut adnotat Dacieria, committebatur ludorum funebrium cura, sed mortui natis aut parentibus; insuper, pergit doctissima mulier, constat P. Corn. Scipionem Africanum, Pauli Æmilii filium, nunquam ædilem fuisse; qui nempe *quum ædilitatem peteret, consul ante annos ultro factus est* (Aurel. Victor.), et hoc imo ei contigit duodecimo tantum anno post patris mortem, quum ipse sextum et vigesimum ætatis annum ageret. Hi autem duo, de quibus agitur, in alienas familias per adoptionem transivere. Priori ergo additum est Q. Fabii Maximi nomen, quia Fabius Maximus eum adoptaverat; posterior autem P. Corn. Scip. Afric. propterea quod a filio Scipionis Africani fuerat adoptatus. — Nonnulli tamen freti quibusdam locis, tum Vellei. II, 10; tum Plinii, XXXIII, 11, putant ambos Pauli nepotes fuisse, non filios; uti refert Livius, lib. XLIV, cap. 44, 45.

5. *Egerunt.* In ea actores principes fuere; vel eam locaverunt gregi suo agendam (Vid. Andriæ titul. vol. I.)

6. *Et Minut. Proth.* Quidam delent *et*. Legit Bothius *Prothymus*.

7. *Claud.* [*filius*]. De hac interpolatione vide quid dixerimus ad titulum Heautontimorumeni, n. 6 (vol. I, pag. 303.)

8. *Tibiis Serranis.* Alii, *Tib. Serranis*. Proprium genus est *Serranarum* tibiarum, quæ inde appellantur, quoniam iis saltatores et proferre et referre pedem continuo juberentur, non secus atque sectores, qui *serra* adacta partiri ligna conantur. Siquidem Pompeius ait, *serram* id prælium dici, quo frequenter acies accedere et recedere soleret. *West.* — Magis placet cujusdam Guelferbyt. codic. schol. hoc, in quo cæterum *Sarranis* legitur: « *Sarra* piscis est de cujus ossibus tales fiebant tibiæ. » Et contendunt demum alii sic dictas a *Sarra* urbe, quæ Tyrus est. Confer Prolegomena, initio nostri primi voluminis. — Quum didascaliam hanc non modo corruptam esse, sed et mutilam arbitretur Dacieria, legendum esse censet, *acta primum tibiis Lydiis, deinde tibiis Serranis.* Nam *tibiás Lydias*, i. e. duas dextras, edidisse sonum gravem et lugubrem, qui adeo conveniret ludis funebribus; post primam vero editionem (*après la première représentation*), tibiis *Sarranis*, seu sinistris, quæ sonum acutum minusque tristem ederent, eamdem repetitam esse fabulam. Sane hæc emendatio magnam veri speciem accipit ex Donati auctoritate, scribentis in præfatione sua ad hanc fabulam: « Modulata est autem (fabula) tibiis dextris, id est Lydiis ob seriam gravitatem, etc... Sæpe tamen mutatis per scenam modis, cantica mutavit, quod significat titulus scenæ habens subjectas personis literas M. M. C. » *Zeun.*

Facta e Græca Menandru[9], L. Anicio, M. Cornelio Consulibus [10].

9. *Facta e Græca Menand.* Sic Nos cum Bent. Zeun. Both. Perl. Legunt alii *facta græca M.* Delph. pro his legit *græca est M.* — *Menandru* pro *Menandri*, græco genitivo, ut jam animadvertimus. Hæc intellige : « Latine facta ex græca fabula Menandri. »

10. *L. Anicio, M. Corn. Cons.* Delph. *Edita L. Anicio Gallo et M. Cornelio Cethego.* Cadit iste consulatus in annum ab U. C. 595. — Inscriptio sic Goveano videtur legenda : *Adelphi Terentii. Acta ludis funebribus L. Æmil. Paul. Q. Fab. Maxim. P. Cornelio Africano ædilibus Curulibus. Egere L. Attilius Prænestinus, L. Numidius Posthumus. Modos fecit Clau. Flaccus, Clau. filius, tibiis dextris. Facta latina est e Græca Menandru, L. Anicio Gallo, M. Cornelio Cethego coss.* Sic Br. legit : *Incipit Adelphe acta ludis funebribus Q. Fabii Maximi, P. Cornel. Afric. Æmilii Pauli ædilium Curul. quos fecere L. Attil. Prænestin. Minuc. Prothim. Modos fecit Flaccus Claudi tibiis Sarranis. Facta Græca Menandri, Anicio, M. Cornelio consulibus.*

DRAMATIS PERSONÆ.

MICIO, senex; frater Demeæ, pater adoptivus Æschini. Nomen græcum, a Μικίων.

DEMEA, senex, frater Micionis, pater Æschini et Ctesiphonis. Ἀπὸ τοῦ δήμου, *a plebe, quasi plebeius.* — Vel, (ut derivat Muret.) *homo antiquis moribus.*

SANNIO. Leno. A Σάννος, *fatuus.* Quod in hac comœdia populo risui esset. Vel potius ἀπὸ τοῦ σαννίου, *ab hasta*, qua valere a jocantibus dicebatur.

ÆSCHINUS, adolescens; filius Demeæ, sed adoptatus a patruo Micione. Ἀπὸ του αἴσχους, *a dedecore;* quod flagitiis esset infamis.

SYRUS, servus Æschini. A patria, gentile nomen.

CTESIPHO, adolescens, filius Demeæ, frater Æschini. Ἀπὸ τῆς κτήσεως, *prædio*, et φωτὸς, *viro*, id est *agricola.* — Vel, τὸ τῆς κτήσεως φῶς, patrimonii splendor.

SOSTRATA, mater Pamphilæ. A σώζειν, quod est *servare.*

CANTHARA, nutrix Pamphilæ, ἀπὸ τοῦ κανθάρου, a *poculo;* quod nutrix puero præberet potum.

GETA, servus Sostratæ. Gentile nomen, a *Getis.*

HEGIO, senex; propinquus Pamphilæ. Ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσθαι, *ducere*, quia curam Sostratæ ejusque familiæ habet.

DROMO, servus Micionis. Ἀπὸ δρόμου, *cursus.*

PARMENO, servus Æschini. Παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων, *manens* et adstans domino.

PERSONÆ MUTÆ.

CALLIDIA, serva ab Æschino rapta ἄπο τοῦ καλλοῦς, propter formæ pulchritudinem.

PAMPHILA, nurus; filia Sostratæ, amica Æschini. Quasi πᾶσι φίλη, omnibus cara.

STORAX, servus Micionis. Græce στόραξ est arboris lacryma odorata. Et ab odore ita servus nominatur.

C. SULPITII APOLLINARIS

PERIOCHA

IN

TERENTII ADELPHOS.

Duos quum haberet Demea adolescentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Æschinum,
Sed Ctesiphonem retinet : hunc, Citharistriæ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Æschinus; famam rei[1]
Amorisque[2] in se[3] transferebat : denique
Fidicinam lenoni eripit[4]. Vitiaverat
Idem Æschinus civem Atticam pauperculam;
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea jurgare, graviter ferre : mox tamen,
Ut veritas patefacta est, ducit Æschinus
Vitiatam, potitur Ctesipho Citharistriam[5].

1. Pro *rei* al. *quoque;* al. *famamque.*
2. Alii *Amoremque.*
3. Al. *in sese.*
4. Al. *eripuit.*
5. Al. libb. add. *Exorato suo patre duro Demea.* Hic vero verus superfluit, et summam rei describendam, et numerum duodecim linearum Apollinari consuetum.

PUBLII TERENTII AFRI

ADELPHI.

PROLOGUS.*

POSTQUAM Poeta sensit, scripturam suam
Ab iniquis observari, et adversarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus;
Indicio de se ipse erit. Vos eritis judices,
Laudin' an vitio duci factum id oporteat.
Synapothnescontes Diphili comœdia 'st.

1. *Postquam*, pro *quoniam*.—*Poeta*, Terentius. — *Scripturam suam*, scriptas a se comœdias.

2. *Ab iniquis observari.* Both. *Iniquos observare.* — *Ab iniquis observari.* Curiose observari, et notari ab improbis hominibus atque adversariis, obtrectandi gratia. — *Iniquis*, idem sonat ac *inimicis*, ut Æneid. VIII, 292: «Fatis Junonis iniquæ.» — *Adversarios.* Scilic. Luscium Lanuvinum, aliosque. Vid. Andr. et Heautontim. in Prolog.

3. *Rapere in pejorem partem.* Both. *Pej. rap. in partem.* — *Rapere in pejorem partem.* Vitio dare, vituperare. Similiter Cic. Fam. X, 33: « Pium meum consilium *raperent in contrariam partem* obtrectatores mei.» *Perl.* — *Quam acturi sum.* Eam fabulam, quam nos, comœdi, sumus exhibituri.

4. *Ind. de se ipse erit.* Variat ordo, *de se ipse ind. er.* vel, *ipse de se ind. er.* Pro *ipse* Barth. malebat *ipsa*, referend. ad *scripturam.* Legit Both. *Ind. de sese ipse erit erit, vos j.* — *Indicio de se ipse erit.* Ipsemet poeta indicabit quid a se factum fuerit; causam suam ad vos deferet; erit ipse sui index et delator.—*Indicat*, is qui de se volens aliquid, et de aliis etiam prodit; *Confitetur*, qui de se tantum, et qui invitus. *Donat.*

5. *Factum id.* Al. *id fact.* Et etiam *id* abest a quibusdam.—*Laudin' an vitio*, etc. Similiter Andr. Prolog. fin. *spectandæ an exigendæ sint.* Perl. — *Id*, quod fecit.

6. *Synapothn.* Hæc exhibet græce

Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Græca adolescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula; eum Plautus locum
Reliquit integrum; eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam. Pernoscite,

edit. Valp.—*Synapothnescont. comœdia' st.* Potuit cum plurali *synapothnescontes* singularem adhibere numerum, quia hic nec numeri, nec genera respicienda sunt, sed contra sententia resque ipsa. — *Diphili.* Hic poeta κωμικώτατος καὶ γνωμικώτατος fuisse dicitur tempore Menandri. Qui ita dictus videtur per crasin, pro Διόφιλος. *West.* Mentio ejus fit, ut Menandri ac Philemonis æqualis, Velleio, I, 17, et Strabon. qui hunc Sinopensem fuisse affirmat.

7. *Eam commorientes*, etc. Plautus eam latine composuit, et *Commorientes* nominavit. — Quale autem fuerit et Συναποθνησκόντων et *Commorientium* argumentum, non constat; quum neutra ex duobus comœdiis supersit. Hanc Plauti esse negat Varro comœdiam, et asserit auctorem esse M. Aquilium. Sed potior est fides Terentii. Inter eas quidem, quæ supersunt, Plauti fabulas illa non est. Potest ergo credi *Commorientes*, fratres significari una die eademque hora morte suppressos. Et etiam non absurde admitteretur, hic agi de amicorum quodam genere, *quorum* (ut ait Cæs. Bell. Gall. III, 22) *hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dedideriut: si quid iis per vim accidat, aut eumdem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant.* Et idem eos dicit *soldurios* appellari. Cf. etiam Athenæum, lib. VI.

8. *Eripit.* Sic in Mss. Fa. Par. et editt. probatiss. In aliis et præsert. Z. *eripuit.* — *In Græca.* In fabula a Græco Diphilo scripta. — *Adolesc. est.* i. e. inducitur.

9. Br. distinguit *meretricem. In prim. fabula, eum*, etc. Abest *eum* a Guelf. 2. — *In prima fabula.* I. e. in prima parte fabulæ; ut Virgil. Æneid. IX, 244: « Vidimus obscuris *primam* sub vallibus urbem. »

10. *Eum h. loc.* Abest *eum* a Mark. sed in Bœnd. additum secunda manu. Guy. locum hunc sollicitat, legens: *Hic vero sumpsit sibi.* — *Hic.* Ms. Lind. *hinc.* — *Integrum*, intactum. — *Hic*, Terentius. — *Eum locum sumpsit sibi in Adelphos.* Transtulit in suam comœdiam Adelphos inscriptam, quem latine verteret. — Adelphi igitur fabula est a Menandro tota sumpta, præter istum Diphili locum. *Juvenc.*

11. *Extulit.* Transtulit et latinitate sua donavit. *Farn.* Mire autem non dixit *transtulit*, sed *extulit;* ut ornasse græca videatur latino stylo. *Donat.*

12. *Eam.* Eugr. *eamdem.* — Versum hunc et duos qui sequuntur spurios vocat Guyetus et rejicit.— *Eam.* Scilic. Adelphos. — *Novam.* Dicit *novam*, quia *veterem* græcam esse intelligimus.

Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui præteritus negligentia 'st.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere,
Quod illi maledictum vehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, quum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usu 'st sine superbia.

13. *Furtumne factum existumetis.* An putetis Terentium furti vitio accusandum.—*An locum reprehensum.* Resumptum, de integro tractatum a poeta nostro locum, quem Plautus neglectum omiserat. *Farn.*

14. *Qui præteritus negligentia est.* In bonam partem sumatur hic vox *negligentia*, sicut in Andr. 20, « Quorum æmulari exoptat *negligentiam.* » — Necesse est, si quis hæc bene intellecta voluerit, sibi revocet in memoriam, hanc fuisse consuetudinem poetis latinis, ut crimini non imputarent aliquid de græco transferre in latinum: verum, ut adnotat Eugraph. illud esse criminis, id dicere, quod jam a latino fuisset expressum.

15. *Nam quod isti dicunt.* Intellige, *ut veniam ad illud quod*, etc. Habet *nam* incipiendi vim, ut Plaut. Mil. I, 1, 5, « *Nam ego*, hanc machæram meam dico. » *Don.* — *Homines nobiles.* Scipionem, Lælium, Furium Publium, *Sulpitium Gallum* et alios; de quibus cf. ad vitam Terentii, in primo volumine; et ad dissertationem, pag. xxx, et præsertim, pag. xxxiv.

16. *Eum adjutare, assidueque una*, etc. Non sic dicit adversarius; verum hic oratorie crimen non tangit. *Donat.*

17. *Esse.* Omittit Erasm. — *Maledictum vehemens.* Grave vituperium.

18. *Eam laudem.* Dicere *id laudem*, barbare esset; etsi *eam* spectat ad *quod*, vs. 17. Exemplum est de multis. Sallust. Catilin. II: « Idem velle atque idem nolle, *ea* demum firma amicitia est. » *Perl.* — *Quum illis placet*, etc. Modeste et de industria ita loquitur, quasi vellet dicere: « Quum ad familiaritatem eorum admittitur; quum talium virorum judicio in recensendis fabulis suis utitur. » *Bœcl.*

19. *Vobis.* Quidam vetust. codices legunt *nobis;* quasi sermo de grege histrionum. — *Vobis universis et populo.* Et vobis, quotquot hic estis, et universo populo.

20, 21. *Usu'st.* Both. omittit *est.* — *Quorum opera . . . Suo quisque tempore usu'st sine superbia.* Quorum benevolentiam expertus est quisque civium, utcumque cui opus erat opera illorum, sine aliqua eorum superbia. — *In bello, in otio, in negotio.* Hæc singula singulis tribuuntur. Donatus τὸ *in bello* ad Scipionem Africanum, *in otio* ad Furium

Dehinc ne exspectetis argumentum fabulæ.
Senes qui primi venient, hi partem aperient,
In agendo partem ostendent. Facite æquanimitas
Poetæ ad scribendum augeat industriam.

Publium, *in negotio*, ad Lælium Sapientem refert. Eugraphius in primo nihil mutat; *in otio* ad Lælium, *in negotio* ad quemdam Philum, vel Servilium commodat. — Illustres autem illi homines ostenduntur et belli et pacis artium periti, necnon in officiis præstandis exprompti. Posset etiam accipi *negotium* de gubernanda republica, *otium* contra. Cf. Cic. Offic. III, 1, 2; ibique § 4. *Perl.*

22. *Dehinc.* Transeundi particula. Eun. 14. — *Ne exspect. argum. fab.* Itid. Plaut. Trin. Prol. 16; unde sumpsit hos duos versus Terentius. *Perl.* — *Argumentum fabulæ.* In quo enarrando alias Prologus versabatur. *Bip.*

23. *Hi partem aperient.* Mss. plurimi, *eam part. ap.* Bent. hic et in versu sequenti reponit *partim.* — *Senes qui venient*, etc. Denotantur hujus fabulæ senes, Micio et Demea, quos videmus in prima et secunda scena *primos venire.* Proinde, iidem *partem aperiunt*, priorem fabulæ, h. e. rem quasi prælibatam exponunt; *partem* alteram *in agendo* ostendunt, ita ut ante oculos actam rem videamus. *Perl.*

24. *Æquanimitas.* Favor et propitius animus. *Don.*

25. *Facite æquanimitas.* Don. dictionem *vestra*, Bentl. integrum versum deesse putant, quem refictum hic posterior interponit ita : *Bonitasque vestra adjutrix nostræ industriæ.* — Perlet. *Facile*, per errorem, ut videtur; quamvis id repetat in notis. — *Poetæ ad scribendum aug.* etc. Junge *Poetæ industriam.* — Ovid. Pont. III, IV, 35 : « Excitat auditor studium. » *Lind.*

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

MICIO.*

STORAX! . . . non rediit hac nocte a cœna Æschinus,
Neque servulorum quisquam, qui advorsum ierant.
Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est,
Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat
Irata, quam illa quæ parentes propitii.

* *Micio.* Alii scribunt *Mitio*, quod derivant a *mitis*.

26. *Storax!* Sublata voce Micio Storacem e servulis unum vocat; quo non respondente, intelligit nondum rediisse filium: Storacem enim huic ad cœnam eunti comitem dederat, et alios postea servos emiserat, qui obviam irent, et eum reducerent. Ergo se colligit, et secum quasi dicit ea quæ sequuntur: « *Non rediit*, etc. » — *A cœna*, a convivio cui adfuit cum sodalibus suis; vid. scen. seq. narrantem Demeam quomodo sese hæc cœna habuerit.

27. *Advorsum*, obviam. Sic dicitur de servis, qui veniunt, ut dominos statuto tempore et loco domum ducant; unde ipsi *adversitores* appellantur, ut indicat Donatus.

28. *Dicunt.* C. G. m. sup. scrip. *vulgo.* — *Profecto hoc vere dicunt.* Junge *profecto*, cum *vere*; et *dicunt* intellige, pro *vulgo dicitur.*—*Si absis uspiam; aut ubi si cesses.* « Si absis, in quemdam locum profectus; aut si in quodam loco nimium diu moreris. » Illud ergo nobis inter hæc duo videtur interesse, quod in priori casu nesciatur ubi verseris, in posteriori autem, nesciatur quando sis rediturus.

29. *Aut ubi.* Donat. Br. legunt *ibi.* — *Evenire ea.* Edit. anonym. addit *tibi*; quæ videtur Perleto esse glossa. — *Satius.* Minus damnosum.

30. *In te*, scilic. absentem, aut cessantem.

31. *Par. propitii.* Ien. cod. addit *declarant*; subdititium videtur.

Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, atque animo obsequi,
Et tibi bene esse soli, sibi quum sit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito!
Et quibus nunc sollicitor rebus! Ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut præfregerit
Aliquid. Vah! Quemquamne hominem in animum instituere, aut

Perl. — *Parentes propitii.* Pii, filiorum studiosi; et subaudi, *cogitant evenire tibi.*

32. *Si cesses.* Quare non, *si absis?* An quia justius cessanti quam absenti succensemus? An quia irata uxor, si cesses? *Don.* — *Aut te amare, aut tete amari.* « Aut alius mulieris amore detineri te, aut aliam amore tui captam esse. » Phæd. II, 11, 1, *ament, amentur.* — Minus peccati est amori proprio cedere, quam alieno amori obsequi, nullo impellente. Ergo αὔξησις est. *Donat.*

33. *Aut tete amari.* Al. *aut te am.* — *Atque animo obs.* Valp. *aut animo obs.* — *Animo obsequi*, ut dicitur, *genio indulgere*, i. e. voluptatibus se dedere.

34. *Sibi quum sit male.* Plures alii, *quum sibi sit male.* — *Tibi bene esse.* Omnia tibi deliciose, feliciter succedere.

35. *Ego.* Plus est quod dixit *Ego*, quam si diceret *Pater.* Donat. — *Quia non rediit filius*, etc., sqq. His quinque versibus, singulari ἐνεργείᾳ διανοποιεῖ curam et affectum patris. « Neque enim patrius consistere mentem Passus amor. » Usque ad summum extulit τὸ πάθος illa inopinabili sententia : « Quemquamne hominem in animo instituere, aut Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi? » *Bœcler.* — *Filius* adoptivus, nempe Æschinus. — *Quæ cogito! et quibus*, etc. Hoc sic pronuntiandum est, ut videatur horrere cogitationem suam.

36. *Et quib.* a tribus Bent. *Et* abest; item a Guelf. 2. — *Ne aut ille alserit.* Nove prorsus, et ingeniose restituit locum hunc, depravatum, ut putat, Bothius, legendo *ne aut illiserit.* — *Quibus rebus.* Hoc est, quam malis; non, ut uxor, quam bonis. — *Ne aut ille alserit.* Algore diriguerit. — Fatemur equidem fere nos Bothio assentire legenti *ne illiserit*, quod quidem rectius primo conspectu videtur. Sed tamen, ut animadvertit Donat. optime sic depingitur pater nimium amans, « qui hæc in juvene pertimescit, quæ circa infantulos caveri solent; » et idem ille patris metus occurrit apud Plautum, in Milite, III, 1, 124 : « Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis : Censerem emori, cecidissetne ebrius aut de equo uspiam; Metuerem, nec ubi *defregisset* crura, aut cervices sibi. »

37. *Præfregerit.* Sic Fa. at Erasm. *perfregerit.* Valp. *perfr.*

38. *In animum instituere.* Ms.

Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre. Is adeo
Dissimilis studio est, jam inde ab adolescentia.
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus sum, et quod fortunatum isti putant,

Lips. et ed. prim. habent *instituere in animo.* — *Aliquid.* Membrum aliquod. — *Vah! quemquamne hominem in animum instituere.* Hicce infinitivus nihil habet a quo pendeat; sed sic Veteres infinitivo uti solent in admirationibus et indignationibus, subintelligentes, *mirandum est, est credibile.* Ruhnkhen. — *In anim. instit. aut parare.* Particula *aut* disjunctiva, indicat duas res hic agi diversas; scilicet *in animum instituit,* qui sedem amicissimo cuidam suo servat in pectore; *parat* autem qui emit, ut ita dicam, et sumit aliunde; quum in adoptione, de qua hic sermo, genus quoddam emptionis intercederet.

39. *Parare.* Guyetus in scholiis Mss. *Parere,* id est τίκτειν defendit. Dat Bothius : *quam ipsus sibi! Ac Non ex me natus, fratris hic est. Adeo is est Dissimilis studio : nam inde ab adolescentia Ego,* etc.

40. *Atqui.* L. Bemb. *atque.* — *Hic non natus est.* In aliis *hic natus non est.* — *Atqui.* Hæc particula objectioni inservit. Ex me non natus est, non meus est. Quasi dicat : ex me non est, et sic afficior; quid paterer, si genuissem? *Donat.* — *Sed ex fratre. Is adeo,* etc. Argute hæc finguntur, nam per conjunctionem transitum facit ad narrationem. — *Is,* Demea frater. — *Adeo,* aut abundat, aut *nimium* significat; ut in Eunuch, 204. « Adolescentem *adeo* nobilem. » *Donat.* (Vid. vol. I, pag. 253.)

41. *Dissimilis stud.* Sic Veterr. cod. Bent. In aliis Mss et edd. *Dissimili.* Guy. hunc versum, ut sæpe alios, delevit immerito. — *Jam inde ab adolesc.* Ien. colloc. *jam ab adolesc.* Cacophonia. *Perl.* — *Dissimilis studio.* Dissimilis in instituenda vita.

42. *Vitam urbanam atque otium.* Vide an legendum sit, *vitam urbanumque otium.* Cic. Ep. Fam XII, 1 : « Ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano. » — *Hanc clementem vitam urbanam.* Hanc comem elegi vitam, urbanam atque tranquillam. *Clemens* enim hic idem sonat quod *placidus, quietus.* Sic Plaut. Stich. IV, 1. « Hodiene exoneramus navem, frater. Pa. *Clementer* volo. » Minus autem probaremus Donatum explicantem *vita clemens,* quæ clementes facit. — *Otium.* Subaudi hic etiam *urbanum.*

43. *Quod fortun.*, etc. Guelf. 2, *quo . . . fortunatum.* Guyetus conjecit *infortunatum;* inepte, ut putat Bip. edit. — *Et quod fortunatum isti putant, uxorem nunq.*, etc. Et fui semper cælebs, quod quidem isti homines, qui habitant mecum in urbe, putant esse felicissimum. — Ea est textus ambiguitas quæ plures ad id impulit ut intelligerent : « Et nunquam duxi uxorem, quamvis isti (per contemptum quasi dictum)

Uxorem nunquam habui. Ille contra hæc omnia : Ruri agere vitam; semper parce ac duriter 45

quamvis homines alii judicent hoc felicissimum. » — Sed *isti* non concinnius explicari potest quam si intelligatur de urbanis incolis, quia congruit sane vox illa, cum *vitam urbanam*, versus præcedentis. Insuper non decuit Micionem fateri mancam sibi in re aliqua, (ut hic esset vita cælebs) fuisse felicitatem; conditionem enim suam velut omnino placidam et sincere tranquillam depingit, dum dissimilem prorsus fratris sui statum subinde enarrat. — Cæterum affatim apud scriptores suppetunt loca (si modo in talibus scriptoribus vox debeat esse decretoria), quibus probare gaudent *fortunatum semper visum fuisse non ducere uxorem*. Menand. ὦ μακάριόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω. Idem ap Stob. Τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παίδων, ὦ φίλε, Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει. Et illud alterum : Ὅστις γενόμενος βούλεται ζῆν ἡδέως, Ἑτέρων γαμούντων, αὐτὸς ἀπεχέσθω γάμων. Id quod plane ad mentionem Micionis facit. — Cic. Att. XIV, 13 : « A ducenda uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget quidquam esse jucundius. » Horat. Epist. I, 1, 88 : « Melius nil cælibe vita. » Et Donat. adnotat, « Romani *cælibem* quasi *cælitem* dicunt. » Apud Nostrates quid de conjugio sentierint lepidissime et forsam amarius expresserunt La Fontaine, *Belphegor*, et alibi, in Fabell. lib. XI, fable III, *le Fermier, le Chien et le Renard :*

Toi donc qui que tu sois, *ô père de famille*,
(Et je ne t'ai jamais envié *ce bonheur*);

Et præsertim Boileau, *Sat. des Femmes*, ubi citat, quam multi materiem illam tractaverint:

J'ai trop bien profité pour n'être pas instruit
A quels discours malins *le mariage* expose :
Je sais que c'est un texte où chacun fait sa glose;
Que de maris trompés tout rit dans l'univers,
Epigrammes, chansons, rondeaux, fables en vers,
Satire, *comédie*; et, sur cette matière,
J'ai vu tout ce qu'ont fait La Fontaine et Molière;
J'ai lu tout ce qu'ont dit Villon et Saint-Gelais,
Arioste, Marot, Bocace, Rabélais,
Et tous ces vieux recueils de satires naïves,
Des malices du sexe immortelles archives.

— Quod autem melius litem dirimere debet, offert ipse Terentius hæc, infra vs. 871 : « Duxi uxorem : quam ibi miseriam vidi! » — Sententiam nostram comprobat Donati auctoritas; sed dormitare hunc dicere ausim, quum *istis* censet dici de Romanis; quasi in fabula omnino Græca, ut est Adelphorum, ageretur de Romanis.

44. Distinguunt alii post *uxorem*, perperam; nec minus commode quidam post *contra*. — *Ille contra hæc omnia*. Subaud. *fecit*. Nempe, uxorem ducit, rus coluit.

45. *Ruri agere vitam; semper*, etc. Edit. Anonym. *R. a. semper vitam*. Both. *R. a. vitam semper, parce*, etc. — *Ruri agere vitam*. Suffecerat dixisse *contra hæc omnia*, si brevitate uti voluisset; sed subjunxit fratris descriptionem, ut verbis ipsis malam vitæ conditionem ostenderet. *Donat.* (*Ex Emend. Zeun.*)

Se habere. Uxorem duxit : nati filii
Duo; inde ego hunc majorem adoptavi mihi,
Eduxi a parvulo; habui, amavi pro meo.
In eo me oblecto; solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo : 50
Do, prætermitto; non necesse habeo omnia
Pro meo jure agere. Postremo alii clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,

46. *Uxorem duxit.* Recte *duxit*, non *Ducere;* semel enim hoc fecit Demea. *Don.* — Et nempe infinitivo utuntur, nonnisi quum rem sæpius iterari volunt innuere.

47. *Duo.* Guelf. 2, *Duo sunt.* — *Inde*, ex quibus. — *Hunc*, eum scilicet quem *ego* adoptavi. — *Adopt. mihi.* Abundat quidem *mihi*, ut indicat Donatus, si ad sensum respicias; minime vero si ad sermonis leporem et amorem.

48. *Eduxi a parvulo*, etc. Nota frequentationem sententiarum : *adoptavi mihi* (non sine affectu), *eduxi a parvulo* (labore et sollicitudine haud exigua), *habui, amavi pro meo* (animo vere patrio), *in eo me oblecto* (ἐμπαθῶς loquitur), *solum id est carum mihi*, αὐξητικῶς, ne quid superesse possit, ad dilectionis vim ostendendam. *Bœcler.* — *Eduxi*, vetus, pro *educavi.* — *Habui*, credidi, duxi, existimavi, ut Andr. 811, « semper ejus dicta est hæc atque habita soror. » Ergo *pro meo* subaudiendum est bis : et *habui pro meo* et *amavi pro meo.* Donat.

49. *In eo me oblecto;* quasi *in ea re;* et nove dictum pro, *eo me oblecto.* — *Id*, sensus idem ac si dixisset, *is adolescens.* Nolimus autem cum Westerhovio intelligere *id*, « sc. adoptasse mihi hunc majorem, eduxisse. »

50. *Item.* Mss. plusculi et editi *itidem.* Alii *idem.* — *Item*, similiter. — *Contra*, vicissim. — *Me habeat*, me tractet, mecum agat. — Hic quoque inprimis πιθανώτατα Noster agit : et de disciplina patria meras sententias, si spectentur in θέσει, loquitur; sed in ὑποθέσει meros colores reperias. *Bœcler.*

51. *Do* sumptus. — *Prætermitto* delicta, et dissimulo. — *Non necesse habeo.* Non credo necessum esse.

52. *Omnia pro meo jure agere.* Uti erga illum in omnibus potestate patria per adoptionem mihi concessa, quæ est peccata filiorum corrigendi. — *Pro meo jure*, secundum jus meum. — Adnotat hic exquisite Donatus : « Inter *jus* et æquitatem hoc interest : *Jus* est quod omnia recta et inflexibilia exigit : *Æquitas* est, quæ in jure multum remittit. » — *Postremo*, ut paucis absolvam. — *Alii.* Non *alii patres*, sed *alii adolescentes* clanculum patres suos. *Don.*

53. *Clanc. patres.* Nesciis patribus. Nam *clanculum*, ut *clam*, vim habet præpositionis; etsi Perizonius ad Sanct. Minerv. multa contra di-

Ea ne me celet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem,
Aut audebit, tanto magis audebit cæteros.
Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Hæc fratri mecum non conveniunt neque placent.
Venit ad me sæpe, clamans : « quid agis, Micio?

sputat. *Perlet.* — *Quæ fert adolescentia.* Veniam addidit statim, peccata ab adolescentibus ad ætatem removendo (Zeun. *ob.*). Et vide quam breviter, quam pudice, quam ignoscenter locutus sit. *Donat.*

55. *Insuerit.* C. G. m. *insueverit.* Al. *insuevit.* Be. vero diversis temporibus *insuerit*, *audebit* merito offensus, mihi tamen mutationem suam, ita ut fit, quod quasi in universum diceretur, non probavit. Idcirco equidem pro *insuerit*, legere ausim *ut suerit*, sensu ac metro servato. Itid. fere Cic. Fam. XV, 8 : « Quod *suesti* peto, etc. » Ut sensus autem arriperetur facilius, verba collocanda ita censerem : *Nam qui aut ment. aut fallere, ut suerit, patrem Audebit, tanto m. aud. cæt.* Perlet. — *Mentiri.* Separatim subaudiendum est, *insuerit* πρὸς τὸ *mentiri.* Donat. — *Consuerit aut audebit.* Duplex scilicet hic malum, *audere* primum; deinde nefariam audaciam vertere in consuetudinem. Potuit autem confundere Terentius. — *Cæteros.* Quia jam deceperit patrem.

56. *Aut audeb.* Particulam *Aut* al. huic versui præponunt, al. annectunt priori. Totum illud legit Both. *aut fall. institerit patrem Audere, tanto m. aut. cæt.* — *Pudore et liberalitate.* Retulit *pudore* ad filios; *liberalitate* ad patres. *Pudor* est metus displicendi parentibus, reverentia : *liberalitas*, bonitas parentum, et indulgentia. *Juvenc.* — Nimis autem exquisite, ne plus dicam, videtur explicare Donatus, dum addit : « *Liberalitate*, inquit, regendi sunt, propter quod *liberi* dicuntur. » Nempe *liberi* nihil aliud h. l. sonat, nisi *filii*, *pueri.*

57. *Retinere.* Bene *retinere* : a vitiis scilicet. Nam vitia filios *tenent* : quos *retinent* patres a vitiis scilicet. Nam *retinet*, qui adversum aliquem tenet. *Donat.* — *Quam metu.* Themist. Euphrada Orat. V : αἰδοῖ μᾶλλον ᾤοντο δεῖν καὶ εὐνοίᾳ πλέον, ἢ φόβῳ κατέχειν τοὺς ὑπηκόους. Idem Orat. XI : Αἰδοῖ μᾶλλον ἢ φόβῳ χρώμενον. Afranius, apud Gellium, Noct. Att. XV, 13 : « Hem isto parentum est vita vilis liberis; ubi malunt metui quam vereri ab suis. » *Lind.* In una ex suis fabellis nostras Lafontaine, *Phébus et Borée* :

« Plus fait douceur que violence. »

59. *Hæc fratri mecum non conveniunt.* Nova locutio est. *Non conveniunt*, pro *non congruunt.* Ac per hoc, *in his ego et frater dissentimus*, id est, dissimiles sumus. *Donat.* — *Hæc.* Ea scilicet, quæ huc usque probata sibi laudavit. *Perl.*

60. *Venit ad me sæpe*, etc. Colloc. Alii *venit sæpe ad me.* — *Clamans.*

Cur perdis adolescentem nobis? Cur amat?
Cur potat? Cur tu his rebus sumptum suggeris?
Vestitu nimio indulges; nimium ineptus es.»
Nimium ipse est durus præter æquumque et bonum:
Et errat longe, mea quidem sententia, 65

Plures legunt *clamitans*. — *Venit ad me sæpe, clamans*. Et importunitatem odiosam ostendit, *ad me* dicendo; et inconditam assiduitatem, addendo *sæpe*. Locum hunc laudat Cicer. de Invent. I: «Illa autem narratio, quæ versatur in personis, ejusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones, et animi perspici possint, hoc modo: «*Venit ad me*, etc.» cum quatuor sq. versibus.

61. *Cur perdis adolescent. nobis*. Recte *nobis* additum est, et ἠθικῶς, ut infra, Adelph. 477: «*Nobis* psaltriam, si Dîs placet, Paravit.» *Don.*

62. *Sumptum*. Mss. We. *sumptus*. Both. *sumptum rebus*. — *Cur amat? Cur potat? Cur tu his reb.* etc. Vide quemadmodum (ut durum objurgatorem ostendat Demeam), ab eo dicantur in crimen vocari, quæ aut ætatis sunt: ut, *cur amat?* aut naturæ, ut, *cur potat?* aut pietatis, ut, *cur tu in his rebus sumptum suggeris?* etc. Donat.

63. *Vestitu*. Bœcler. ex uno C. *vestitui*. — *Nimio indulg*. Mur. cum Guyet. *nimium* defendunt, et admittunt Both. Delph. — *Vestitu nimio indulges*. «Vestimenta splendidiora et plus æquo pretiosa largiris.» Pro *vestitui nimio*. Ut Virg. Æn. I, 257: «Parce *metu* Cytherea;» et Georg. IV, 108: «Quod neque *concubitu* indulgent.» — *Ineptus*, imprudens, inconsideratus. Utrumque dure, ut ait Donat. et *nimium*, et *ineptus es*.

64. *Æquumque et bonum*. Bodl. et Ed. prim. cum Ed. An. *æquum et bonum*. — *Nimium ipse est durus*, etc. Vivide et ad naturam repetit Micio. Gallice verteres: «... Et vous êtes trop facile. *C'est lui qui est trop dur*, etc.» — *Præter æquumque et bonum*. Supra modum juris et æquitatis. Agit de hoc loco Cic. de Senect. cap. 18. *Perlet*.

65. Guelf. 1, *Et errat quid. m. longe sententia*. — *Longe*. Donatus putat melius esse *longe* simpliciter accipi, ut locale sit, quam *valde*. — Adnotat Bœclerus: «Duodecim istis versibus magnifica ῥῆσις continetur de imperio patrio, seu disciplina patria. Quo, tanquam specioso colore, Micio suam indulgentiam et lenitatem obducit: magno ætatis et sapientiæ prætextu γνωμολογῶν. Quanta asseveratione ἀνασκευῆς: «Et errat longe, mea quidem sententia, qui, etc.» Nec minor auctoritas κατασκευῆς: «Mea sic est ratio, et sic animum induco meum, etc.» Tum illatio ἐν ἤθει τοῦ δογματοποιοῦντος. «Hoc patrium est, potius consuefacere filium, etc.» Et conclusio fidentius arrogantiusque, nec sine contumelia in fratrem, ut pondus et summa dictorum, epiphonematis ritu subjecta: «Hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis.» Sententias autem probabili

Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea sic est ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet;
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre; præsens absensque idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.

civilitate conspicuas in hac ῥήσει et explevit liberaliter, et decore vinxit. » *Bæclerus.*

66. *Qui.* Utrum quilibet, an Demea tantum ? Proponit Donatus. Hæc universaliter dici malimus; sic etiam Dacieria. Intelligit de Demea Gallicus alter interpres, *Lemonnier.* — *Gravius* ad vim refertur; *stabilius* ad tempus. *Donat.*

67. *Vi quod fit*, etc. Illud *fit*, quod *vi:* hoc *adjungitur*, quod amicitia. *Donat.* Sallust. Jug. X : « Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt : verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas. » *Eugr.*

68. *Mea sic est.* Z. *Mea est sic.* — *Mea sic est ratio.* Ad superiora pertinet confirmanda.—*Sic animum induco meum.* Ad ea pertinet, quæ dicturus est. *Don.* — *Ratio*, sc. agendi consuetudo, institutum.

69. *Malo*, vi aut necessitate. Hunc putat Perletus Ciceronem respexisse dicentem in Verr. V. « Tu nisi *malo coactus* recte facere nescis. »

70. *Id*, quod facit. — *Tantisper* junge τῷ *dum : tandisper dum*, tamdiu. — *Cavet*, peccare.

71. *Si sperat fore clam*, sub. quod faciet. — *Ad ingenium redit.* Hecyr. 113; Cic. in Cæcil. 17 : « *Redit* ad se atque ad mores suos. » Itid. Juvenal. Sat. XIII, 239 : « Ad mores natura recurrit Damnatos. » *Perl.*

72 sq. *Ille, quem ben.* Both. *Is, quem.* Bip. et multi post Mur. *quem b. a. ille.* — *Quem beneficio adjungas.* Quem potueris beneficio adjungere. Non dicit *benef. adjunctus*, ut supra malo *coactus.* Omnia autem sibi h. l. adversantur. Ille malo, hic beneficio. Ille coactus, hic adjunctus. Ille, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet : hic, præsens absensque idem erit. Et τὸ *præsens* et *absens*, non ad aliquem locum, sed ad custodem retulit et monitorem. *Donat.*

73. *Studet par referre.* Guelf. 1, 3, *st. par pari referre. Præsens absensque.* Editi quidam *præsens, absens.* Item Both. qui legit, *studet referre, præsens, absens id. erit.*

74. *Hoc patrium est*, Mss. We. *patrum.* — *Hoc patrium est.* Hoc patrem decet. — *Consuefacere*, non *cogere.*

75. *Recte.* C. G. m. *recta*, minus latine. — *Quam alieno metu.* Quam metu alius hominis.

Hoc pater ac dominus interest. Hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo agebam? Et certe is est.
Nescio quid tristem video. Credo jam, ut solet,
Jurgabit. Salvum te advenire, Demea,
Gaudemus.

SCENA SECUNDA.

DEMEA. MICIO.

De. Ehem! opportune : te ipsum quærito.
Mi. Quid tristis es? De. Rogas me, ubi nobis Æschinus

76. *Nequit.* Maleb. Guy. *nescit.* In Tr. erat scriptum *nescivit.*—*Hoc.* Absolutivus est, pro *in hoc.*—*Interest.* Distat, differt. — *Qui nequit.* Longe melius *nequit*, quam si diceret, non *vult.* Don.

77. *Fateatur nescire.* Mss. We. *fat. se nescire.* Alii omnes omittunt. —*Imperare liberis*, regere liberorum ingenia.

78. *Agebam.* Al. *aiebam.* — *Hic ipsus*, Demea. — *De quo agebam*, de quo loquebar. — *Et certe is est.* Bene nunc confirmat ipsum esse eum, quem e longinquo propter senilem visum, non bene forsan prospiciebat.

79. *Nescio quid tristem.* Bothius. *tristem nescio quid.* — *Credo jam.* Guelf. 3, *credo id.* — *Ut solet.* Br. *ut assolet.* — *Nescio quid tristem video.* Video eum esse nescio propter quid tristem.

80. *Jurgabit.* Donat. infra, vs. 84, *objurgabit.* West. — *Salvum te advenire.* Edit. 1469, *salvo te advenïente.* Ab his verbis, *M. salv. te,* etc. Bi. incip. scenam 2. — *Salvum te advenire, Demea, gaudemus.* Ut asperior ostendatur Demea, etiam salutatur ab eo, quem objurgaturus est. — De tota hac scena adnotat *Lemonnier :* «Cette scène est un monologue bien long. Comme il commence la pièce, comme l'action ne marche point encore, qu'il est bien écrit, qu'il sert, pour ainsi dire, de prologue, il n'est point déplacé, et doit plaire. »

82. *Ehem.* Alii *hem.* Sed notat Fa. magis convenire *ehem* actibus repentinis, ut est subitus ejus, quem quis quærit, aspectus. — *Ehem! opportune : te ipsum quærito.* Morosus homo ad jurgium promptior est, quam ad resalutandum.

83. *Rogas me.* Br. et alii *rogitas me.* Alii *rogites.* Quidam duplicem faciunt interrogationem *rogas me? ubi*, etc. — *Rogas me, ubi nobis Æschinus Siet, quid tristis ego sim?* Triplex hic, et quidem non absurde, potest adhiberi sensus; seu : «Quum filium habeamus Æschinum, adeo

Siet, quid tristis ego sim? Mi. Dixin' hoc fore?
Quid fecit? De. Quid ille fecerit? Quem neque pudet
Quidquam, nec metuit quemquam, nec legem putat

dissolutum. » Et *ubi*, sumetur pro *quum*, *quoniam ;* seu : « Rogas quid tristis sim, tu (*ubi*) apud quem vivit Æschinus, apud quem corrumpitur ? » Seu, ut vult Bœclerus, agnoscenda hic est ἔλλειψις indignanti familiaris. *Rogas me, ubi nobis Æschinus siet.* Sc. id quæro potius, id tu nunc afferre debebas ; et ita *nobis* abundaret. Priorem tuentur sensum Guyet. Muret. Donat. Juv. Perl. Stant pro secundo Faber et Dacieria ; et is est, quem prætulerimus priori, quia, ut adnotat Bœclerus, non satis latine diceretur *ubi Æschinus nobis siet*, i. e. quum Æschinum habeamus filium. Certe exemplum (addit vir doctissimus) frustra quæsieris in tota Antiquitate. Sed Bœclerus ipse ἔλλειψιν minime necessariam videtur nobis imploravisse.

84. *Quid trist. ego sim.* Both. *quid ego sim tr.* — Ante *quid*, Guelf. 3 dat *nescis.* — *Dixin' hoc fore.* Abest *hoc* a Guelf. 2. — *Dixin' hoc fore.* Hæc Micio conversus ad spectatores. Vs. 79, 80 : *Credo jam, ut solet, jurgabit.* — *Quid ille fecerit ?* Stomachantis affectu : ut rogitas *etiam quid ille fecerit ?* Et jam non statim describit factum, sed animum facientis corruptum ostendit, atque a pudore (qui homines regit, et ne obliviscantur honestatis admonet), a metu eorum quibus auctoritas est (ut parentibus in filios), a reverentia legum (quæ civitatis mores continet) alienum, atque ultra effrenum. Ut ἀπαθέστερον mox raptio citharistriæ ex domo lenonis, οὐκ ἄνευ γοργότητος, non sine expedita celeritate, accusetur. *Fores effregit.* Subjicitur accusatio totius populi, et vox famæ publica, quæ in talibus vim singularem obtinet. Nam actio de vi ad omnes pertinet : neque tam figura, quam ratio est, quæ infra ab ipso Sannione inducitur, act. II, sc. 1 : « Obsecro populares. » Hinc etiam est, quod quiritatio pleno et optimo jure nititur : ad quam Demea hic alludit efficaci figura, « Clamant omnes, indignissime factum esse. » Sannioni scilicet quiritanti succlamantes. Igitur ad summum exaggerationis hæc procedunt. Qua consumpta (quod probe hic notandum), ad minora revolvi necesse erat Demeam. Neque aliter debuit Poeta ἠθοποιεῖν hoc jurgium. Exemplum ergo fratris, ab accusatione ad emendationem degressus, comparat, μάλα εἰκοτομικῶς. Ut major fieret perturbatio ex Ctesiphonis amore, quo minus aliquid tale suspicari Demea potuerat. Denique ab Æschino, in cujus nomen effuderat illum indignationis impetum, Micionem aggreditur : « Hæc quum illi, Micio, dico, tibi dico, » ut contentioni et occasio, et via quæreretur. *Bœclerus.*

85. *Quid fecit ?* Complur. Mss. *is*, quod Fa. ex auctorit. Bemb. delevit. *Perl.* — *Quem neque pudet quidquam.* Contra illud, 647, *erubuit, salva res est.*

86. *Nec metuit.* Alii *neque metuit.*

Tenere se ullam. Nam illa, quæ antehac facta sunt,
Omitto; modo quid designavit? Mi. Quidnam id est?
De. Fores effregit, atque in ædes irruit
Alienas; ipsum dominum atque omnem familiam
Mulcavit usque ad mortem; eripuit mulierem,
Quam amabat. Clamant omnes, indignissime
Factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere! In ore 'st omni populo. Denique
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt

87. *Nec legem putat tenere se ullam.* Similiter Horat. de Achille, A. Poet. « Jura neget sibi nata. » — *Quæ antehac facta sunt Omitto;* i. e. alia ejus flagitia.

88. *Omitto.* Guelf. 3, *dimitto.* — *Designavit.* Eugr. *dissignavit.* *Modo quid designavit?* Nuper, quæ nefanda in ore omnium et oculis patravit, quasi *sublato signo?* Eodem sensu Horat. « Quid non ebrietas *designat?* »

89. *Fores effregit, atque in ædes irruit Alienas.* Hæc singula consideranda sunt. Et bene dicit *alienas*, quia si *lenonis* diceret, parva res videretur. *Don.*

90. *Omnem famil.* Omittit Bip. *omnem* forte per incogitantiam. — *Ipsum, dominum.* Iterum suppressa est infamis persona. *Don.* — *Atque omnem familiam.* Aut *familiam* pro servis lenonis dicit, aut pro meretricibus. *Idem.*

91. *Mulcavit.* Sic lib. omn. antiq. In C. G. m. et Hal. *multav.* sed P. Victorius censet, ubi *mulctare*, aut *multare* in hac significatione legatur, tunc legendum esse *mulcare.* Vid. Taubm. ad Plaut. Mostell. IV, 11, 23. *Perl.* — *Mulcavit.* Laceravit, mutilavit. — *Usque ad mortem.* Magna invidia cædis et mortis mentione, quæ tamen nulli accidit. *Don.* — *Eripuit mulierem quam amabat.* Omnia magno colore et accusatorie dicta sunt, et ex hoc maxime, quod lenonem et meretricem non dixit, contentus facti atrocitate, personarumque vilitatem reticens. Et *eripuit*, non *abduxit.* Idem. — Hæc est ereptio meretricis quam indicat Noster in prologo, ubi vide.

93. *Factum esse. Hoc adv.* In Ms. Lips. et Ed. prim. junctim legitur, *factum esse hoc.* Guelf. 2, quoque pungit post *hoc*, non post *esse.* Et sic Br. qui dat *quod* pro *quot.* — *Hoc.* Istam rem. Volunt aliqui esse adverbium loci, pro *huc.* Firmant auctoritate Servii in versum 423 lib. VIII Æneidos: « *Hoc* tunc ignipotens cælo descendit ab alto; » quo in versu *hoc* pro *huc* ponitur. *Juv.* — *Advenienti* e rure.

94. *Dixere!* Interrogant Bent. Z. Bip. — *Omni populo.* Bodl. non agnoscit τὸ *omni.* — *In ore est omni populo.* Factus est totius populi fabula et querela. Itidem Sallust. « *In ore gentibus* agens, populo, civitati. »

95. *Non fratrem videt.* Mss. et editi quidam vetusti *patrem.* West,

Rei operam dare, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum hujus factum simile. Hæc quum illi, Micio,
Dico, tibi dico. Tu illum corrumpi sinis.
Mi. Homine imperito nunquam quidquam injustiu 'st,
Qui, nisi quod ipse fecit, nil rectum putat.
De. Quorsum istuc? Mi. Quia tu, Demea, hæc male judicas.
Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum

— *Si conferendum exemplum est.* Si utile est proponere exemplum. — *Non fratrem videt*, etc. Satis comice hoc infertur. Nam magis in culpa ille ipse est, quem laudat. *Don.*

96. *Rei operam dare.* Sic vetustiores Bentl. magno numero, et post eum Perletus. Alii, *rei dare operam.* Dat Br. *ruri esse, parc. ac sobr.* Dat Both. *operam ruri, parc. ac sob.* — *Rei operam dare.* In re familiari augenda omne studium ponere. — *Ruri esse*, non in urbe; *parcum*, non prodigum; *sobrium*, non insanum. Contra illud, *cur amat? Cur potat?*

97. *Fact. simile.* Alii *simile fact.* Post hæc alii interrogant, alii etiam majus adhibent comma. — *Nullum hujus factum simile!* Hoc cum admiratione indignantis pronuntiandum est, et ardentibus in Micionem oculis. Et subaudiendum est *esse*, aut *inveniri.* Donat. — *Hujus*, Ctesiphonis. — *Hæc quum illi dico*, sc. dicta volo. — *Tibi dico*, tibi dicta volo. I. e. quum ita loquor, ut ad Æschinum pertinere illique dici videantur, tu satis intelligere debes, ad te quoque pertinere, tibique dici. *Bœcler.*

98. *Corrumpi*, depravari. Nunc mitius dicit, *sinis corrumpi.* Mox vehementius dicet, «An laudi putat fore, si *perdiderit* gnatum.» *Don.*

99. *Nunquam quidquam.* Ms. Bodl. Bœnd. et Lips. cum Ed. Anonym. et Ed. prim. *nihil quidquam.* — *Injustiu'st.* Alii verbum *est* omittunt. — *Imperito*, inique et inscite res æstimante, verum inexperto. — Miro stomacho apud ipsum de ipso tanquam apud alienum loquitur; et insuper nota Micionis σόφισμα. Ut homo urbanus et peritior, adversus fratrem agrestem, prudentiæ sibi arrogat aliquid, et sententia καθολικῇ ad prætexendas, quas subinfert, fraudes orationis abutitur. *Bœcler.*

100. *Qui.* Bodl. *quia.* — *Fecit.* Guelf. 1, Bip. Delph. *facit.* — *Nihil.* Contrahitur in quibusd. *nil.*

101. *Quorsum istuc?* Quare hæc dicis? Ita Demea, qui oblique dicta Micionis non percepit. *Perl.* — *Quia tu, Demea.* Id est, homo imperitus. — *Hæc male judicas.* Pari virtute hæc leniter dicta sunt, qua superiora vehementer. *Donat.*

102. Both. *crede mi.* — *Non est flagitium, mihi crede*, etc. Non peccatum negat esse: sed flagitium non esse contendit, et ideo subindignanter pronuntiandum est: quasi dicat, scortari quidem adolescentulum, delictum est, sed non

Scortari, neque potare, non est; neque fores
Effringere. Hæc si neque ego, neque tu fecimus,
Non sivit egestas facere nos. Tu nunc tibi
Id laudi duces, quod tum fecisti inopia.
Injurium 'st: nam si esset, unde fieret,
Faceremus. Et illum tu tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet;
Potius quam, ubi te exspectatum ejecisset foras,

est flagitium; et veniæ locus non tam in facto, quam in persona constitutus est. *Donat.* — *Mihi crede.* Forsan nimis subtiliter adnotat hic Donatus : « Quasi imperito dicit, *mihi crede*, non enim *me intellige*. Hic et auctoritas dicentis, et contemptus ostenditur audientis. » — *Adolescentulum scortari, neque potare, neque fores effringere*, Mire respondit et oratorie, ad hæc quæ invidiose dicta sunt. Nam quod ait ille, « Eripuit mulierem quam amabat » hic *scortum* dicit. Quod, « irruit in ædes alienas » quasi ex vino furens, *potare :* quod cum aliis grave propositum est, hoc solum dicendo, leve reddit, id est, *fores effringere. Donat.*

103. *Non est.* Hæc absunt a Mark. Dat Both. *potare...* Dr. *Non est?* Mi. *Neque fores*, etc.

104. *Neque ego, neque tu.* Bœnd. Edd. Anon. prim. *neque tu, neque ego.* Guelf. 2, *id si neque fecimus, neque ego.* — *Hæc si neque ego, neque tu fec.* Quia dixit, vs. 100 : « Qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat. »

105. *Non sivit.* Sic lib. antiq. In Bemb. *siit.* Par. p. var. *sinit.* — *Egestas facere.* Both. *facere egest.*

106. *Duces.* Sic Be. ex uno Reg. bene. Vulgo *ducis.* Perl. — *Quod tum. Tu*, sine *tum* Guelf. 2. — *Id quod fecisti inopia.* Id est, abstinuisse a scortis, a vino.

107. *Unde fieret.* Delemus *id* cum Perleto. — *Injurium 'st.* Hoc est injuste judicare. — *Si esset*, pro *fuisset.* « Si nobis tum fuisset, unde potaremus. »

108. *Tu illum.* Nos ex Bent. et Perl. *illum tu.* Both. *illunc.* — *Faceremus*, pro *fecissemus.* Enallage temporis. Ad hoc videamus, quanta facetia in usu verbi sit *facere* tam sæpe repetiti, ac modo *committere*, modo *omittere* significantis. *Perlet.* — *Et illum tu tuum.* Ctesiphonem, quem apud te ruri habes. — Recriminatio autem est ad superius, vs. 98, *tu illum*, etc.; et multum progressus est, accusans accusantem. — *Si esses homo.* H. e. humanus, non tyrannus, non erroribus juvenum, ceu flagitiis, irascens. *We.*

109. *Licet.* Par. p. var. *Decet.*

110. Both. *Exspect. ubi te ejecisset.* Palmerius legit *elegisset.* — *Exspectatum* hic est, cujus mors in dies singulos exspectabitur. — *Te ejecisset foras.* Mortui, apud Romanos, ubi animam egerant, lecto extracti, humi deponebantur, deinde lavabantur, ungebantur,

Alieniore ætate post faceret tamen.
De. Pro Jupiter! tu homo adigis me ad insaniam.
Non est flagitium, facere hæc adolescentulum? Mi. Ah!
Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus. Si quid peccat, Demea,
Mihi peccat; ego illi maxumam partem feram.
Obsonat? Potat? Olet unguenta? De meo;

lecto funebri aptabantur; tum ad ostium domus cadaver admovebatur, versis in portam pedibus. Quod Micio verbis suis significat. Hæc Persius indicat, Satir. III, his versibus :

Hinc tuba, candelæ, *tandemque* beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit : at illum
Externi, capite induto, subiere Quirites.

111. *Alieniore*. Lib. antiq. *alieniori*. — *Alieniore*. Minus tempestiva. Sic Plaut. more suo, plenius : « Cano capite, *ætate aliena*. » Cas. III, I, 4. *Perl.*

112. *Adigis*. Al. *adiges*. Donat. leg. *rediges*. Codd. Bent. *redigis*. — *Pro Jupiter*. Tragica exclamatio est. Et *tu homo* dicens, negat illi familiaritatem. *Donat*. Melius, ut nobis videtur, sensit *Lemonnier*, qui aliquid ironiæ credit esse in repetita hac voce *tu homo*, quam mox dixit Micio, et vertit : « Grands dieux! *avec votre humanité* vous me ferez devenir fou. »

113. *Ah!* Both. *At*.

114. *Ausculta, ne me obt*. Hic fuse admodum explicat Bœclerus quomodo jurgium ad disputationem conferatur, et statuit varia disputationis argumenta; paulo autem extraneam disquisitionem non operæ pretium videtur huc retulisse. Sit satis indicavisse. — *De hac re*. De hac flagitii objurgatione.

115. *Adoptandum*. MSS. We. *adoptatum*.

116. *Is meus factus est*. Sub. *filius*.

117. *Illi*. Par. in marg. *illic*. — *Mihi peccat*. In meum delinquit damnum. — *Ego illi maxumam partem feram*. Vult Donatus vocem *illi* non esse pronomen, sed adverbium loci, pro *ibi*, hac sententia : « Ubi peccabit Æschinus, quando genio largius indulgebit, ego tunc maximam partem sumptus et impensæ feram, tu leviorem et minimam. » Potest etiam *illi* esse genitivus, prisco more, pro *illius* : feram maximam partem illius sumptus et peccati videlicet. *Juvenc.*

118. Varro, L. L. lib. VI, hoc loco citato, vocem *obsonat*, haud dubie memoria fallente, omisit; pro qua hab. *Scortatur? Potat?* Par. in marg. « Sic MSS. omnes. At sunt qui totum locum reformare conentur. » — *De meo*. C. G. m. addit *fa-*

Amat? Dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? Restituentur; discidit
Vestem? Resarcietur. Est, Dîs gratia,
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam. De. Hei mihi!
Pater esse disce ab illis, qui vere sciunt.
Mi. Natura tu illi pater es, consiliis ego.

cit. — *Obsonat?* Laute epulatur. — *Olet unguenta?* Unguentorum odoribus fragrat. — *De meo.* Impensis meis hæc facit, non vero tuis.

119. *Amat?* Non interrogant Br. Bent. post *amat*, neque post *effregit*, nec post *vestem*. Both. delet *a me*, pro quo dat B. *ei.* — *Amat?* Amicas habet. — *Dum erit commodum.* Quamdiu mihi facultas dandi erit.

120. *Ubi non erit.* Quando deficiet pecunia. — *Fortasse excludetur foras.* Ab amica, seu meretrice. Donatus bene agnoscit mores Micionis in voce fortasse. Nam hæc dicit ut pater indulgens, et credens adolescentem posse etiam gratis ab amica amari.

121. *Fores effregit? restituentur; discid.* etc. Hunc locum Cicero citat pro Cælio, XVI, sub persona mitioris patris. *Farnab.*

122. *Est et unde hæc fiant.* Non deest nobis pecunia ex qua isti sumptus fiant.

123. *Et unde.* Quidam libri non agnoscunt τὸ *et.* Dat. Bip. *Est Diis gratia, quum est unde hæc fiant: et adhuc non*, etc. — *Et adhuc non molesta sunt.* Scilicet si quæ damna fuerint, ob Æschinum, mihi resarcienda. *Perl.*

124. *Postremo aut desine, aut cedo*, etc. Aut desine mecum altercari, aut offer quem tu cumque volueris judicem istius inter nos controversiæ. Vincam quocumque judice, et in pluribus peccare te ostendam, te esse iniquiorem, quam ego sim. *Juv.*

125. *Te plura in hac re.* Ita plerique libri. Quidam *in hanc rem.* West. Br. *et te.* — *Hei mihi!* Bent. Br. *Ei mihi.*

126. *Ab illis.* Alii, *ab aliis.*—*Qui vere sciunt.* Bent. ed. *qui veri sient.* Nam τὸ *sient* conjecturavit jam ante Palmerius. — *Pater esse disce.* Disce te patrem gerere.—*Ab illis qui vere sciunt*, supple, patriam potestatem exercere. Et ibnuit, patres ipsos.

127. *Natura tu illi pater es, consiliis ego.* Intellige *consiliis*, « recta institutione. » — Hoc totum est, quasi diceret: « Tu quidem, Demea, Æschino pater es, atque hoc fortuitum est. Sed ego qui destinato proposito ac deliberato animo personam patris in adoptatum indui, nihil prætermitto, quin ita ei consulam, sicut liberis consuli

DE. Tun' consulis quidquam? MI. Ah, si pergis, abiero.
DE. Siccine agis? MI. An ego toties de eadem re audiam?
DE. Curæ est mihi. MI. Et mihi curæ est. Verum, Demea,
Curemus æquam uterque partem; tu alterum,
Ego item alterum. Nam curare ambos, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. DE. Ah, Micio!
MI. Mihi sic videtur. DE. Quid istic? Tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat! Nihil ad me attinet.
Jam si verbum ullum posthac... MI. Rursum, Demea,

æquum est. » Patris enim proprium est liberis consulere. *Bœcler.*

128. *Consulis.* Bemb. *consiliis.* — *Tun' consulis quidquam?* Supple: « Qui nimia indulgentia illum perdis. » Totum hoc ironice dicit et acerbius Demea, quia ille dixerat: *Consiliis ego*, etc. vs 127.—*Si pergis, abiero.* Ἀρχαϊσμὸς pro *abibo*; et hoc, gestu abeuntis, vel abituri pronunciatur. *Donat.*

129. *Siccine agis?* Codices omnes Bœcleri, *siccine ais?* — *Toties.* C. G. m. *totiens.*—*Re.* Ienens. Cod. *te.* — *Siccine agis?* Itane discedis vere. Quasi revocantis correptio est. — *De eadem re.* De Æschino male, ut contendis, a me educato. — *Audiam.* Cogar audire.

130. *Curæ est mihi.* Excusatio est paterna: « Non possum non habere curam filii. » — *Et*, quoque.

131. *Curemus æquam uterque partem.* Æqualiter partiamur curas filiorum tuorum.

132. *Curare ambos.* Alii, *ambos curare.*—Supra *curare* in MS. Bodl. scriptum legitur *te.* West. — *Curare.* Quasi esset, τὸ *te curare ambos.*

133. *Ah, Micio?* Bem. *a* sine aspiratione. Bœnd. Ed. anon. Ed. prim. *ah! ah! Micio.* Bas. *aha.* Post hunc versum collocat Both. vs. 137, et sic legit: DE. *Ah! Micio, Irascere? an non credo? repeton' quem dedi?* MI. *Mihi sic*, etc.—*Ah! Micio.* Demea, religiose commotus, eo quod perfidiæ incusationem in hac exprobratione inesse cerneret, exclamat, *Ah Micio*, quid dixisti! *Bœcler.*

134. *Quid istic?* Alii *quid istuc.* — *Tib. si istuc.* Both. post Bent. *si istuc tibi.* — *Mihi sic videtur.* Quod jam dixi, ex omni parte verum esse censeo. — *Quid istic?* Quid plura verba perdam? — Deest *loquor*, aut *resisto*: Nam propria significatio est de sententia sua decedentis. *Donat.*

135. *Perdat.* Vox illa desideratur in Bodl. — *Profundat, perdat, pereat!* Permissio ironica irati; et eadem omnino sententia Dido Æneam compellat, *Æneid.* IV, 380: « I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas. »

136. *Verbum ullum.* Lib. antiq. *unum.* Sic et Valp. — *Jam si verbum ullum posthac....* Aposiopesis; supple, *tibi fecero*, aut aliquid tale.

Irascere. De. An non credis? Repeton', quem dedi?
Ægre 'st: alienus non sum. Si obsto... Hem! Desino.
Unum vis curem; curo. Et est Dîs gratia,
Quum ita, ut volo, est. Iste tuus ipse sentiet
Posterius... Nolo in illum gravius dicere.

SCENA TERTIA.*

MICIO.

Mi. Nec nil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit; tamen

137. Vide quid dixerimus in vs. 133, de Bothii lectione. — *An non credis?* An dubitas, quin vere irascar, et merito. — *Repeton' quem dedi? Ægre 'st*, etc. Totum hoc sic digerere velis et intelligere: « An repetere et abducere a te Æschinum volo? neutiquam: habe illum et perde, si lubet. Ego id quidem ægre feram, quia pater sum; non obstabo tamen, quominus tu cum illo agas, ut libuerit; desino plura dicere de ea re. »

138. *Hem! desino.* Bcend. Gu. a. *jam desino.* Dat. Bent. *em.* Omittunt Br. Guelf. 3. — *Alienus non sum.* Quasi timeat dicere, *sum pater*, ne iterum displiceat Micioni, qui Æschinum adoptavit; sed *se non alienum* indicat; quasi diceret: « Non vis me illius agendi rationem pensi habere; et tamen non sum ego alienus. » — *Si obsto;* aposiopesis est, et supple, « Si obsto, facio id affectu paterno. » — *Hem.* Se colligit ab ira.

139. MSS. quidam, *et est Diis habenda gratia;* quæ glossa est. *West.* — *Unum*, filium. — *Est Dis gratia.* Diis gratias habeo. Eadem fratris locutione, vs. 122, consulto fortasse per amaritudinem utitur.

140. *Iste tuus.* Guelf. 2, præponit *et.* Both. *tuus istic.* — *Iste tuus.* Æschinus; *tuus*, adoptione. — *Ipse sentiet posterius* .... Comminandi formula h. l. et subaudi, « quantum mali nimia tua facilitas et indulgentia ipsi attulerit. »

141. *Nolo in illum gravius dicere.* Edit. Bip. ex vet. ed. *nolo in ill. grav. quidquam dic.* — *Nolo in illum gravius dicere*, nempe, iri perditum, evasurum sceleratissimum. Hæc ubi dixit Demea, discedit. Novam hic constituimus scenam, ex Dacieria, quam laudat super ea re Zeunius.

142. *Nec nil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit.* Sensus nobis videtur esse: hæc quæ dicit non sunt nihil, non sunt nullius auctoritatis, i. e. habent aliquam auctoritatem; et simul, non sunt omnia, non excludunt alias quasdam de eadem re sententias. Gallice verteremus: « Si les réflexions de mon frère ne sont pas tout à fait à dédaigner, elles ne sont pas non plus de nature à être

Non nil molesta hæc sunt mihi; sed ostendere,
Me ægre pati, illi nolui. Nam ita 'st homo:
Quum placo, advorsor sedulo, et deterreo.
Tamen vix humane patitur: verum si augeam,
Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ,
Insaniam profecto cum illo; etsi Æschinus
Non nullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem? Aut cui non dedit
Aliquid? Postremo nuper (credo, jam omnium
Tædebat), dixit velle uxorem ducere.

admises sans aucune restriction. » Minus autem placent in interpretando qui subaudiunt *verum;* et præcipue Donatus, qui explicat: « Nec contemnenda sunt quæ dicit, nec omnia dicit tamen. Hoc est, non sola sunt quæ dicit, sed multa alia. »

143. *Tamen non nil molesta hæc*, etc. Dacieria hic adnotat ingeniose: « Térence fait ainsi parler Micion, pour satisfaire les spectateurs, qui auraient trouvé mauvais qu'il eût dit des choses qui pouvaient faire un très-méchant effet dans l'esprit des jeunes gens, s'il n'eût ajouté ce correctif. »

144. *Me ægre pati.* Constat ergo *ægre pati;* nam aliter non erat parens. *Donat.* — *Nam ita est homo.* De Demea loquitur.

145. *Quum placo, advorsor sedulo.* Both. *quum plane adv.* — *Quum placo.* Pro, *quum placare volo.* Sensus: quum placare volo, ei ex industria repugno, et per vim ac metum ab ira revoco.

146. *Tamen*, et tamen, etiam tum. — *Humane*, leniter. — *Patitur*, se placari.

147. *Aut etiam adjutor.* Guelf. 2, *jam ante adj.* Both. rejicit *aut* in versum 146, et hunc versum ita scribit: *Adj. etiam sim e. i.* — *Adjutor sim ejus iracundiæ.* Dum nempe illi objurganti assentirem, et sic habenas permitterem.

148. *Insaniam profecto cum illo.* Ambo fieremus insani; ego hominem accendendo; ille supra modum irascendo.

149. *Facit.* Guelf. 1, *faciat.* — *In hac re.* Cf. supra, 89, 90. — Quam autem mitis sit reprehensio, et hoc ipso gravis, animadvertit exquisite Donatus; nam *etsi*, et *non nullam nobis*, temperamento sunt posita.

150. *Quam hic non amavit meretricem?* Etiam quum accusat pater, cum venia facit et defensione. Nam colere meretricem non est flagitium; et simul etiam vitiatæ virginis adhuc ignarus ostenditur Micio. *Donat.* — *Cui non dedit aliquid.* Dicendo *cui* et *aliquid*, paterne prætermisit, vel meretricem, vel numerum. *Donat.*

151. *Omnium* meretricum; sicut in Eunuch. 297 sqq. « Tædet quotidianarum harum formarum. »

152. *Dixit velle.* Guelf. 1, 2,

Sperabam jam defervisse adolescentiam,
Gaudebam. Ecce autem de integro, . . . Nisi, quidquid est,
Volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.

dixit se velle. — *Dixit velle uxorem ducere.* « Ce mariage, dont Micion ne dit qu'un mot, fera le dénouement de la pièce. » *Lemonnier.*

153. *Defervisse.* Quidam libri *deferbuisse.* Alii *desævisse.* — *Sperabam jam deferv. adolesc.* Servat propositum circa ætatis veniam. *Don.*

154. *Ecce autem.* In Bodl. τὸ *autem* est a secunda manu. — *Sed* pro *nisi* Guelf. 2. — *Gaudebam.* Itid. Simo pater, in Andr. 60. — *Ecce autem de integro*, subaudi, vitam priorem vivere, amare. — *Nisi*, pro *sed*, ut sæpius videre est.

155. *Hominem.* Æschinum.

Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle
Factam esse, hujus non faciam. Crede hoc, ego meum jus persequar;
Neque tu verbis solves unquam, quod mi re malefeceris.
Novi ego vestra hæc : « Nollem factum; » jusjurandum dabitur, te esse
Indignum indignis; indignis quum egomet sim acceptus modis.
Æs. Abi præ strenue, ac fores aperi. Sa. Cæterum hoc nil facies.

163. *Tu quod te posterius.* Volunt quidam interpolatum, *tum quod te.* Both. ordinat, *nolle mi hanc injuriam.* — *Tu quod te posterius*, etc. Nihili ducam excusationem, per quam te purgare postea conaberis, dicendo nempe te noluisse inique erga me, lenonem, agere; dicendo te sic egisse, conditionis meæ inscium. Hoc nempe e solemni satisfactionis more apud Romanos : ubi jurejurando agnoscebat quis, indigno se contumeliam intulisse, et nolle factum.

164. *Hujus non faciam.* Bodl. *hujus ego non f.* — Ed. Anon. et ed. Tarv. *crede*, omisso *hoc.* — — *Hujus non faciam.* Parvi pendam. Hoc autem, *hujus*, dicitur, ostendendo floccum, aut stipulam, vel inserendo dentes anteriores ungui extremo pollicis, eumque cum sonitu retrahendo, vel pollicem ac medium digitum in talitrum explodendo. *Juvenc.* — *Meum jus.* Actionem quæ mihi competit.

165. *Malefeceris.* Ien. *malaf.* perperam. *Perl.* — *Neque unquam*, pro *non.* — *Verbis*, inani excusatione. — *Re*, facto; opponitur τῷ *verbis.*

166. *Vestra hæc.* Par. Ms. *jura hæc.*—*Novi ego vestra hæc*, sc. quæ juvenes facere solent in tali rerum articulo. Et convenienter hoc dictum; quum semper versetur inter juvenes leno.

167. *Indignum indignis.* Sic nos post Perlet. ex Both. Uterque vulgarem lectionem *injuria hac*, habendam esse judicat pro glossa vocis *indigni*, a simili sequente sine dubio absorptæ; præsertim quum Donat. comice scriptum moneat *indignum*, *indignis.*—*Te esse indignum indignis. Indignus*, h. e. non dignus. *Indignis*, sc. rebus. *Indigna* autem habentur, quæ in liberum, aut honestum hominem minime cadant. *Perlet.* — *Acceptus*, tractatus.

168. *Abi præ strenue.* Ad Parmenonem sermo est; et agnoscitur magna contemptio minarum lenonis, non respondisse Æschinum ad ea quæ dixerat. *D.* — *Abi præ.* Aut *abi prior*, aut *præi*, aut, *abi præstrenue.* Triplicem nempe proponit sensum Donatus. — *Fores*, Micionis patris. — *Cæterum.* Quasi diceret, *quidquid coneris.* — *Hoc nil facis.* Frustra id conaris. Obsistit enim leno, ut mox, vs. sq. *at*

Æs. I intro nunc jam. Sa. At enim non sinam. Æs. Accede illuc, Parmeno :

Nimium istoc abisti. Hic propter hunc adsiste. Hem, sic volo.

Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos.

Ne mora sit, si innuero, quin pugnus continuo in mala hæreat.

Sa. Istuc volo ergo ipsum experiri. Æs. Hem, serva. Pa. Omitte mulierem.

Sa. O miserum facinus! Æs. Geminabit, nisi caves. Sa. Hei miseriam!

enim non sinam, dum rei suæ possessionem sibi vindicat.

169. *I intro nunc jam.* Mss. quid. *I intro jam nunc tu.* Ita et Both. Rejicimus autem *tu* cum pluribus. — *At en.* Don. videtur non legisse *at. West.* — *I intro n. j.* Psaltriam alloquitur. Scilicet foribus Micionis a Parmenone apertis, Æschinus fidicinam ire intro jubet. — *At enim non sinam.* Sub. *illam intrare.* Hæc Sannio, retinens psaltriam.— *Illuc,* prope locum ubi est Sannio.

170. *Nimium istoc abisti.* Nimium longe abiisti, quum abiisti in locum ubi tu nunc es; (vel) quum abiisti a loco ubi tu eras.—*Nimium.* Quasi ex contumacia lenonis rursus erumpente appareat, quod multum abierit servus a quo vapulabat. *Hic.* Locum digito indicat. — *Propter hunc.* Juxta Sannionem.—*Hem.* Vox est hic approbantis, quasi diceret: Bene est; adsistis, ut volo.

171. *Qu.* Ut alio visum conjicias.

172. *Si innuero.* Plures, *si innuerim.*—*Si innuero.* Si nutu capitis verberandum lenonem significavero. — *Pugnus*, tuus. — *In mala*, in ejus gena. Et intellige : quin pugnis tuis genæ lenonis contundantur.

173. *Istuc ipsum.* Sc. an minas adeo iniquas efficere ausurus sis. Et animadverte, ex Donato, miseri hominis contumaciam, ipsa inter verbera loquacem. — *Hem, serva!* Mulierem adversus lenonis conatus retine. Hæc Parmenoni. — *Omitte mulierem.* Noli eam retinere. Hæc Sannioni. Aliter τὸ *serva* intelligunt *Juvenc.* et *Lemonnier:* quasi diceret hoc Æschinus Sannioni quem percussit Parmeno : « Habes, accepisti colaphum quem mereris, serva illum tibi. »

174. *O miserum facinus!* Sic Bentl. Codd. In lib. antiq. *indignum.* — *Hei miseriam!* Sic Bentl. libb. vulg. *Hei misero mihi!* — *O miserum facinus!* Ejulat Sannio, pugnum servi expertus. — *Geminabit*, sub. ictum Parmeno. — *Nisi caves*, nisi te contineas. — *Hei miseriam!* O me miserum! Denuo percutitur.

SA. Quam rem? Quo redeam? ÆS. Jamne me vis dicere
id quod ad te attinet?
SA. Cupio, æqui modo aliquid. ÆS. Vah, leno iniqua me
non vult loqui.
SA. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,
Perjurus, pestis; tamen tibi a me nulla 'st orta injuria.
ÆS. Nam hercle etiam hoc restat. SA. Illuc quæso redi,
quo cœpisti, Æschine.
ÆS. Minis viginti tu illam emisti; quæ res tibi vortat
male!
Argenti tantum dabitur. SA. Quid? Si ego tibi illam nolo
vendere,
Coges me? ÆS. Minime. SA. Namque id metui. ÆS. Ne-
que vendundam censeo,
Quæ libera 'st: nam ego liberali illam assero causa
manu.

187. *Quod ad te attinet.* Quod tibi prodesse debet et esse commodum.

188. *Æqui modo aliquid.* Sc. dicas. — *Vah*, indignantis. — *Leno*, religiosus scilicet! et hoc amare dictum per ironiam.

189. *Leno sum, fat. pernicies*, etc. Non aliter Plaut. de lenone, Asin. I, II, 7; sed Noster versum Diphili transtulisse videtur hunc: Οὐκ ἔστιν οὐδὲ τεχνίον ἐξωλέστερον τοῦ πορνοβόσκου, Non est ulla ars pestilentior quam lenonis. *Perl.* — *Orta*, cœpta.

191. *Nam hercle etiam hoc restat*, sub. a te faciendum. Et est εἰρωνικῶς dictum. — *Quo cœpisti*, a quo cœpisti. Refertur ad superius, vs. 187, *quod ad te attinet.* Et bene memor hæc servavit avarus leno.

192. *Minis viginti.* Fere libras trecentas quinquaginta. Vide cæterum, tabulam Martiali nostræ æditionis subjectam. — *Quæ res tibi vortat male!* Imprecandi formula qua invehitur in impudicum ingenuæ virginis emptorem.

193. *Argenti tantum.* Lindenbr. *tibi*, nescio unde. *Perl.* — *Ego tibi illam.* Ien. cod. *ego illam*, omisso *tibi.* — *Tantum*, tantumdem. — *Quid?* mirantis et indignantis. — *Si ego tibi illam nolo vendere.* Nititur jure, quo nemo cogitur invitus rem suam vendere.

194. *Minime*, εἰρωνεία. — *Namque id metui.* Quasi vero id metuam. Εἰρωνείᾳ pariter respondit Sannio, et quidem ridicula in eo, quod jam amisit id de quo dixit se cogi non posse. *Don.*

195. *Neque vend. cens. quæ libera est.* Liberum hominem vel civem vendere legibus et Romanorum, et Græcorum maxime prohibitum es-

Nunc vide, utrum vis, argentum accipere, an causam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo, leno!

SCENA SECUNDA.*

SANNIO.

SA. Proh supreme Jupiter!
Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria.
Domo me eripuit, verberavit, me invito abduxit meam,
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Ob malefacta hæc tantidem emptam postulat sibi tradier.

se, constat inter omnes. Sed plura vide apud Bœcler. qui fusius tractat legitimam hanc quæstionem, nimis forsan consultus juris in explanando Comico. — *Nam ego liberali illam assero causa manu.* Ordo est : Ego illam assero manu, causa liberali, id est in judicio in quo de libertate agitur, lege et actione quæ est de libertate. Porro *manu asserere*, est injecta alicui manu, eum liberum pronuntiare et affirmare. Solebant enim manu apprehendere apud judices quem liberum esse dicerent, et petebant vindicias secundum libertatem, id est, ut in possessione libertatis maneret, interea dum de causa cognosceret. De hac re vid. Liv. III, 44 sqq.

196. *Argentum*, viginti minas, quibus tibi puella constitit. — *Causam meditari.* Ad causam dicendam te præparare. Item Bruto Cicer. *causam meditari.*

* Quum Æschinus abierit, inde a verbis *Proh supreme Jupiter* novam scenam cum Dacieria esse instituendam nobis visum est. — *Proh supr. Jup.* Adverte vigilantem poetam, ut ubicumque in Comœdia vocem tragicam extulerit, statim personam insanam dicere faciat. Sic et supra, vs. 112 : « *Pro Jupiter! tu homo* adigis me ad insaniam. » *Don.*

198. *Qui* pro *quo;* nam *qui* pronom. est. —*Minime miror*, sub. *eos qui*, etc. Et supple, quum ego prope insaniam ex injuria quam accepi. Menander, quem citat Farnabius : Οἴμοι, τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ.

199. *Domo me eripuit.* Quia nempe, erepta mihi puella, eam huc sequi coactus sum. — *Meam.* Decora locutio est per ἔλλειψιν. Non enim addidit *puellam* aut quid tale. *Donat.*

200. Hunc versum qui vulgo sequitur, anteire jussit Muretus. — *Homini misero*, i. e. mihi. — *Plus quing. col.* supple, *quam.* — *Colaph. infregit.* Inflixit. Plin. VIII, 36, de ursis : « Sæpe in arena *colapho infracto* exanimantur. » *Perl.*

201. *Ob malefacta hæc.* Quum me tam male tractaverit. — *Tanti-*

Verum enim quando bene promeruit, fiat : suum jus postulat.
Age, jam cupio, modo si argentum reddat. Sed ego hoc hariolor :
Ubi me dixero dare tanti, testes faciet ilico,
Vendidisse me; de argento somnium. « Mox, cras redi. »
Id quoque possum ferre, si modo reddat; quamquam injurium 'st.
Verum cogito id quod res est, quando eum quæstum occeperis,

dem emptam. I.e. postulat hanc tradi, emptam a se tanto pretio, quanto est a me empta. Hoc autem inique ferunt mercatores qui suas merces pluris volunt vendere, quam quanti emerunt ipsi. Et huc pertinet Cic. in Verr. III, 192, citante Perl. « Mercatores, inquiens, non *tantidem* vendunt, *quanti* emerunt. » — *Postulat.* Bene dicitur hic verbum forense, quum Æschinus non recusaverit ire in jus.

202. *Verum enim.* Quamquam ironice hæc dicit Sannio, mitescere tamen videtur, et de suo jure concedere. *West.* — *Quando bene promeruit.* Quoniam adeo meruit ut illi, a quo vapulavi, morem gererem. — *Fiat*, quod vult. — *Suum jus postulat.* Reposcit quod ipsi, secundum jus, debet tribui. Ironice.

203. L. antiq. invert. *si modo.* C. G. m. *ariolor.* Sup. script. *divino.* Item Erasm. sine *h* aspirante. — *Modo si.* Dummodo. — *Hoc*, quod jam dicet. — *Hariolor.* Vaticinor, divino.

204, sqq. *Ubi me dixero dare tanti.* Duo veniunt in deliberationem. Primum reputat Sannio, si transigat cum Æschino de pretio, cæteram actionem de foribus effractis, de verberibus ac tot injuriis, quas paulo ante exaggeravit, hac ipsa transactione exstingui : deinde metuit, si semel fidem emptori habuerit, difficulter se accepturum, quod debeatur : Æschinum enim singula dicturum quæ morosi debitóres solent : *mox*, solvam ; *cras redi*, ut accipias; donec per tales moras evanescat denique forsan res tota. Hoc enim vult, quum dicit, vs. 205, *De argento somnium*, i. e. nihil accipiam, quasi quis diceret : « Argentum non videbo, nisi per somnium. » Moras equidem ferre possum, dummodo reddat denique pecuniam. *Quamquam injurium 'st*, scilicet, adigi ut vendas quod nolis. *Bœcler.*

205. *Somnium.* Comice ; idem quod vana res ; Ph. 873 ; Lucian. in Harmonide : Ὀνείρατά φασι, καὶ ἐπῶν σκιαί. *Perl.*

206. *Si modo reddat.* Jubet Bentl. legi *modo si redd.* ut vers. 203. Et citat vs. 29, Adelph. in quo legit *sicubi* pro *ubi si*, vulg.

207. *Quod res est.* Quod verum est. — *Quando*, si quidem. — *Eum quæstum*, sc. ut leno sis.

Accipiunda et mussitanda injuria adolescentium 'st.
Sed nemo dabit: frustra has egomet mecum rationes puto.

SCENA TERTIA.

SYRUS. SANNIO.

Syr. Tace, egomet conveniam ipsum : cupide accipiat faxo, atque etiam
Bene dicat secum esse actum. Quid istuc, Sannio, est, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? Sa. Nunquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam hæc quæ hodie inter nos fuit :

208. *Mussitanda*, tacenda et animo continenda. *Mussitare* enim proprie est, *dissimulandi causa tacere;* dictum, vel a *muto*, vel ab M, quæ littera est nimium pressæ vocis ac pæne nullius, adeo ut sola omnium, quum inter vocales inciderit, atteratur atque subsidat. Hinc Virgil. Æneid. XII, 657 : « *Mussat* rex ipse Latinus. » *Don.*

209. L. antiq. *deputo.* Elegantissimus hic versus Guyeto suppositicius audit.—Revolvitur ad deteriora timenda : *Sed nemo dabit*, sc. argentum a me flagitatum. — *Frustra has egomet mecum rationes puto.* Præparationis simul est genus ad accipiendas viginti minas : et totius summæ desperatio. *Don.* — *Puto*, supputo, subduco.

210. Al. *jam*, ante *ipsum.*—*Tace.* Hæc Syrus Æschino intus manenti respondet. Hic nempe servo concertatam cum Sannione rixam aperuerat : « Intelligo, inquit ille, rem totam, o Æschine, plura dicere mihi desine. » — Et quietum esse jubet herum, qui de eo, quod cum irato lenone pacto conveniretur, maxime sollicitus est. *West.*

211. *Bene dicat secum esse actum.* Recte *actum* addidit : nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiscum esse dicamus actum. *D.*

212. *Nescio quid.* Argute hoc positum. Callide namque dissimulat se scire quid rei actum sit, ut ita familiariter eliciat omnia ex ipso lenone. *West.* — *Concertasse.* In eo versatur hujus loci venustas quod adhibuit verbum *concertasse;* quo quidem statuit æquali jure frui et Æschinum, et lenonem. Ad id autem Sannionis responsio pertinet : *nunquam vidi iniquius Certationem comparatam*, etc.

213. *Compa. ...am.* Respicit cer-

Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.

SYR. Tua culpa. SA. Quid facerem? SYR. Adolescenti morem gestum oportuit.

SA. Quî potui melius, qui hodie usque os præbui? SYR. Age, scis quid loquar?

Pecuniam in loco negligere, maxumum interdum 'st lucrum. SA. Hui!

SYR. Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque

Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,

Ne non tibi istuc fœneraret. SA. Ego spem pretio non emo.

tamen gladiatorum, qui comparari proprie dicebantur. *West.*

214. Post *usque* distinguit Zeun. *verber. usque, ambo.* — *Ego vapulando, ille verberando*, etc. Item Juvenal. sat. III, 289: « Si rixa est, ubi tu pulsas, *ego vapulo* tantum. » *Perl.* — *Usque*, diu, multum.

215. Lind. We. al. ed. *Q. agerem.* — *Tua culpa.* Sub. *est*, si nominativum; *factum est*, si ablativum admiseris. — *Adolescenti.* Scilicet quem facilius assentatione capere potuisses.

216. SA. *Quî potui melius, qui*, etc. Junt. *quid pot. melius? usque os præbui.* Legend. monet Bentl. *qui hod. ei usq. os.* Ita et Both. — *Quî potui melius.* Scilicet morem gerere. — *Os præbui*, assidue percutiendum. — *Age, scis quid loquar?* I. e. quid velim dicere? Pronuntiatione blandiori et familiari exprimenda est horum verborum sententia. Ut subinde, 224: « Age, novi tuum animum. »

217. Multi libri τὸ *hui* Syro adscribunt, sed lib. antiq. Sannioni. — *Pecun. in loco neglig.* etc. Bene additum est, *in loco*, et *interdum*; non enim semper. Vult dicere, opportuno loco et tempore. Similis sententia, Plaut. Capt. act. II, sc. II: « *Est etiam ubi* damnum præstet facere quam lucrum. » Liv. II, 47: « Spreta *in tempore* gloria, *interdum* cumulatior redit. » Hor. Od. IV, 224: « Dulce est desipere *in loco.* » Perl. Menand. Βέλτιστον οὐ τὸ κέρδος ἐν πᾶσι σκοπεῖν.

218. *De tuo jure concessisses.* Remisisses. Sup. 194, *nolo vendere.*

220. *Ne non fœneraret.* Ne non cum ingenti fœnore reponeret. — *Istuc*, h. e. paululum, quod tu concessisses. — *Ego spem pretio non emo.* Ego spem lucri pecunia præsenti minime commuto. Non novum est, etiam *spem vendi* et *emi* recte posse. L. 73 ad L. Falcid. Veluti quum quis jactum retis, aut capturam avium vel ferarum, aut futuros partus, fœtusve arboreos præstinat. *Lind.*

SYR. Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.
SA. Credo istuc melius esse, verum ego nunquam adeo astutus fui,
Quin quidquid possem, mallem auferre potius in præsentia.
SYR. Age, novi tuum animum: quasi jam usquam tibi sint viginti minæ,
Dum huic obsequare: præterea autem te aiunt proficisci Cyprum. SA. Hem! 225
SYR. Coemisse, hinc quæ illuc veheres, multa; navem conductam, hoc scio.

221. *Nunquam rem facies*, ditesces.—*Abi.* Non vox est hominem jubentis exire, sed quasi respuentis et despicientis, ut stultum. Idem apud nos reperias: « Va, mon pauvre Sannion, tu ne feras jamais rien; tu ne sais pas amorcer ton monde. » — *Inescare.* Sicut aucupes qui avibus capiendis offundunt escam.

222. *Istuc*, quod sentis. Vid. vs. 217. — *Credo melius esse.* Non quod bona fide errorem, si quis est, leno fateatur; sed inire timet disceptationem, et semper ad rem, i. e. ad pecuniam suam tentat advenire.—*Astutus*, ironice dictum, quum in animo habeat, *stultus.*

223. *In præsentia.* Mark. addit, *quam in futurum.* Edit. Tarvis. *quam in futuro.* Utrumque ex glossa. *West.* — *In præs.* statim, sine delatione.

224. Multæ ed. *quidquam* pro *jam usqu.* — *Age.* Vox est prope amica et vividius hortantis, quia jam prope est Sannio, ut consentiat persuadenti.—*Novi tuum animum*, sub. *liberalem*, ex Donato; melius quam, *præsentis lucri avidum*, cum Farnab. — *Quasi usquam tibi sint.* Quasi numero in aliquo ducas, et in aliqua æstimatione constituas, quum sis huic obsecuturus.

225. Mss. Pall. *in Cypr.* Infra II, vs. 279, p. 49, *aiunt.*—*Te aiunt proficisci.* Et eum non *profecturum* dixit, sed jam *proficisci*; et non ab uno dicit se audivisse, ne negaret: sed *aiunt*, inquit. *Don.* — *Cyprum.* Uti meretrices eo vehat, aut inde advehat: quod Cyprus Veneri sit dicata. *Eugr.*

226. *Coemisse, hinc quæ*, etc. Nullam distinctionem ponunt Bent. Both. Zeun. Sed Bipont. distinguit post *hinc*, non post *coemisse.*—*Coemisse*, puellas. Sed neutro potius genere, *quæ multa*, utitur, ut pedetentim ad illum decipiendum accedat. Atque huc refer, quod ipse loquitur leno, *hinc alia quæ porto Cyp.* vs. 231. *Perl.*—*Nav. conduct.* Ergo res non moram patitur. *P.*—*Hoc scio.* Ita dixit, ut Ph. vs. 952. Id vero ubi dixerit Syrus, leno meditabundus tacet. *Perl.*

Animus tibi pendet. Ubi illinc, spero, redieris tamen, hoc ages.

Sa. Nusquam pedem. Perii, hercle! Hac illi spe hoc inceperunt. Syr. Timet.

Injeci scrupulum homini. Sa. O scelera! illud vide,
Ut in ipso articulo oppressit. Emptæ mulieres
Complures, et item hinc alia, quæ porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum venio, damnum maximum 'st.
Nunc si hoc omitto, actum agam; ubi illinc rediero,

227. Variant in distinguendo editi. Interrogant nonnulli post *pendet*, alii post *redieris*. — *Animus tibi pendet.* Incertus es ac dubius quid agas, an scilicet omittere debeas illam pecuniam, an iter. — *Tamen.* Id est, quamvis videaris incertus. — *Spero, hoc ages.* Non mihi dubium est quin tunc solummodo debitum exigas, postquam illinc redieris.

228. *Nusquam pedem.* C. G. m. sup. script. *feram.* — *Nusquam pedem.* Sub. *effero.* Id est, non abeo in Cyprum. — *Perii, hercle!* Hæc secum leno. — *Hac spe.* Me confestim esse profecturum. — *Hoc inceperunt.* Id est, promiserunt se reddituros viginti minas. — Bœcl. de hoc artificio, conferre jubet ad Arist. Rhet. I.

229. *Injeci scrupul. homini.* Scrupuli sunt minuti lapilli, qui inter ambulandum in calceos incidunt, ac pedem torquent: unde *injicere scrupulum* dicitur, qui alicui sollicitudinem et dubitationem affert; *scrupulum eximit*, qui cura liberat. *Juvenc.* — *O scelera!* Id est, o scelestos! — *Illud vide.* Loquitur, quasi adstaret alter, apud quem indignationem exprimeret suam; et est usitata in tali re formula.

230. *Ut in ipso articulo oppressit.* Sub. *me.* Id est, ut me inopinum invadit ipso tempore, quo minime paratum esse me sensit. Pergit in metaphora, ut animadvertit Donatus; scrupulus enim in calceos incidens, pedum articulos oblædit. — Quum autem hæc exquisitius fortasse videantur explicata, revocari licet momentum temporis dici *articulum*, sive quia præteritum et futurum quasi conjungit, ut articuli committunt partes pedum; sive quia est minima pars temporis, ut *articulus*, membri pars minima. — *Oppressit*, pendere potest ab *illud*, seu ab *Æschinus*, quod prætulerimus, ex Perleto, ob vs. 239, in quo hoc idem verbum de juvene dicitur.

231. *Hinc alia.* Addit *multa* Guelf. 3.

232. *Venio.* L. antiq. *veniam.* — *Actum.* Disjung. Be. *ac tum.* — *Damnum maximum 'st.* Intellige *erit;* præsens pro futuro. — *Nunc.* Ex altera autem parte, de qua hic agitur. — *Hoc omitto*, id est, negotium cum Æschino exigendum. — *Actum agam.* Videbor velle rem confectam et transactam iterum ordiri; litem decisam rursum intendere; opem lusero. *Juv.* — *Illinc.* E Cypro.

Nihil est, refrixerit res. « Nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? » Ut sit satius perdere,
Quam aut hic nunc manere tam diu, aut tum persequi.
Syr. Jamne enumerasti, id quod ad te rediturum putes?
Sa. Hoccine illo dignum 'st? Hoccine incipere Æschinum?
Per oppressionem ut hanc mî eripere postulet?
Syr. Labascit. Unum hoc habeo, vide si satis placet:
Potius quam venias in periculum, Sannio,
Servesne an perdas totum, dividuum face.

234. *Nihil est.* Nulla spes est. — *Refrixerit res.* Voluntas debitoris imminuta erit.

235. *Nunc dem. venis? Cur passus? ubi eras?* Quasi mimesis est eorum, quæ aliquando ab Æschino vel quovis alio objici poterunt lenoni. *West.* — *Cur passus?* Sub. cur pass. es te tanto tempore absentem esse? vel, cur pass. es tibi debitum eripi? — *Ut*, particula, concludendi. Gall. *de telle sorte, en résumé, que*, etc.

236. *Aut hic nunc manere.* Alii τὸ *hic*, alii τὸ *nunc* delent. — *Tam diu*, dum iter non facio Cyprum. — *Tum*, quum rediero.

237. *Jamne enumerasti*, etc. Reliquerat Syrus, veluti per dissimulationem, Sannioni spatium deliberandi; postquam is negaverat se peregre iturum. Nunc, post interpositam moram Syrus: « jamne enumerasti, inquit, et rationem satis subduxisti quid sit, i. e. quantum sit, quod ad te redibit, sive, quantum lucri sis facturus, Cyprium mercatum negotio Æschini, aut hoc illi præferendo? » Hac enim dubitatione animum lenonis diverse trahere volebat. Sequentia clare id ostendunt, quando Sannio simulat, Cyprium iter se posthabiturum. *Bœcler.* — Non tam vere, ut nobis videtur, intelligunt, qui explicant, « Jamne tecum computasti, quod recipere debes argenti. » — *Ad te.* Bru. c. e. *a te*, vitiose. Nisi litera *d* a simili sequente est absorpta.

238. *Hoccine.* Contendit Bentl. scribendum *hocine.* — *Hoccine.* Talis agendi modus. — *Illo*, Æschino. — *Incipere*, aggredi.

239. Versum hunc Guy. exsulare jubet. — *Per oppressionem.* Per vim me cogendo. Sc. quum Æschinus Sannionem in domo ipsius de puella eripienda opprimeret. *Perl.* — *Postulet*, pro *velit*, aut *speret;* sed tamen vim majorem habet.

240. *Unum hoc habeo.* Palmerius *virum hoc habeo.* — *Labascit.* Nutat animo. Hæc secum Syrus. Vs. 238, 239, dixerat, *timet*, *injeci scrupulum homini.* Nunc, *labascit*; ut gradus ostenderentur, quibus servilis astutia, lenonis invicem Syrum captantis calliditatem superavit. *Bœcl.* — *Unum hoc habeo*, sub. quod tibi dicam. — *Si satis placet*, sc. consilium quod præbebo tibi.

242. *Dividuum.* Mss. quid. *dimidium.* — *Dividuum face.* Divide summam in duas partes. Tu petis viginti minas, decem cape. Mart.

Minas decem corradet alicunde. SA. Hei mihi!
Etiam de sorte nunc venio in dubium miser.
Pudet nihil. Omnes dentes labefecit mihi;
Præterea colaphis tuber est totum caput;
Etiam insuper defrudet? Nusquam abeo. SYR. Ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? SA. Immo hercle hoc quæso, Syre:
Utut hæc sunt acta, potius quam lites sequar,
Meum mihi reddatur, saltem quanti empta 'st, Syre.
Scio te non usum antehac amicitia mea:
Memorem me dices esse et gratum. SYR. Sedulo

epigr. I, 75 : « Dimidium donare Lino quam credere totum Qui mavult, mavult perdere dimidium. » *F.*

243. *Minas dec.* etc. In quibusdam Mss. ita ordinantur voces : *Min. corrad. alicund. dec.* Both. *dec. min.* — *Corradet.* Inveniet, extricabit. — *Alicunde*, dictum de eo cui minæ non sunt in promptu.

244. Post *miser* interrogant Bent. Both. Zeun. — *De sorte. Sors* vocatur summa cui extrinsecus acquiritur fœnus. Ergo *sortem* dicit de pretio quo empta est, i. e. viginti minis. *Don.*

245. *Pudet nihil.* Interrog. Bent. Both. Zeun. et Delph. qui non fecerat in versu præced.—*Pudet nihil.* Sub. Æschinum. — *Omnes dentes labef.* etc. Injuria lenoni tunc dolet, quum adjuncta damno est.

247. *Defrudet.* Sic vet. Be. codd. In C. G. m. *defraudat.* Al. *defrudat.* —*Defrudet?* Per *fraudem* mihi puellam eripere audebit? — *Nusquam abeo.* Nec Cyprum, nec in quemvis alium locum ibo. — *Ut lubet.* Frigide et cum contemptu respondit Syrus.

248. *Immo hercle hoc quæso.* Mss. Lips. *Immo hercle quæs.* omisso *hoc.* — *Numquid vis, quin abeam?* Nihilne habes præterea, quod mihi dicas; quominus a te discedam?— Nobis autem nimium ingeniosus videtur Perletus, dum adnotat : « Servili facetia addit Syrus, *quin abeam;* quia clamaverat ille, *nusquam abeo.* » — *Hoc quæso.* Scilic. *meum mihi redd.* etc. vs. 250.

249. *Acta.* Sic Fa. In plerisque Be. *facta.* — *Utut hæc sunt acta.* Omissa satisfactione quam meo possem jure reposcere. —*Potius quam lites sequar.* Quia dixerat Æschinus supra, vs. 196: « nunc vide utrum vis, etc. »

250. *Reddatur.* Bi. leg. *reddat*, ex auctoritate quorumd. codd. — *Meum, quanti empta'st.* Hæc mea pecunia qua illam emi. — *Saltem.* Τὸ ἴσχατον. Natum est autem a captivis *saltem*, qui nihil aliud præter *salutem* a victore petunt. *Donat.*

251. *Scio te non usum.* Mss. Lindenbr. *te non esse usum.*

252. *Memorem*, etc. Legit Both. *M. me esse atque gr. dic.*—*Memorem me dices esse et gratum.* Ante hæc præmitte, *nihilominus, attamen.* —

Faciam. Sed Ctesiphonem video. Lætus est
De amica. Sa. Quid? quod te oro. Syr. Paulisper mane.

SCENA QUARTA.

CTESIPHO. SYRUS.

Ct. Abs quivis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas;
Verum enim vero id demum juvat, si quem æquum 'st facere, is bene facit.
O frater, frater! quid ego nunc te laudem? Satis certo scio :
Nunquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua.
Itaque unam, hanc rem me habere præter alias præcipuam arbitror,

Memor est qui beneficii meminit; *gratus*, qui vicem etiam reddit.

253. Bi. adscribit huic versu *De amica*, quas voces in sequenti versu reponimus. — *Sedulo faciam.* Sincere et *sine dolo* consulam tuis commodis.

254. Guy. integrum hunc versum hominis indocti fœtum dicit: sed merito vapulat a Bœclero. *West.* — *Lætus est de amica*, quam nunc possidet. — *Quod? quod te oro.* Id est, quid? agesne quod te precor. — *Paulisper mane.* Adde, *seorsum.*

255. *Abs quivis.* A quolibet.

256. *Is bene facit.* Don. *bene* omisisse aut potius non legisse apparet ex verbis ejus : « *bene* subaudiendum est bis numero. » Mss. quidd. *benefacere*, *benefacit*, alii contra, *facere*, *benefacit*. — *Id demum juvat.* Ostendit plus esse quod *juvat*, quam *gaudium.* Don. — *Quem æquum 'st facere*, ex necessitate nempe propinquitatis.

257. *Quid ego nunc te.* Br. *qui ego te nunc.* — *O frater, frater!* Ctesipho maxima lætitia affectus geminat vocationem *frater*; contra Cicero, summa calamitate exsilii oppressus, fratri suo scribit, ter item posita hacce vocatione, *mi frater, mi frat. mi frat.* Ep. ad Q. Fr. I, 13. *Perl.* — *Quid*, propter quid, cui bono?

258. *Dicam.* C. G. m. sup. script. *de tuis laudibus.*

259. *Alias.* Sic a Bent. correctum recepit Perlet. Vulg. *alios.* — *Præter alias.* Præ aliis rebus.

Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.

Syr. O Ctesipho! Ct. O Syre! Æschinus ubi est? Syr. Ellum, te exspectat domi. Ct. Hem!

Syr. Quid est? Ct. Quid sit? Illius opera, Syre, nunc vivo, festivum caput!

Qui omnia sibi post putavit esse præ meo commodo.

Maledicta, famam, meum amorem, et peccatum in se transtulit.

Nil pote supra. Sed quisnam? Foris crepuit? Syr. Mane, mane: ipse exit foras.

260. *Homini nemini.* Sic l. Bemb. Vulg. *homini neminem.* Sunt qui *hominem neminem*, ex libb. antiq. legunt. — *Homini nemini*, pro simplici *homini.* — *Primarum artium magis principem.* Qui sit magis anteferendus primis artibus, humanitate, beneficentia.

261. Post *ellum*, alii interrogant, alii exclamant. — *Æschinus ubi est?* Bene statim de illo, cui agebat gratias, loqui cœpit. — *Ellum*, ecce illum; et ostendit domum ubi nunc est Æschinus. — *Hem!* Interjectio est lætantis.

262. *Festivum caput.* Edd. plur. et Heinsius hæc Syro tribuunt. — *Quid est?* cur sic exclamas? — *Quid sit?* Rogas quid sit? admirantis hæc sunt, magis quam rogantis. — *Illius opera nunc vivo.* Mira est amplificatio beneficii. Non dixit, « illius opera amicam habeo, » sed quod satis grave, et satis amatorium, *illius opera nunc vivo*, inquit. *Don.* — *Festivum caput!* O hominem cui mea gaudia debeo!

263. *Qui omnia.* Sic lib. antiq. At Don. *quin.* Al. *quine* per interrogat. perperam. *Perlet.* — *Putavit*, lib. ant. *putavit.* — *Præ meo commodo.* Præ comparatione mei commodi.

264. *Amorem.* In quibusdam reperitur *laborem.* — *Maledicta.* Id est, aut lenonis, aut Demeæ, aut Micionis. — *Famam.* Scil. populi. — *Meum amorem et peccatum.* De raptu amatæ mulieris.

265. *Nil pote supra.* Lib. Bentl. omn. *Nil supra potest.* — *Quisnam.* Par. *quidnam.* Be. *namquid*, pro *sed quisnam.* — *Nil pote.* Pro *nil potest*, et sub. esse supra hoc beneficium fratris mei. — *Crepuit.* Strepuit intus, ab eo pulsata qui cavit ne repente in viam protrusa, præteruntes læderet foris. — *Mane, mane.* Gaudentis est sic geminare. — *Ipse.* Æschinus.

SCENA QUINTA.

ÆSCHINUS. SANNIO. CTESIPHO. SYRUS.

Æs. Ubi ille est sacrilegus? Sa. Me quærit. Num quidnam effert? Occidi!
Nihil video. Æs. Ehem! Opportune, te ipsum quæro. Quid fit, Ctesipho?
In tuto est omnis res: omitte vero tristitiam tuam.
Ct. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem. O mi Æschine,
O mi germane! ah, vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existumes.

266. *Me quærit.* Vulg. *men' quærit?* — *Effert.* Var. Mss. *effertur, affert.* — *Ubi ille est sacrilegus.* Mire Æschinus servat adversus lenonem superbiam, qua ostenditur tanto esse alienior ab amoribus meretricis, quanto audacior in lenonem. *Don.* — *Me quærit.* Hæc Sannio secum. Facete est, si legas sine interrogatione, ait Faber; ubi scilicet *sacrilegum* nominari audet, de se sermonem esse putat; se videlicet noverat Sannio. Et vide quanti faciat præ lucro injuriam; cum quadam enim gesticulatione et subsultatione sperantis loquitur. — *Num quidnam effert?* Sc. argenti. Leno videlicet spe pretii accipiendi incitatus, Æschino nihil efferente, misere exclamat: *occidi! nihil video.*

267. *Quæro.* Admittunt quid. *quærito.* — *Te ipsum,* o Ctesipho. — *Quid fit?* Scisne quo res tua loco sit? quid agatur? qui vales. Blandum est et amice solliciti initium.

268. *Tristitiam.* L. Bemb. *tristitiem.* — *In tuto est omnis res.* Quasi amatori, omne dixit negotium de amica. Melius hac interpretatione τὸ *omnis res* explicat Donat. quam quum idem proponit his vocibus alludi ad lenonis jurgium, et suspicionem Demeæ. — *Vero* abundat: aut correptivum est, contra jamdudum non omittentem.

269. *Hercle.* Mur. ed. *facile.*

270. *Ah, vereor.* Both. *at vereor.* Br. *coram* omittit. — *Coram.* Ad ipsum pertinet qui laudat, et ad eos qui audiunt: *in os* ad ipsum qui laudatur. Hic congruum est, quod Aristotel. dicit, Rhet. II, ἐπαινεῖν παρόντα κολακείας ἐστί.

271. *Ne id ass.* Ien. non hab. *id.* — *Quam quo.* Al. *quod.* — *Id.* Sc. quod te laudem. — *Assentandi magis,* sub. *causa.* Græca locutio per el-

Æs. Age, inepte! Quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.
Hoc mihi dolet, nos pæne sero scisse, et pæne in eum locum
Redisse, ut si omnes cuperent, tibi nil possent auxiliarier.
Ct. Pudebat. Æs. Ah, stultitia 'st istæc, non pudor, tam ob parvulam
Rem, pæne ex patria...Turpe dictu. Deos quæso, ut istæc prohibeant.
Ct. Peccavi. Æs. Quid ait tandem nobis Sannio? Syr. Jam mitis est.

lipsin; Sall. exercitum *opprimendæ libertatis* habet.—*Quam quo habeam gratum.* Quam ut eo me beneficii memorem præbeam.

272. *Nunc non.* Hoc *non* We. omitt. et *nunc* explicat emphatice esse *nunc* demum. — *Inepte.* Non est injuria, quia et major frater est, et blanda dicturus. — *Quasi nunc.* Quasi nulla jam inter nos esset notitia, amicitia.

273. *Hoc mihi dol.* Al. præmitt. *Sed.* — *In eum locum.* Be. ing. in eum rem locum. — *Pæne sero.* Id est, pæne nimis sero. — *Scisse.* Puellam Cyprum esse deportandam, et pro mancipio vendendam.

274. *Redisse.* C. G. m. sup. script. *tuum amorem.*—*Redisse.* Sub. *nos;* i. e. nos redactos fuisse. — *Si omnes cuperent,* etiam si non ego solus, sed omnes simul homines.

275. *Ah, stultitia.* Br. Alia *stultitia.* — *Pudebat.* Supplet West. «Amorem meum aperire fratri.» Malimus: «Pudebat te admonere ita rem urgere.» —*Stultitia 'st istæc, non pudor.* Malus hic pudor atque inutilis, qui egentes impediat a poscenda amicorum ope et benignitate. Hesiod. Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει. Homer. Odyss. P. Αἰδὼ δ' οὐκ ἀγαθήν φασ' ἔμμεναι ἀνδρὶ προίκτῃ. *Farnab.* — *Tam ob parvulam Rem.* Id est, meretricem, ex Donato; vel forsan melius, ob rem cui tam facile erat medicinam admovere, ut ego feci.

276. *Ex patria.* C. G. m. *excepisse.* Glossæ speciem habet. — *Ut istæc.* Z. *et istæc.*—*Pæne ex patria...* Subaud. profugisse. — *Turpe dictu.* Recte: quippe quum libero homini patria cæteris rebus omnibus, ne dicam meretrice, carior esse debet. *Perl.* — *Istæc.* Nempe fugam patriæ præ desperatione in amore.— Menander (ut dicit Donatus), vel Diphilus (ut rescribendum putat P. Nannius, ex Prolog. vs. 6), mori juvenem voluisse fingit. Quum autem id nimis tragicum esset, merito illud Terentius mutavit; unde satis liquide judicare possimus qua ratione græcas Noster Latinus verteret.

277. *Peccavi.* Qui consilia mea non communicaverim cum tali fratre. —*Nobis,* τῷ ἰδιωτισμῷ additum est, pro *mihi.* Non enim *nobis* intelligendum est. — *Tandem.* Cui tam

Æs. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam; tu intro ad illam, Ctesipho.
Sa. Syre, insta. Syr. Eamus: namque hic properat in Cyprum. Sa. Ne tam quidem;
Quamvis etiam maneo otiosus hic. Syr. Reddetur: ne time.
Sa. At ut omne reddat: Syr. Omne reddet: tace modo, ac sequere hac. Sa. Sequor. 281
Ct. Heus, heus, Syre! Syr. Hem! quid est? Ct. Obsecro, hercle, hominem istum impurissimum

longum dedi tempus, ut secum reputet. Vide supra vs. 197. — *Jam mitis est.* Contra illud vs. 185: « si jam satis debacchatus es, leno. » Minime autem placet explicatio Perleti: *mitis*, i. e. colaphis contusus. Quamvis ad locum in Eunucho, non ita absimilem conferre jubeat. Vide Eunuch. vs. 1004.

278. *Ego ad forum.* C. G. m. *ego apud forum.* — *Ad forum.* Ubi scilicet tabernæ erant argentariæ, unde, pignore dato, sumere licebat, quantum opus esset argenti. Tunc enim, ut adnotat Donatus, in foro, et de mensæ scriptura magis, quam ex arca domoque, vel cista, pecunia numerabatur. Ita in Phorm. 920: « Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi argentum rursum jube rescribi. » — *Hunc.* Sannionem. — *Absolvam.* Reddito illi pretio dimittam: nam veluti ligati sunt, quibus debetur aliquid. Est ergo *absolvam*, pro, *a me solvam.* An jocatur in tristitia Lenonis, qui illum cum barba lenonia et mœsto vultu sequitur, tanquam reus? *Donat.* — *Ad illam.* Ad amicam; et sub. ire propera.

279. *Ne tam.* In C. G. m. sup. script. *cito ibo.* — *Insta.* Urge Æschinum, ut mihi argentum renumeretur.—*Eamus: namque*, etc. Hæc Syrus pronuntiat, quibus mercatorem terreat. Is nempe timet ne velit Æschinus lucro apponere necessitatem proficiscendi in qua versatur ipse, et argentum neget: itaque subjicit: *Ne tam quidem*, sub. festino, propero.

280. *Quamvis.* Quantumvis, quamdiu tibi libuerit. — *Otiosus.* Sine negotio.

281. *At ut omn. redd.* Mark. *Ah, fac ut omne reddat.* — *At ut omne reddat.* Sub. *effice.* Alludit hoc ad ea quæ Syrus dixerat, *dividuum face.* Et probatum est, completumque quod ait: *cupide accipiat faxo.* Et hoc ipsum cum trepida et vultuosa supplicatione pronuntiandum. *Don.* —*Sequor.* Hoc verbo leno satis commitigatus ostenditur. *Id.*

282. *Obsecro, hercle.* Be. ex vet. addit, *te.* — *Heus, heus, Syre!* In domum introgressus fuerat Ctesipho, sed veritus ne debacchetur et clamet leno, exit iterum, ut eum absolvendum fratri suo commendet. — *Impurissimum.* Hoc est, avarum. Eodem significatu Cicer. pro Cluent. 25: « Quæ pecunia simul atque ad eum delata est, homo *impurissimus* statim cœpit, etc. » *Perleti*

Quam primum absolvitote, ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.
Syr. Non fiet, bono animo es : tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos jube sterni nobis, et parari cætera.
Ego jam transacta re convortam me domum cum obsonio.
Cr. Ita quæso, quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

283. *Absolvitote.* Debita pecunia donate. — *Ne, si magis irritatus siet.* Tanquam dicat : si clamet; et proprie de lenone, quem irritari dicit ut canem. Nam *irritari* proprie canes dicuntur. Lucilius de litera *R* : « Irritata canis quod homo quam plurima dictat. » Lenonem autem timet Ctesipho ut rusticus, ut sub patre duro, ut amator. *Donat.*

284. *Aliqua.* Quasi diceret per aliquam rimam. Sic et alibi de committendis secretis loquens : « Plenus rimarum sum : hac atque illac perfluo. » — *Hoc permanet.* Rumor hujus rei perveniat. — *Perpetuo.* Omnino. — *Perierim.* Timet abdicationem et exheredationem. Abdicandi autem filium causæ fuerunt : si filius noctu foris cubuisset; si comessaretur; si lenones pulsasset (ut jam supra vidimus); si paternæ voluntati repugnasset. Fab. lib. III, cap. 7, et lib. VII, cap. 4; Plinius, lib. VII, cap. 45; Cod. lib. VIII, 47, de Patr. potest. *Farnab.*

285. *Bono animo es.* C. G. m. *esto*, atque insuper *sis.* — *Non fiet, bono animo es.* Ut illi liberalis timor est, ita Syro servilis confidentia. *Don.* — *Cum illa te oblecta.* Honeste explicavit turpe dictu. *Id.*

286. *Lectulos.* Be. *lectos.* — *Lectulos.* Quibus ad mensam accumbamus. — *Nobis.* Servus ait *nobis;* quod bene comicum est; et vide ut totum superbe ac magnifice loquatur Syrus. *Don.*—*Et parari cætera.* Loquitur ex more servorum, quorum animus, heris vel gravissimis rebus districtis, semper in patinis erat. *West.*

287. *Ego jam.* Edit. anon. et Guelf. 3, *Ego autem jam.* —*Transacta re.* Cum hoc Sannione.—*Convortam me domum.* Dicitur magnifice *convortam.* Verbum est etiam magni moliminis et agminis ingentis. Nam *convertere se*, dicitur quum pompa præcedit; ut Imperator proprie convertit exercitum. *Don.* — *Cum obsonio.* Cum lautis dapibus.

288. *Hilarem hunc sum.* Correxit Palmer. *hilare sumam.* — *Ita quæso.* Sic fiat, quæso. — *Quando.* Si quidem. — *Hoc.* Raptus puellæ. — *Sumamus.* Consumamus, ut Græcis usurpatur καταναλίσκειν. Volunt quidam, ut animadvertit Donat. et hunc versum Syri personæ adjungendum : sed Ctesiphonis verba esse ex subditis planum est, quum dicit, « hunc diem misere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere. » *Don.*

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

SOSTRATA. CANTHARA.

Sos. Obsecro, mea nutrix, quid nunc fiet? Ca. Quid fiat, rogas?
Recte ædepol spero. Sos. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.
Ca. Jam nunc times, quasi nusquam adfueris, nunquam tute pepereris.
Sos. Miseram me! neminem habeo: solæ sumus. Geta autem hic non adest,
Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Æschinum.
Ca. Pol is quidem jam hic aderit: nam nunquam unum intermittit diem,

289. *Mea nutrix.* Alii, *mea tu nutrix.* — *Quid fiat.* In antiq. *fiet.* — *Rogas.* Alii, *rogitas.* — *Mea nutrix.* Hinc demonstratur quid sit maternus affectus: quam grata in dominos servorum fides sit; eumdemque laborem et dolorem ex falsis et veris malis. *Don.* — *Quid nunc fiet?* Imploratio est magis trepidantis, quam ignoratio et interrogatio. Namque illius nutrix est, sed non sapientior quam domina. *Don.*

290. *Modo dolores*, etc. Tan. Faber nutrici verba hæc assignat, non Sostratæ. — *Recte.* Sub. *fiet.* — *Modo.* Adverbium hic est præsentis temporis. — *Dolores.* Parturientis. — *Primulum.* Initium doloris diminutive demonstrat.

291. *Nusquam.* Sic Be. e cod. S. Petr. elegant. quam *nunquam* vulg. — *Tute.* Tu ipsa.

292. *Neminem habeo.* Qui opem ferat. — *Geta autem hic non adest.* Interfuit quippe Geta jam rixæ qua Æschinus meretricem rapuit, uti mox narrabit ipse, scena quæ sequitur. *Farn.*

293. *Nec quem.* Be. ing. *nec est quem.* — *Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat.* etc. Subaudi *adest*, quod præcedit.

Quin semper veniat. Sos. Solus mearum est miseriarum remedium.

Ca. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum 'st, hera,
Quando vitium oblatum est, quod ad illum attinet potissimum,
Talem, tali genere atque animo, natum ex tanta familia.

Sos. Ita pol est, ut dicis : salvus nobis, Deos quæso, ut siet.

295. *Mearum est miseriarum*, Alii dispon. *mearum miseriarum est.* — *Quin semper veniat.* Per πλεονασμὸν additur *semper*, quum dixerit *nunquam unum diem interm.* Sed de industria ponitur, quo melius Æschini assiduitatem significet. — Nec *semper* ad omne tempus referendum est, ut bene animadvertit Donat. verum ad omnes dies, nullo unquam deficiente.

296. *E re nata.* Codd. Bent. omn. *natæ.* Guelf. 3, *natæ tantæ.* — *E re nata melius fieri haud potuit, quam factum 'st.* Quandoquidem ista res, id est, filiæ tuæ graviditas, nata est, nihil ex hoc eventu melius contingere potuit, quam contigit. — Sin legeris *e re natæ*, intelligendum erit cum Bentl. « ex commodo filiæ tuæ, » vel, cum Donato, « ex vitio virginis. »

297. *Quando vitium oblat.* Bip. *oblat. quando vitium.* — *Quando vitium oblatum est, quod ad illum attinet*, etc. Si quidem illud stuprum quod natæ tuæ per vim illatum est, ad illum, ad Æschinum, sc. auctorem attinet. — Eadem locutio *vitium oblatum* occurrit Hecyr. v. 383. — *Potissimum.* Felicissime, ita ut nihil sit potius. Et est adv. si bene noverimus, potiusquam superlativum ad Æschinum, ut vult Donat. referendum.

298. *Tali genere atque animo.* Delph. *tali genere, tali animo.* Pro *genere* Bent. fingit *ingenio.* Nihil enim interesse inter *genus* ac *familiam* fortiter contendit; ideo Don. qui in vulgata acquiescat lectione, satis laborare, quomodo *genus* ab *familia* distinguat. Atqui Donatus distinguit inter ea *genus* ad vivos referendo, *familiam* ad defunctos. Sunt qui *genus* pertinere existimant ad nobilitatem, *familiam* ad copias. Infra, 410, 412. *Perlet.* — *Talem.* A pulchritudine. — *Natum ex tanta familia.* Ex domo tam divite. Ergo *tali genere* ad nobilitatem refertur, et *familiam* ad copias. Nisi cum Bentl. hoc discrimen a Donato constitutum velis reponere inter « deliramenta Magistrorum, qui, quum emendare nesciant, quovis modo explicare audent, et pro *genere*, restituere *ingenio.* » — Hæc omnis παρέκτασις tragica est gaudiorum introductio ante funestissimum nuntium. Vid. scen. seq. *Don.*

299. *Salvus nobis.* Abest *nobis* Guelf. 3. — *Ita pol est, ut dicis.* Quam falso judicavisse Sostrata jam-jam sibi videbitur! — *Salvus nobis ut siet.* Nobis servetur.

SCENA SECUNDA.

GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

GET. Nunc illud est, quod, si omnia omnes sua consilia conferant, 300
Atque huic malo salutem quærant, auxili nil adferant,
Quod mihique heræque filiæque herili est: væ misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest,
Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia!
Hoccine sæclum! o scelera! o genera sacrilega! o hominem impium! 305

300. *Omnia omnes.* Sic Bent. ex Codd. suis numerosius, quam Fa. *omnes omnia.* Perlet. — Secum solus Geta loquitur, nec visa Sostrata. — *Nunc illud est, quod, si*, etc. Nunc rerum nostrarum conditio in hoc statu est, ut ad eam nihil omnes auxilii adferant, etiamsi conferant omnia consilia sua, et quærant huic malo salutem; tantum est infortunium quod evenit mihi, etc. Posterius *quod* intelligimus ut in locutionibus ejus modi : « *quæ* illorum est audacia, » id est, « tanta est ill. aud. »

301. *Nil.* Non contrahunt alii.— *Huic malo.* Perfidiæ Æschini, sibi compertæ, ut credit. Vid. infra.

302. *Mihique heræque.* Guelf. 3, *mihi*, omisso *que.* Expungit hunc versum probæ latinitatis et artificii Guyetus, sed πάθος currentis clamantisque Getæ valde imminuit. *West.*

303. *Tot res*, etc. Per exclamationem dictum. — *Repente circumvallant.* Velut inimica acies contra nos, et ideo addidit, *unde emergi non potest;* addit autem *repente,* quia hactenus nihil metuerant omnino aut præviderant periculi, quæ erat ipsorum confidentia.

304. Hæc singula a Don. explicantur : « *vis* illata; *egestas*, ipsius puellæ; *injustitia*, judicum illius temporis; *solitudo*, a defensoribus; *infamia*, ab iis qui credunt pretio vitiatam. » Omnia quidem recte, sed *injustitia* intelligi quoque potest, ex eo quod Æschinus, data fide, aliam amat, vel generaliter sumi pro injustitia erga miseros nimium usitata.

305. *Hoccine sæclum!* Lib. antiq. *sæculum*, versu repugnante. *Perlet.* —*Hom. impium!* Plerique *hom. impurum! —Hoccine sæclum! o scelera! o genera sacrilega!* Adeone sceleratos esse homines ejus ætatis. Itid. Cic. in Catil. I, 1, *o tempora, o mores!* et festivius nostras RACINE, *les Plaideurs*, act. I, sc. 6:

Le monde est devenu, sans mentir, bien méchant.

Sos. Me miseram! Quidnam est, quod sic video timidum et properantem Getam?

Get. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia

Repressit, neque reflexit, neque quod partus instabat prope,

Cui miseræ indigne per vim vitium obtulerat. Sos. Non intelligo

Satis, quæ loquatur. Ca. Propius, obsecro, accedamus, Sostrata. Get. Ah,

Me miserum! vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.

Nihil est quod malim, quam illam totam familiam mihi dari obviam,

Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc est recens.

— *O hominem impium*! Æschinum scilicet.

306. *Quidnam est, quod.* Quida. est propter quod. — *Timidum.* Perturbatum. Non enim timet, sed dolet. Sic Plautus in Bacchidibus, I, 2, 73 : « Nam ut ex navi vecta es, credo, timida es. » *Don.*

307. *Neque illum misericord.* Don. monet, *illum* abundare. Ms. Par. 3, *ulla.* Bip. *illiu' misericordia.* — *Quem neque fides.* Ordo est *hominem impium* (vs. 305) *quem*, etc. et pergit servus, non audita Sostrata. — *Neque fides, neque jusjurandum.* Promisit, imo et juravit, vid. vs. 332. — *Misericordia.* Quia vim intulit. — *Neque illum.* Venuste *illum* abundat. Sic Virgil. Æn. V, 447 : « Nunc dextra ingeminans ictus, nunc *ille* sinistra. » Itid. infr. vs. 316.

308. *Repressit.* Talia meditantem. — *Reflexit.* Jamjam facturum. — Tò *neque* sæpe repetitum exaggerat crimen. — *Quod partus instabat prope.* Αὐξητικῶς addidit non tantum mariti, sed etiam patris scelus. *Donat.*

309. *Indigne per vim.* Both. leg. *indigniter vi.* — *Cui miseræ.* Deest *ei.* — *Indigne.* Impie, crudeliter. — *Vitium.* Stuprum.

310. *Quæ loquatur.* Both. *quæ loquitur.* — *Non intell. sat. quæ loq.* Obstat enim ne plane intelligat Sostrata, et quod removeatur a Geta, et quod hujusmodi infortunium ne auderet quidem suspicari. Vide supra, vs. 295 : « Æschinus solus mearum est miser. remed. »

311. *Compos an.* Apud me. Cui opponitur *impos.*

312. *Illam totam.* Cod. reg. non habet *totam.* Both. legit *quam illanc t. f. dari obviam*, omisso *mihi.* — *Mihi dari.* Al. *dari mihi*, aut *dari mi.* — *Illam totam familiam.* Æschinum, Demeam, Miciouem.

313. *Ut ego iram hanc.* A pleris-

Satis mi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus;
Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis?
Sublimem medium arriperem, et capite pronum in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam;
Adolescenti ipsi eriperem oculos, posthæc præcipitem darem;

que Mss. *ego* abest. — *Ægritudo hæc est rec.* Unus e veter. *ægr. est hæc.* — *Iram hanc.* Iram meam. — *Ægritudo.* Dolor.

314. *Dum illos ulcisc. modo.* Both. *dum illos ulc. meo modo.* — *Satis mi id habeam supplicii*, etc. Pœnam, me judice, sufficientem subibunt, modo ipse ego agam vindicis partes; et statim explicat: *seni animam*, etc. Quin adnuamus doctissimæ Dacieriæ: *je souffrirais tel supplice que l'on voudrait*, obstant tum recta sermonis ratio, tum unanimis interpretum consensus, tum quia eadem fere locutio occurrat in Phorm. vs. 1828 eo sensu quem recepimus explicanda.

315. *Animam.* Br. *animum.* — *Seni.* Demeæ. — *Primum.* Quod ordinem significat. — *An. exstinguerem.* Bene exstinguerem, quia ignis est. *Donat.* — *Qui ill. prod. scel.* Hinc patet Demeam intelligi, non Micionem. Adnotat hoc loco Dacieria: « Quoique Déméa fût très-éloigné d'approuver ce que faisait son fils, Géta est si transporté de colère qu'il trouve que ce bon homme, en donnant le jour à Eschinus, a fait un assez grand mal pour mériter qu'on lui ôte la vie. » — *Scelus.* Scelestum juvenem, Æschinum.

316. *Impulsorem.* Improbum adolescentis magistrum.

317. *Et capite pronum.* Palmer. *pronum* restituit primus, quod vero vocabulum ob tantam similitudinem scripturæ facile corrumpebatur in *primum*. In C. G. m. quidem script. invenit Perlet. *pmu*, ut vix constet, utrum illorum verius legatur. Sed *primum* ex versu 315 huc migrasse verisimile est. — *In terr. statuerem.* Præcipitarem. Itid. Catull. XVII, 9, edit. nost. p. 77.

318. *Dispergat.* Alii, enallagen temporis non admittentes, *dispergeret* ediderunt. — *Dispergat*, pro *dispergeret*, quod vult omnino scribendum Faber: alioqui solœcismum fere contra tempus; sed lectio potest retineri, et solœcismus in ore servi, ejusque irascentis, potest condonari.

319. *Post hæc.* Guelf. 1, *post hoc.* — *Eriper. oculos.* Frigide admodum et fatue, ni fallimur, adnotat Don. « Bene *oculos*, amoris indices adjutoresque flagitii. »

Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem.
Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? Sos. Revocemus. Geta! Get. Hem,
Quisquis es, sine me. Sos. Ego sum Sostrata. Get. Ubi ea est? te ipsam quærito,
Te exspecto: oppido opportune te obtulisti mi obviam,
Hera. Sos. Quid est? quid trepidas? Get. Hem mihi! Sos. Quid festinas, mi Geta?
Animam recipe. Get. Prorsus... Sos. Quid istuc prorsus ergo 'st? Get. Periimus,
Actum 'st. Sos. Loquere ergo, obsecro te, quid sit. Get. Jam... Sos. Quid jam, Geta?

320. *Tunderem.* Guy. reponit *funderem*, quod magis militare, sed nulla codicum auctoritate nititur.— Guelf. 4, *atque* pro *et;* quod quidem omittit Both. — *Ruerem.* Impellerem. In hoc versu et præcedenti dominatur litera *r*, quæ *rabiosa* dici potest. Persius, de optimatum facile irascentium domo ait: « sonat hic de nare canina Litera. » Revocant hæc verba celeberrimas Didonis imprecationes, Æn. IV, 604, sqq. ubi omnia verba simili modo desinunt, *implessem*, *exstinxem*, *dedissem*.

321. *Revocemus. Geta!* Lib. quid. nomen repetunt sæpius, *Geta, Geta.*— *Impertiri.* Participem facere.

322. *Ubi ea est?* Bentl. corrig. *ubinam es?* Ita Both. *Quærito, et* Gu. 2. — *Sine* abire *me.* « Cette réponse de Géta est fondée sur ce qu'en Grèce le peuple prenait plaisir à arrêter les esclaves dans les rues, et à les amuser afin qu'ils fussent battus, quand ils seraient de retour chez leurs maîtres. » *Mad. Dacier.*

323. *Exspecto.* Be. *expeto* ex cod. Acad. Ita Both. — *Oppido.* Valde.

324. Sos. *Quid festinas, mi Geta?* Male, ut nobis videtur, vult Guyetus verba hæc Cantharæ nutrici, non Sostratæ tribui, utpote blandiora, quam pro matrona et servo dicta. Georg. autem Fabric. illa *hei mihi!* Cantharæ tribuit. — *Hera.* Vox illa ad finem sermonis rejecta aliquid habet mœsti et solemnis. — *Festinas.* Perturbaris, aut potius, ut vult Both. *festinas dicere;* quem indicant sequentia esse verum sensum.

325. *Animam recipe.* Sic. lib. Bent. In antiq. *animum.* — *Animam recipe.* Quia, præ anhelitu verba intermittens, uno spiritu continuare non posse videbatur. — *Prorsus.* Deficit in his servus, et anima exhausta singultim loquitur.

326. *Loquere.* Al. *eloquere.* — *Ergo.* Veteres fere omnes cod. Bentl. non habent *ergo.* — *Obsecro te.* Omittit Both. *te.*— Get. *Jam...* Exhausta anima nondum se colligit.

GET. Æschinus... Sos. Quid is ergo? GET. Alienus est ab nostra familia. Sos. Hem,
Perii! quare? GET. Amare occepit aliam. Sos. Væ miseræ mihi!
GET. Neque id occulte fert: ab lenone ipsus eripuit palam.
Sos. Satin' hoc certum 'st? GET. Certum; hisce oculis egomet vidi, Sostrata. Sos. Ah,
Me miseram! quid jam credas? aut cui credas? nostrumne Æschinum?
Nostram omnium vitam, in quo nostræ spes omnesque opes sitæ

— Sos. *Quid jam.* Repetit τὸ *jam*, ut supra; et *jam* signif. *nunc.*

327. *Quid is ergo.* Alii, *quid ergo is.* — *Ab nost. famil.* Alii, *ex nost. fam.* vel, *a nost. fam.* — *Hem.* Bip. *hei mihi.* — *Quid is ergo.* Sub. fecit. — *Alienus.* Bene *alienus*, inquit Donat. Siquidem Sostratæ jam gener et Pamphilæ maritus vocabatur.

328. *Amare occepit.* Ingeniose admodum ludit Donatus in hoc verbo *occepit* explicando; vult enim in eo quod dixit Geta, *occepit*, augmenta mali metuenda, propter novi amoris illecebras.

329. Palmerius subdistinguit, *a lenone: ipsus eripuit palam.* — *Occulte fert.* Celat. — *Ab l. ipsus erip. palam.* Omnia ad rei fœditatem componuntur. Nam Pamphilæ prætulit non honestam mulierem, sed meretricem, *ab lenone*; non per alium, sed *ipsus;* nec emit aut abduxit, sed ob impatientiam valde amantis, *eripuit;* neque id occulte, ut qui celaret factum, tanquam satisfacturus uxori videretur, sed *palam.*

330. *Satin' hoc certum 'st.* Variat lectio: *certum*, *certo*, *certe.* — *Satin' hoc certum 'st.* Magnis scilicet malis non statim creditur. — *Ah, me miseram!* Hæc dicit hera lacrymans; ut patet e versu 336.

331. *Nostrumne Æschinum?* Quidam delent *ne*, et *nostram* sequentis versus huic adscribunt. — *Quid jam credas?* Cui rei possis confidere posthac; et *credas* dictum pro *credamus.* Plaut. Bacchid. III, III, 87: «Satin' ut quem tu habeas fidelem tibi, aut cui credas, nescias.» — Quam autem singulari amplificatione implevit affectum mulier lacrymabunda: *nostrumne Æschinum?* (in utroque vocabulo vis est). *Nostrarum omnium vitam.* (Augetur veluti multitudo personarum, in quas infortunium competat.) *In quo nostræ spes omnesque opes sitæ erant.* (Præter quæ nihil dici potest.) *Qui sine hac jurabat se u. n. vict. d.* (et fides et affectus et religio ex parte Æschini rem aggravant.) *Qui se in sui gremio*, etc. Asseveratio familiarius facta, non sine ἐνδείξει, præsentis periculi comparatione absorbet verba, et in lacrymas orationem cogit. *Bœcler.*

332. *Nostram omnium vitam.* Aliæ editiones, bene multæ, *nostrarum*

Erant : qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem :
Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris,
Ita obsecraturum, ut liceret hanc sibi uxorem ducere.
GET. Hera, lacrumas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opus est porro, consule.
Patiamurne? an narremus cuipiam? CA. Au, au, mi homo! sanus es?
An hoc proferendum tibi videtur usquam esse? GET. Mi quidem non placet.
Jam primum illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferimus, ille infitias ibit, sat scio.
Tua fama et gnatæ vita in dubium veniet. Tum si maxume

vitam omnium. Nos Bip. Z. Perl. sequimur. — *Spes omnesque opes.* Bip. *spes opesque.* Both. *Nostrum omnium in quo vitæ spes opesque nostræ omnes sitæ, Qui se*, etc.

334. *Patris.* Lib. antiqui *patrem.* Alii, *patres.* — *Qui se in sui*, etc. Ordo est : *qui dicebat se positur. puer. in gremio pat. sui.* Micionis. — *Puerum*, qui nasceretur. Adnotat de hoc versu Dacieria : « C'était la coutume des Grecs; les enfants nouveaux-nés étaient mis par les pères dans le giron des grands-pères. Il y en a une preuve bien remarquable dans l'Iliade, liv. IX, v. 455, où Phœnix dit que son père fit plusieurs imprécations contre lui, et qu'il invoqua les Furies, pour les conjurer de faire en sorte que jamais aucun enfant né de lui ne fût mis sur ses genoux, c'est-à-dire, qu'il n'eût jamais d'enfants; et, quoique cette coutume ne fût pas à Rome, Térence n'avait garde, en traduisant une comédie grecque, de rien changer à un passage qui marquait une coutume. Ce sont des choses qu'il faut toujours conserver. »

335. *Hanc sibi.* Alii contra *sibi hanc.* Varie collocantur verba *ut lic. hanc*, etc.

336. *Consule.* L. Vatic. *prospice.* — *Ita*, postea; e græco scilicet, εἶτα. — *Hanc*, ex qua suscepisset natum.

337. *Au, mi homo!* Hæc præter mentem Donati in Mss. quibusdam et edd. vetustis Sostratæ tribuuntur. — *Patiamurne.* Vult Bentl. demi *ne.* — *Patiamurne* talem injuriam.

338. *An hoc proferendum*, etc. Unus Reg. Be. non habet *esse.* — *Proferendum*, evulgandum.

339. *Jam primum.* Both. *nam pr. animo illum alieno.*

340. *Proferimus.* Br. et alii *proferemus.* — *Ille infitias ibit.* Gravidam a se esse Pamphilam.

341. *Fama, vita.* Gallice, *l'honneur, le repos.*

Fateatur, quum amet aliam, non est utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito 'st opus. Sos. Ah, minume gentium;
Non faciam. GET. Quid ais? Sos. Proferam. CA. Hem, mea Sostrata, vide quam rem agas.
Sos. Pejore res loco non potest esse, quam in quo nunc sita 'st.
Primum indotata est; tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest. Hoc reliquum est;
Si infitias ibit, testis mecum est annulus, quem ipse amiserat.
Postremo quando ego mihi sum conscia, a me culpam esse hanc procul,
Neque pretium, neque rem intercessisse illa aut me indignam, Geta,

342. *Amet.* Ien. *amat.*—*Dari.* C. G. m. *dare.* Sed *e* in fine mutatum apparet a manu imperita. Eadem lect. est Bruns. Cod. — *Fateatur.* Se vitiasse filiam. — *Hanc.* Sostratæ filiam.

343. *Pacto tacito.* Plures vetusti *celato.* — *Quoquo pacto.* Quovis modo agat. — *Tacito.* Scil. ut partus taceatur.

344. *Quid ais?* Alii, inter quos Valp. *quid agis?* Bembinus, *quid ages?*

345. *Pejore.* Ms. Pal. 3, præmittit *in.* — *Non potest esse.* Both. Bip. Delph. *potis est.*

346. *Indotata est.* Probat Sostrata illico quam malo sint res in loco. — *Secunda dos,* illibata pudicitia. Sic Plaut. Amph. II, 2, 209: «non ego illam dotem mihi duco esse quæ dos dicitur, Sed pudicitiam et pudorem, et sedatam cupidinem, etc.» *Farnab.*

347. *Pro virgine dari.* Both. invertit, *dari pro virgine.* — *Hoc reliquum est.* Pertinent hæc ad sequentia, et annulum innuit.

348. *Quem ipse.* Lib. antiq. non habet *ipse.* — *Testis mecum est.* Meum firmabit testimonium, Pamphilam ab Æschino esse vitiatam. — *Quem amiserat.* Quo se spoliaverat ut Pamphilæ daret.

349. *Mihi sum conscia.* Alii, *conscia mihi sum.* Both. *quando conscia ego.*—*Quando.* Quoniam.—*Culpam hanc.* Quæ spectat ad virginem vitiatam.

350. *Neque rem intercessisse.* C. G. m. *ullam,* ante *intercessisse.* — —*Illa aut.* Par. p. var. *illam autem.* Etiam C. G. m. habet *illam,* cui voci subscript. *culpa.* — *Neque pre-*

Experiar. GET. Quid istuc? accedo, ut melius dicas. SOS.
Tu, quantum potes,
Abi, atque Hegioni cognato hujus rem enarrato omnem ordine :
Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxume.
GET. Nam hercle alius nemo respicit nos. SOS. Propera tu, mea Canthara,
Curre, obstetricem arcesse; ut, quum opus sit, ne in mora nobis siet.

SCENA TERTIA.

DEMEA. SYRUS.

DE. Disperii! Ctesiphonem audivi filium
Una adfuisse in raptione cum Æschino.

tium, etc. Stuprum non committi videbatur in eam, quæ pudoris profanandi causa pretium accepisset, suave aut matris pactione consenserit. Tale enim si quid factum esset, spem de eventu litis imminui haud obscure Sostrata indicat. *Bæcler.*

351. *Quid istuc.* L. Bemb. *istic.* — *Ut melius dicas.* In uno Ms. Leidens. We. teste sup. script. est *hanc causam.* — *Experiar.* Actionem intendam in judicio. Sic Cicer. pro Roscio, 9, « experiri judicio. » — *Quid istuc? accedo, ut melius dicas.* Varie capiunt sensum interpretes, et omnes tamen consentiunt per hæc indicari Getam de proferenda re persuasum, tandem accedere ad dominæ sententiam. Nos autem, nisi nimis ridicule videatur dictum, credimus hæc verba pendere ex τινὶ μιμήσει. Sostrata scilicet sese effundente in lacrymas, præsertim quum *experiri* decrevit, jam non liquido voces audiuntur, et ideo propiorem dicenti sese facere Getam credimus. — *Quantum potes*, quam citissime poteris.

352. *Rem enarrato omn. ord.* Pro *enarrato* alii *narrato*, et in disponendo variant. Both. *omne enarrato ordine.* — *Cognato hujus.* Id est, cognato puellæ.

353. *Nostro Simulo.* Conjugi meo. — *Summus*, sub. *amicus*, per ellipsim solitam.

354. *Propera tu.* Be. ed. *propere*, ut Andr. 981. — *Respicit.* Id est, providet, consulit nobis. Respicit vero potentior humiliorem. — Post hæc egreditur servus e scena.

355. *Quum opus sit.* C. G. m. colloc. *op. quum sit.* — *Ut ne in mora siet.* Animadvertendum est *ut*, quasi per pleonasmum huc intrudi, *ne* sufficiente.

357. *Adfuisse.* L. Bemb. *fuisse.* Sic Bip. Delph. — *Una adfuisse.* Sese dedisse participem.

Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiem adducere.
Ubi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo. Persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccum Syrum ire video : hinc scibo jam, ubi siet.
Atque hercle hic de grege illo est : si me senserit
Eum quæritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam id me velle. SYR. Omnem rem modo seni,
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil vidi quidquam lætius. DE. Proh Jupiter!
Hominis stultitiam. SYR. Collaudavit filium;
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.

358. *Id restat mihi mali.* Bene *restat*, tanquam jam summum malum sit, Æschinum esse corruptum. *Don.* — *Potest.* Subaud. Æschinus.

359. *Alicui.* C. G. m. *alicujus.* Sup. script. *utilitatis.* — *Eum ad neq.* Lindenb. omittit *eum.* — *Qui alicui rei est.* Qui alicui rei utilis esse potest; de hoc supra dixit : « *non fratrem rei dare operam videt? ruri esse parcum ac sobrium?* » Don.

360. *Abductum in ganeum.* Mss. quidam et impressi, *aliquo in ganeum. West.* — *In ganeum.* Lupanar aut popinam, ubi γάνυνται, et luxuriæ indulgent homines nequam. Nonnullis quasi ἀπὸ τῆς γᾶς, et ideo quasi γάνειον, crypta subterranea, fornix.

361. Guelf. a legit *Æschinus* post *persuasit.*—*Aliquo.* Adverbium loci.

362. *Hinc scibo jam.* Tò *jam* abest a quibusdam libris. — *Hinc.* Ex illo.

363. *Atque.* Both. *atqui.* — *De grege illo.* Ejusdem contubernii. — *Hic.* Syrus.—*Si me senserit.* Supple : « quærere ipsum avide et anxie. »

364. *Nunquam dicet.* Ubi sit Ctesipho.

365. *Omnem rem.* In quibusdam codd. hoc loco initium novæ scenæ statuitur. Sic Bip. Both. Guelf. a. — *Id me velle.* Scilicet, scire ubi sit. — *Omnem rem.* Res gestas ab Æschino.

366. *Quo pacto haberet.* Plerique codd. *quo pacto se haberet*, refragante metro. *Perl.* — *Quo pacto haberet.* Pro *se haberet.* — *Enarramus*, pro *enarravimus*, quod aliq. manuscript. legunt.

367. *Nil lætius.* Usitata locutio, pro, nullum hominem lætiorem. Ergo indicatur Micionem non tulisse ægre raptionem fidicinæ factam ab Æschino.

368. *Hominis.* Micionis. —*Stultitiam.* Nempe qua indulgeat flagitiis Æschini. — *Collaudavit filium.* Æschinum scilicet, φιλάδελφον, qui fratris causa id fecerat, ut majus malum averteret. *Bip.*

369. *Qui id dediss. consil.* Varie

De. Disrumpor. Syr. Argentum adnumeravit illico,
Dedit præterea in sumptum, dimidium minæ.
Id distributum sane est ex sententia. De. Hem,
Huic mandes, si quid recte curatum velis.
Syr. Ehem, Demea, haud adspexeram te : quid agitur ?
De. Quid agatur? vostram nequeo mirari satis
Rationem. Syr. Est hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque absurda. Pisces cæteros purga, Dromo;
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Paulisper : ubi ego venero, exossabitur :
Prius nolo. De. Hæccine flagitia ! Syr. Mihi quidem non placent.
Et clamo sæpe. Salsamenta hæc, Stephanio,

hæc leguntur, et, *qui dedissem;* et *qui consilium dediss.*

370. *Adnumeravit.* Editt. et Mss. quidam *enumeravit.* — *Disrumpor.* Ira, indignatione, dolore.—*Argentum.* Supra 193, 194.

371. *In sumptum.* Intellige : mihi et conservis, unde epularemur lautius.

372. *Ex sententia.* Ex voto senis, uti mox infra ostenditur, ubi de lautioribus cibis parandis agitur.

373. *Huic.* Syro. — *Mandes, si quid*, etc. Dictum illud per ironiam.

374. *Ehem, haud adspexeram te.* Dissimulat se adspexisse.

375. *Quid agatur ?* In plusculis codd. repetitur *quid agitur?* quod morosius videtur et Demeæ magis conveniens. *West.* — *Quid agatur ?* Ut reddatur ratio subjunctivi, supple : interrogas, percontari audes. —*Vostram.* Scil. non Syri solum, sed etiam sodalium.

376. In hoc versu Bent. reponit τὸ *atque* sequentis, pro quo Both. legit *et.* — *Rationem agendi.* — *Est hercle inepta.* Assentit seni, aliter sentiens. Quod est comicum ; et ut passim facit famosus ille Molerii nostri servus, *Scapin*, in ea fabula quæ ipsius nomine inscribitur. — *Ne dicam dolo*, id est, cum dolo.

377. *Purga.* Desquama, exentera. Hæc dicens, Syrus a Demea se avertit, clamitans conservis. Hic locus ex Plaut. Aul. II, 3, 1, est totus expressus.

378. *Congrum.* Ed. prim. *congrum vero.* — *Congrum.* Græce γόγγρος, piscis in deliciis, maxime ex Sicyone advectus. *Perl.* — *Ludere.* Proprie dicitur de piscibus. Cic. Arat. Car. vs. 328. Et Ovid. Metam. IV, vs. 685.

379. *Venero.* Alii, *redivero.*—*Exossabitur.* Ossa ei detrahentur.

380. *Hæccine flagitia.* Mss. quid. *hæccine fieri flagit.* — *Prius nolo.* Superbe et pro auctoritate. — *Hæccine flagitia !* supple, *fieri debent.*

381. *Et clamo sæpe. Salsamenta hæc.* Impudenter et comice admo-

Fac macerentur pulchre. De. Dî vostram fidem!
Utrum studione id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? væ misero mihi!
Videre videor jam diem illum, quum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. Syr. O Demea!
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo 'st
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere. De. Quid? istæc jam penes vos psaltria est?
Syr. Ellam intus. De. Eho, an domi est habiturus? Syr.
Credo, ut est
Dementia. De. Hæccine fieri? Syr. Inepta lenitas
Patris, et facilitas prava. De. Fratris me quidem

dum, ut jam diximus, servus illudit seni, modo sapienter, ut apparet, cum illo flagitia confessus, modo helluonem et licentem se præbens dum loquitur ad servos. — *Salsamenta.* Sale condita edulia.

382. *Fac macerent.* Guelf. 2, *fac ut mac.* — *Pulchre.* Ut oportet. — *Dî vostram fidem!* Sub. testor, invoco.

383. *Habet.* Al. *habeat*, male. — *Utrum.* Supervacuum est, aut potius indicat in duas partes dividi loquentis sententiam, ut mox fit, *studione an laudi fore putat.* — *Habet.* Micio. — *Stud. id sibi habet, an laudi putat.* Agitne ut consilium susceptum scelestissime perficiat, an ut laudem sui concitet?

384. *Si perd. gnat.* Both. *gnat. si perd.*

385. *Hinc egens.* Perletus, *huic egens.* Errore prorsus typographi.

386. *Profugiet aliquo militatum.* Cf. Heaut. 117.

387. *Istuc.* Ista tua agendi ratio. — *Modo*, solum.

389. *Quid?* Vox ibi simpliciter interrogantis. — *Istæc psaltria.* Dicendo *istæc*, ostendit se indignari. Psaltriæ autem modulata, voce canebant, simulque *psalterium* faciebant, et in ganeis ac fornicibus versabantur. *Fab.*

390. *Ellam intus.* Par. Ms. *est hæc jam.* — *Ellam.* Ecce illam. — *An domi est habiturus?* An domi, nemine inscio, eam retinebit, ut fit de legitima uxore? — *Credo.* Illud quod times futurum esse. — *Ut est dem.* Tanta est ejus dementia!

391. *Hæccine fieri.* Alii addunt *flagitia.* — *Inepta lenitas et facilitas prava.* « Vox *lenitas* ad permittendum : *facilitas* ad ignoscendum. » Sic quidam. Sed ego *lenitatem* ad Micionem refero, qui hæc leniter patitur; *facilitatem* ad Æschinum, cui hæc per licentiam facilitas datur. *Pravum* autem est, quod et ipsum lædit facientem : *malum*, quod alios tantum. » *Don.*

392. *Patris, et facil. prav.* Both. *patris! facilitas prava! me fratr. q.*

Pudet pigetque. SYR. Nimium inter vos, Demea (ac
Non quia ades præsens dico hoc), pernimium interest.
Tu, quantus quantu's, nil nisi sapientia es;
Ille somnium : sineres vero tu illum tuum
Facere hæc? DE. Sinerem illum? an non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quidquam cœperit?
SYR. Vigilantiam tuam tu mihi narras? DE. Sic sit modo,
Ut nunc est, quæso. SYR. Ut quisque suum volt esse, ita 'st.
DE. Quid? eum vidistin' hodie? SYR. Tuumne filium?
Abigam hunc rus. Jam dudum aliquid ruri agere arbitror.

393. *Pudet pigetque.* Verbum *pudere* ad turpia, *pigere* ad funesta convenit.

395. *Tu quantus quantu's.* Quantuscumque es. Sic gallice : *de la tête aux pieds ;* ut in nostrate MOLIÈRE, *le Misanthrope*, act. II, sc. 5 :

C'est, de la tête aux pieds, un homme tout mystère.

— *Nil nisi sapientia es.* Item vernacula lingua verteremus : *vous êtes la sagesse même, la sagesse en personne.*

396. *Ille somnium.* Mark. et Bænd. cum edit. anon. Ed. Tarvis. Venet. Ald. Junt. *Ille futilis somnium.*—*Ille somnium.* Id est, inane quoddam, in quo igitur nulla esse potest sapientia. — *Sineres vero tu illum tuum.* Non plus potest derideri, quum nempe Ctesipho præcipuas in raptu agat partes.

398. *Cœperit.* In aliq. libb. scriptum est *cœperet*, quod assumunt Br. Both. — *Olfecissem.* Sensissem. It. Cicer. *odorari* usurpat, Attic. IV, 14.

399. *Vigilant. tuam*, etc. Legendum monet Bent. *V. t. tun' mihi? sic sit modo Ut nunc est, quæso.* — *Vigilantiam tuam narras.* Indicat, non opus esse, quam noverit, narratam. — *Sic sit modo.* « Talis Ctesipho esse pergat cupio. » Laudat suum filium ; quo perductus est ironice a Syro, vs. 396.

400. *Ut quisque suum.* Aliq. Mss. ex glossa, *ut quisque filium suum.* — *Ut quisque suum volt esse, ita 'st.* Accedit ad hanc sententiam Molerius, quum senem ita delusum inducit in scenam, et qui suam ipse pariter jactitat prudentiam, *l'École des Maris*, act. II, sc. 4 :

Ma foi, les filles sont ce que l'on les fait être.

401. *Quid?* Formula interrogandi, ut sup. notatum. — *Eum*, Ctesiphonem.

402. *Abigam hunc rus.* Hæc Demeæ tribuunt Br. Both. legitque ille, *abiit hinc rus.* — *Abigam hunc rus.* Vertitur Syrus ad spectatores ; et, ut pecudem dixit, *abigam*, non ut hominem. —*Jam dudum.* Loquitur nunc ad Demeam. — *Aliq. ruri ag.* Quem nempe collaudavit supra pater, « rei dare operam, ruri esse. »

DE. Satin' scis, ibi esse? SYR. Oh! qui egomet produxi.
DE. Optume 'st.
Metui, ne hæreret hic. SYR. Atque iratum admodum.
DE. Quid autem? SYR. Adortus jurgio est fratrem apud forum
De psaltria hac. DE. Ain' vero? SYR. Vah, nil reticuit.
Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviso, cœpit clamare, « o Æschine!
Hæccine flagitia facere te? hæc te admittere
Indigna genere nostro? » DE. Oh! lacrumo gaudio.
SYR. « Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam. »

403. *Ibi esse.* Lib. antiq. *ibi eum esse.* — *Oh! qui*, etc. Var. *quin, quem.* — *Satin' scis.* An certior es. — *Ibi*, rure. — *Qui egomet.* Scio, quoniam ego is sum qui, etc.

404. *Ne hær. hic.* Mss. quid. *huic*, pro *hic.* — *Hæreret.* Verb. de ave translatum, visco decipientis aucupis capta. — *Hic.* Id est, cum Æschino. — *Atque iratum admodum.* Accusat. est, propter *produxi*, vers. 403.—Item, in fabula citata, fingitur irasci alteri Æschino alter Ctesipho; et pro Ctesiphonte puella reponitur *Isabelle*, pro Æschino *Léonor.* Act. III, sc. 2 :

Isabelle à Sganarelle.

.....Elle aime cet amant
Que nous avons banni.....
.....

SGANARELLE.

Et tu trouves cela.....

ISABELLE.

Moi? j'en suis courroucée.

405. *Adortus jurg. est.* Plures tollunt *est;* quidam, *adort. est jurg.* — *Quid.* Propter quid.

406. *De psalt. hac.* Vulg. *istac.* — *Ain' vero.* Dicisne verum. — *Vah!* Totum illud est in gestu. — *Nil reticuit.* Eodem sensu gallice diceremus : « Il ne le lui a pas mâché. »

407. *Ut numerabatur forte argentum.* Pro pretio puellæ. Et vide quam oratorie narret gestionem rei. Nonne diceres Camillum esse, qui medios inter Quirites incedit, dum turpiter pretio libertatem redimunt? nec mirarer si fuisset mens Terentio ad illud alludere, quanquam tamen non suspicati fuerint interpretes.

409. *Hæccine flagitia facere te?* etc. Itid. MOLIÈRE, in loco supra citato :

Quoi! ma sœur, ai-je dit, êtes-vous insensée?
Ne rougissez-vous point d'avoir pris tant d'amour?

410. *Oh!* In pluscul. libr. *oh, oh!* — *Gaudio.* In aliis, *præ gaudio.* — DE. *Oh! lacrumo gaudio. École des Maris*, act. II, scen. 6, *Sganarelle*, alter Demea :

Dans quel ravissement est-ce que mon cœur nage,
Lorsque je vois en elle une fille si sage!

411. Pro *hoc*, Both. legit *hic.* — *Non tu hoc argent. perd. sed vit. t.* Simile quiddam in Heaut. vs. 474. — *Hoc argent.* Quod nunc numerat.

DE. Salvus sit, spero; est similis majorum suum. SYR. Hui!
DE. Syre, præceptorum plenus istorum ille. SYR. Phy!
Domi habuit unde disceret. DE. Fit sedulo.
Nil prætermitto, consuefacio; denique
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo; atque ex aliis sumere exemplum sibi:
« Hoc facito. » SYR. Recte sane. DE. « Hoc fugito ». SYR. Callide.

— *Vitam*, eodem sensu, quo supr. vs. 341, pag. 58.

412. *Salv. sit, spero; est simil.* Repon. monet Bent. *salvos sit; spero erit sim.* — *Majorum suum*, pro *maj. suorum*. — SYR. *Hui!* quasi admirantis.

413. Hunc versum expungit Guy. ut insititium. — *Pheu* pro *phy* Both. — *Præceptorum istorum.* Quibus tu audiisti ab ipso fratrem supra moneri. MOLIÈRE, in eadem fabula, act. II, sc. v, inducit *Sganarelle* dicentem :

Va, ta vertu me charme, et ta prudence aussi;
Je vois que mes leçons ont germé dans ton âme.

— *Phy*. Gr. φῦ. Interjectio mirantis est.

414. *Unde*, de quo, id est, de Demea patre.

415. *Prætermitto*, negligo. — *Consuefacio*, absolute dictum : his eum exerceo studiis.

416. *In speculum*. Par. Ms. *in speculo*, male. *Perlet.* — *Inspicere tanquam in specul. in vitas omn.* Quemadmodum speculo utimur ad corrigenda vitia quæ a natura vel consuetudine accepimus, ut ad meliorem habitum corporis traducamur; ita, si cujusque privatim in vitam inspiciamus, quidquid in nobismet ipsis insit vitii emendare, exempla vitæ reperire poterimus. Namque non hic innuere potest Terentius, vitam nostram in aliorum vita, tanquam in speculo, fideliter repræsentari.

417. *Ex aliis sum. exemp. sibi.* Itid. Heautont. 200. Mire hunc locum tractavit Horatius, Sat. I, 4 : « ... insuevit pater optimus hoc me, Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando..... Sic teneros animos aliena opprobria sæpe Absterrent vitiis. » *Bœcl.*

418. *Hoc facito... hoc fugito...* etc. Adnotat Dacieria : « Ce caractère de Déméa est fort naturel et fort bien suivi. Un homme comme lui ne peut pas instruire son fils en philosophe, qui rend raison des choses, et qui dit pourquoi elles sont bonnes ou mauvaises. Il ne peut et ne doit l'instruire que comme un simple bourgeois instruit son fils. » Similiter Horatii pater, loco supra citato : « ... sapiens, vitatu quidque petitu Sit melius, causas reddet tibi. Mi satis est, si Traditum ab antiquis morem servare, tuamque, Dum custodis eges, vitam famamque tueri Incolumem possim... » — *Callide.* Sapienter dicis, et ut est hominis multæ experientiæ, qui rerum *callum* usu sibi induxerit.

DE. « Hoc laudi est. » SYR. Istæc res est. DE. « Hoc vitio datur. »
SYR. Probissume. DE. Porro autem... SYR. Non hercle otium 'st
Nunc mi auscultandi; pisces ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio 'st;
Nam id nobis tam flagitium 'st, quam illa, o Demea,
Non facere vobis, quæ modo dixti; et, quod queo,
Conservis ad eumdem istunc præcipio modum:
« Hoc salsum 'st, hoc adustum 'st, hoc lautum 'st parum;
Illud recte: iterum sic memento! » sedulo
Moneo, quæ possum pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo, et moneo, quid facto usus sit.
Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio;

419. *Istæc res est.* Istud quod tu dicis, est res, est veritas.

420. *Porro autem...* Quasi diceret: ut longius et amplius memorem.

421. *Pisces.* Cf. sup. 377. — *Ex sententia.* Ut optabam.

422. *Ne corrumpantur.* Ne computrescant, aut simile quiddam.

423. *O Demea.* Alii, *Demea.* — *Id.* Sinere corrumpi cibos. — *Nobis.* Qui sumus coqui. — *Flagitium.* Reddit veterator ille vocem *flagitium*, qua senex familiarissima sibi abutitur, ad quævis peccata juvenum, Æschini inprimis, designanda. *Perlet.*

424. *Quod queo.* Nonne nimis argute hic ludunt commentatores: «Non *quod possum*, dixit, sed *quod queo*. A *coquendo* enim sumpsit παρόμοιον»? — *Quod queo*, sub. *secundum.*

425. *Istunc.* Quem tu adhibes.

427. *Memento.* Al. *mementote*; quia dixit se conservis præcipere.

428. *Sapientia.* Ms. Bodl. et Lips. *sententia.* — *Pro mea sapientia.* Διασυρτικῶς sapientia dixit, cum allusione ad artem coqui. Quantum ad παρῳδίαν hic expressam attinet, conferenda est illa altera, Ph. 247, ubi itidem servus sibi, contra herum, *sapientiam* tribuit. Id quod per se festivum est, nulla etiam exquisitiori figura accedente. *Bæt.*

429. *In patin.* Jubet exsulare *in* Guelf. 2. — *Postremo.* Ipsum *postremo* τῷ *denique* senis comice respondet. — *Tanquam in specul. in patin.* His alludit ad verba Demeæ, supr. vs. 416.

430. *Usus sit.* Tres e codd. Bentl. *opus siet*; etiam bene, ut ait. — *Quid facto usus sit.* Secundum quid utilitas potest esse in re facienda.

431. *Nos quæ facimus.* Non coqui, sed Micio, Æschinus, et familia. — *Sentio.* Cum dilatione et vultuose dicendum.

Verum quid facias? ut homo 'st, ita morem geras.
Numquid vis? De. Mentem vobis meliorem dari.
Syr. Tu rus hinc ibis? De. Recta. Syr. Nam quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene præcipias, nemo obtemperet? 435
De. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum, ille ad me attinet.
Quando ita volt frater, de istoc ipse viderit.
Sed quis illic est, procul quem video? Estne Hegio,
Tribulis noster? si satis cerno, is hercle, vah! 440
Homo amicus nobis jam inde a puero. Dii boni!

432. *Verum quid facias?* Pro, quid faciat unusquisque?—*Ut homo 'st, ita morem geras.* Ut hominum ingenia sunt, ita est illis obtemperandum. Locus ex Plaut. Mostell. III, 2, 34, desumptus.

433. *Numquid.* Br. *nunc quid.* — *Numquid vis?* Subaud. *mandare.* Formula discedentis. — *Mentem vobis meliorem dari.* Πρὸς τὸ *vis* respondet agresti feritate. Nam respondendum erat *recte*, aut, *valeas.* Sed hic, ne vel abiens blandus esset, pro salutationibus ipsis amara supponit. *Donat.*

434. *Ibis.* L. antiq. *abis.*—*Recta.* Sic lib. Bemb. solus, ut Fa. testatur. Cæteri omnes *recte.* — *Tu rus hinc ibis?* Magis admonitio quam interrogatio est. *Perlet.*

435. *Obtemperet.* Br. Guelf. 1, Zeun. Both. *obtemperat.*

436. *Ego vero.* Z. *ego vere.* — *Vero.* Reipsa.—*Is quamobrem.* Nova locutio pro, *is propter quem.* Et pro homine dicitur *res, negotium.* Sic et alibi, Adelph. vs. 49: «In eo me oblecto; solum id est carum mihi.» — *Is:* Ctesipho filius.

437. *Ill. curo unum, ille ad me att.* Alia est Bentl. lectio, atque ejus distinctio hæc, *illum curo: unum illud.* — *Unum.* Dicit *unum* cum exceptione: et tamen sic loquitur, ut appareat illum non posse imperare sibi oblivionem Æschini. Nam idcirco addit: «Quando ita volt frater, etc.»

439. *Procul.* Vox illa in plur. Mss. variam sedem habet. — *Quis illic est*, etc. Inventa causa est, cur non abeat Demea, propter reliquam fabulæ partem: et simul aliud additur, quo indignetur. Et bene dubitat, an familiarem videat civem, ipse multum absens a conspectu civium. *Donat.* (*ex emendat. Zeun.*)—*Estne Hegio.* Cf. sup. 352.

440. *Is hercle.* Al. *is hercle 'st.* — *Tribulis noster.* Qui ex eadem est tribu. Populus Atheniensis distributus fuit in tribus duodecim, ad mensium numerum, et rursus unaquæque tribus in triginta genera, quemadmodum vocant, ad dierum mensis numerum.

441. *Dii boni.* Hæc verba in Mark. junguntur versui seq. *West.*

Næ illiusmodi jam magna nobis civium
Penuria 'st; homo antiqua virtute ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo! ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video. Vah! vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem et conloquar.

SCENA QUARTA.

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

Heg. Pro Di immortales! facinus indignum, Geta!
Quid narras? Get. Sic est factum. Heg. Ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum? O Æschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. De. Videlicet
De psaltria hac audivit : id illi nunc dolet

442. *Magn. nob.* Sic colloc. Bent. In lib. antiq. *nob. magis.* — *Næ illius modi*, etc. Qui similes sint huic Hegioni; et magna οἰκονομίᾳ senex laudatur, ut postulationi ejus statim adsit fides. *Donat.*

443. *Homo antiqua*, etc. Delph. *antiq. homo.* — *Antiqua.* Simplici, pura, ingenua. Cic. lib. II, de Leg. « antiquitas proxime ad Deos accedit. » Id. ad Attic. lib. IX, ep. XVIII: « vide quam sint antiquorum hominum. » — Γεροντικῶς, ait Bœcler. ταῦτα ἠθοποιοῦνται, μᾶλλα ἡδέως.

444. *Haud cito.* Guelf. 1, *haud scito.* Mss. quid. et impressi veteres, *haud scio.* Omittunt Junt. et Ald. — *Haud cito.* Non facile. — *Mali quid.* Aliquid damnum. — *Ortum sit.* Quasi, nasci posset, nasceretur. — *Publice*, contra rem publicam.

446. *Vah* abest Both. Bip. — *Vivere etiam nunc lubet.* Hæc opponit dolori quem sentit super Æschino.

Sc. IV. In Bipont. et Both. hic est Act. III, Scen. V. — Hæc scena fidem amici erga defunctum, maturitatem senilis orationis, et accusationem ejus quem lædere nolit ipse accusator, continet. *Don.*

448. Post *Geta*, admittit solummodo virgulam Both. ex Bip.

449. *Quid narras.* Guelf. 2, Bip. Both. *quod nar.* — *Quid narras?* Jam narravit Geta : et recte. Non enim apud spectatores iterum fuerunt dicenda quæ dicta sunt. — *Ex illan' familia.* Cf. vs. 298.

451. *Pol haud patern. ist. ded.* Haud parentum tuorum moribus conveniens id fecisti. Hæc dicuntur, Demea nondum viso. — *Videlicet.* Ut mihi videre licet. Loquitur secum Demea.

452. *De psalt. hac.* Un. ex Bent. Codd. *hic.* — *De psaltria hac audi-*

Alieno : pater is nihil pendit : hei mihi!
Utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret hæc.
HEG. Nisi facient quæ illos æquum 'st, haud sic auferent.
GET. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est.
Te solum habemus ; tu es patronus, tu parens.
Ille tibi moriens nos commendavit senex.
Si deseris tu, perimus. HEG. Cave dixeris :
Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.
DE. Adibo : salvere Hegionem plurimum
Jubeo. HEG. Oh, te quærebam ipsum : salve, Demea.
DE. Quid autem? HEG. Major filius tuus Æschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni,
Neque liberalis functus officium est viri.

vit. De citharistriæ hujus raptione.

453. *Pater is nihil pendit.* Guy. *pater id nihili pendit.* — *Illi alieno.* Illi, qui tamen non est propinquus genere. — *Pater is.* Micio, qui illum adoptavit.

454. *Prope* abest a Bothii editione. — *Hic.* Idem Micio. — *Audiret hæc.* Quæ Hegio loquitur.

455. *Nisi facient.* Eugr. *Ni faciant. Auferent.* Guelf. a, *auferrent.* Br. *afferent.* — *Nisi facient.* Intellige, Æschinus, Micio et omnis familia. — *Quæ illos æquum est.* Sub. facere ad reparandam injuriam. — *Haud sic auferent.* Non subtrahent culpam, non sic impune habebunt.

456. *Nobis.* Sostratæ, Pamphilæ, et ipsarum servis.

457. *Tu parens.* Alii *tu es pater*, aut, *tu pater.* — *Tu es patronus, tu parens.* Bene hic illa elogia ad orbitatem et conditionem muliebrem retulit : ut matri patronum, filiæ patrem, imo domui toti patronum et patremfamiliæ assignaret. *Bœcler.*

458. *Ille.* Senex pater Pamphilæ, Simulus.

459. *Si deseris tu.* Ms. Traject. ap. West. *nos.*—*Cave dixeris : Neq. fac.* Vult Hegio Getam εὐφημεῖν, neque uti voce *deseris*, utpote malæ notæ et ominis. Unde ipse abstinet dicere, « non deseram, » sed dicit, *neq. faciam. Perlet.*

460. *Satis pie.* Pro simplici *pie.* — *Posse.* Sub. id facere, vos deserere. — Bene congruit τὸ *pie*, cum verbis Getæ, parentem eum vocantis ; *pietas* enim tum a pueris ad parentes, tum a parentibus ad pueros defertur. Hegio cæterum optime confirmat elogium quod de ipso habuit Demea, scen. præc.

461. *Adibo.* Prodit tunc in scenam Demea.

462. *Oh*, abest a plurib. editt.

463. *Quid autem?* Ob quid me quærebas?

464. *Dedisti.* Legit Both. *abdedisti.* — *Boni.* Probi.

465. *Officium.* Ms. Paris. *officio.* — *Liberalis.* Ingenui.

DE. Quid istuc est? HEG. Nostrum amicum noras Simulum,
Atque æqualem? DE. Quidni? HEG. Filiam ejus virginem
Vitiavit. DE. Hem! HEG. Mane, nondum audisti, Demea,
Quod est gravissimum. DE. An quid est etiam amplius?
HEG. Vero amplius: nam hoc quidem ferundum aliquo
modo 'st:
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia:
Humanum 'st. Ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, jurans se illam ducturum domum.
Ignotum 'st, tacitum 'st, creditum 'st. Virgo ex eo
Compressu gravida facta est; mensis hic decimus est.

466. *Quid ist. est?* Al. *quid ist. rei est?*

467. *Atque æq.* Mur. et Bent. annectunt τὸ *atque* versui priori. — *Æqualem.* Qui eadem ætate erat nobiscum. — *Quidni?* « quare mihi notus non fuerit? » et plus est, quam si dixisset, *noveram.*

468. DEM. *Hem!* Interjectio nunc est irati vehementer: quippe qui aliud vitium audiebat, præter crimina quæ sciebat. *Donat.*

469. *An quid.* Sic l. Bemb. In antiq. *quidquam.* — *Amplius.* Majus, eo sensu quo, deterius.

470. *Vero amplius.* Mark. addit *est.* — *Vero.* Affirmantis. — *Hoc.* Illatum virgini stuprum. — *Aliquo modo.* Si rem sub certo quodam aspectu intueamur.

471. *Persuasit nox, amor*, etc. Demosth. κατὰ Μειδίου: Τρεῖς εἶχε προφάσεις, μέθην, ἔρωτα, ἄγνοιαν, διὰ τὸ σκότος καὶ νυκτὸς τὸ πρᾶγμα γενέσθαι. Menand. Ὦ νὺξ, σοὶ γὰρ δεῖ πλεῖστον Ἀφροδίτης. Callimach. epigr. XLIV: Ἀκρητος καὶ ἔρως μ' ἠνάγκασεν. Itid. Plaut. Aul. IV, x, 15: « quia *vini* vitio atque amoris feci. » Hæc cuncta Ovidius comprehendit, nisi propositum sibi habuit Terentium, ita dicendo: « Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent. » Amor. I, VI, 59. Itid. Propert. I, III, 13. *Perlet.*

472. *Humanum 'st.* Hæc in Br. versui superiori apponuntur. — *Ubi scit fact.* Both. *ubi istud factum.* — *Hunanum est.* Hoc peccatum in hominem cadere potest. Itid. Micio quoque infra, vs. 691. — *Ubi scit factum.* I. e. ubi discussa nocte, discusso vino, agnoscit peccatum.

473. *Venit ipsus*, etc. Brevitas elegans narrationis, in qua omnia apte admodum concinnantur.

474. *Se illam ducturum domum.* Ut fit de uxore legitima.

475. *Ignotum est.* Venia data fuit *lacrumanti.*—*Tacitum est.* Silentium orante, obsecrante Æschino. — *Creditum 'st.* Fidem danti, juranti.

476. *Mensis hic.* Bentl. omittit *hic*, male.—*Mensis hic decimus est.* Etiam alibi passim apparet, veteres *decem*

Ille bonus vir nobis psaltriam, si Dis placet,
Paravit, quicum vivat; illam deserit.
De. Pro certon' tu istæc dicis? Heg. Mater virginis
In medio 'st, ipsa virgo, res ipsa, hic Geta
Præterea, ut captus servulorum est, non malus,
Neque iners; alit illas, solus omnem familiam
Sustentat: hunc abduce, vinci, quære rem.
Get. Imo hercle extorque, nisi ita factum 'st, Demea.
Postremo non negabit; coram ipsum cedo.
De. Pudet; nec, quid agam, neque quid huic respondeam,
Scio. Pamph. Miseram me! differor doloribus.
Juno Lucina fer opem! serva me, obsecro! Heg. Hem!
Numnam illa, quæso, parturit? Get. Certe, Hegio. Heg.
Hem!

menses partui tempestivo tribuisse. Virg. Ecl. IV, 61: «Matri longa *decem* tulerunt fastidia *menses*.» Et decimum mensem innuit Hegio, quo major ostendatur Æschini culpa puellam in tali rerum articulo deserentis.

477. *Ille bonus vir.* Abest *ille* Both. — *Ille bonus vir.* Ironice. Andr. vs. 847, vol. I, pag. 109, et ibi Nos. — *Si Dis placet*, per quos jùratum est. Verba odium majus concitatura.

478. *Illam deserit.* Mss. quid. *hanc deserat.* — *Paravit, quicum vivat.* Quæsivit, ut cum ea consuetudinem habeat.

480. *Hic Geta.* Tò *hic* abest Perl. — *In medio est.* In medium proditura est. — *Res ipsa.* Pondus uteri et instans partus.

481. *Servulorum.* Al. *servorum.* — *Ut captus servul. est, non mal.* etc. Transponenda sunt hæc, ut bene intelligantur: «Geta, qui non est malus et iners, ut sunt nimis sæpe servi, est præterea testis in medio.»

482. *Illas.* Ms. Lindenbr. *illam.* — *Solus omn. fam.* Vulgo distinguitur post *solus*, ab Erasmo melius ante. *Perlet.*

483. *Hunc abduce.* In locum ubi nemo possit intercedere.

484. *Imo hercl. extorq.* Hic vs. et seq. in Ms. Lips. etiam Hegioni tribuuntur. — *Extorque.* Ipse Geta de se plus et apertius, quam Hegio, largitur.

485. *Coram ipsum.* Alii *coram ipso.* — *Postremo.* Quod ultimum scilicet erit argumentum, confessio Æschini auctoris. — *Coram ipsum cedo.* Intellige *cedo* pro *da, admitte:* «hunc nobis præsentem hic statue.»

487. *Differor.* Guelf. 1, *deferor.* — *Miseram me!* Vox Pamphilæ intus clamantis; et vox parturientis pro testimonio succedit, ad inflammandum Demeam. — *Differor.* Discindor.

488. *Juno Lucina fer opem!* Vid. Andr. 474, quiddam omnino simile.

489. *Certe.* Vet. cod. ap. Lind. *certe parturit.* — *Illa.* De qua agitur.

Illæc fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant, Deos quæso, ut vobis decet.
Sin aliter animus vester est, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc atque illum mortuum.
Cognatus mi erat; una a pueris parvulis
Sumus educati; una semper militiæ et domi
Fuimus; paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? De. Fratrem conveniam, Hegio.
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
Heg. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites:
Quam vos facillime agitis, quam estis maxume

490. *Fidem vostram.* Id est, tui ipsius et tuæ familiæ.

491. *Vis.* We. leg. *jus.* Ex scriptura enim, inquit, vix internoscere queas, *ius* scripserit Poeta, an *uis.* — *Quod vos vis cogit.* Quod vis potest cogere vos ut faciatis. — *Voluntate.* Vobis volentibus.

492. *Vobis.* Ms. Lindenb. *vos.* — *Fiant ut vobis decet.* I. e. nemine cogente. — *Vobis decet.* Cum dativo etiam jungitur *decet.* Infra 932; Cic. de Or. Itid. A. Gell. IX, XV: *ætati ejus decebat.* Perl.

493. *Ego, Demea.* Apposite ad vim et minas hoc dicitur.

494. *Defend. hanc.* Al. *hanc defend.* Bent. *defendam has.* — *Atque illum mortuum.* Simulum patrem ejus defunctum.

495. *Parvulis.* In lib. antiq. *parvoli.* — *Cognatus mi erat.* Ita quidem Terentius; sed Menander Sostratæ fratrem facit. *West.*

496. *Educati.* Both. Bip. Delph. *educti.* — *Militiæ et domi.* In pace et in bello.

498. *Nitar.* Al. *enitar.*—*Experiar.* Litem intendam, judicio agam. Supra 351.

499. *Illas.* Alias *illam.* — *Illas.* Sostratam Pamphilamque.

501. Alii putant hunc versum, qui ex Ph. vs. 461, inculcatus sit, eliminandum. — *Is quod mihi*, etc. Hic versus totidem elementis habetur in Phormione, vs. 461; atque Muretus spurium putavit, quum de Æschini rebus nihil faceret Demea ex consilio Micionis. *Zeun.*

502. *Tu facito cum anim. cog.* Al. *tecum an. cogit.* — *Hoc facito cogites.* Tibi placeat illud reputare. — *Cum animo.* Apud te.

503. *Maxume.* Al. *maxumis.* — *Quam vos*, etc. Secunda pars est sententiæ, cujus initium est, e grammatice, in *tam max.* — *Facillime agitis.* Sub. *vitam*, i. e. in otio et opulentia vitam agitis laute; sicut

Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi probos.
De. Redito : fient, fieri quæ æquum 'st, omnia.
Heg. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.
De. Non me indicente hæc fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum! verum nimia illæc licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.

SCENA QUINTA.

HEGIO.

Bono animo fac sis, Sostrata; et istam, quod potes,

apud Græcos θεὰι ζῶντες vocantur Dii.

504. *Nobiles*. Genere.

505. *Æquo animo æqua noscere*. Libenti animo æquitati obsequi.

506. *Si vos vultis perhib. prob.* Construe, *si vultis vos perhib. prob.*

507. *Fieri quæ æqu.* Al. *quæ fier. æq.* — *Redito : fient*, etc. Apparet stomachose loqui Hegionem dum abit, unde nunc Demea eum placaturus ait, *Redito*, *f.* etc.

508. *Intro* abest Br.

509. *Indicente*. Guy. *intícente*. — *Fiunt*. Quid. *fient*. — Demea solus loquitur, illis recedentibus. — *Me indicente*. Me non prænuntiante, non dicente. Vid. supra, 140, 141: « Ipse sentiet posterius, etc. » — *Utinam hoc sit modo Defunctum!* Jungimus *hoc* cum *modo*, et *defunctum* pro impersonali sumimus, ut sit sensus: « utinam sit defunctum hoc modo, » id est, ne Æschinus alia committat.

510. *Nimia*. Quid. codd. *nimis*. — *Nimia illæc licentia*. Quam dat Micio.

512. *Ibo ac req.* Br. *Ibo et requir.* Both. Bip. *Ibo*, *req.* Mss. et edit. quid. *exquiram*. — *Hæc*. Ea quibus auditis gravatus sum. — *Evomam*. Rustice satis dictum, et ut nostrum hominem decet.

513. *Quod*. Cod. Ien. *quoad*. Al. *quam*. — Sc. v. Senex ingressus domum, videt parturientem puellam, ejus matrem consolatur, et cum ea redit in scenam, operam suam promittens.—*Bonó animo fac sis, Sostrata*, etc. Hi sex versus in quibusdam non feruntur. In hac scena videtur jam locutæ Sostratæ Hegio respondere. Potest tamen et ipse incipere, tanquam qui et rem noverit, et mœrore ejus moveatur. *Donat.*—*Fac sis*. Honorifice *sis* additur verbo, ne quod imperativo modo pronuntiatur, superbum sit. Deductum est autem a senatusconsulto

Fac consolere : ego Micionem, si apud forum 'st,
Conveniam, atque, ut res gesta est, narrabo ordine.
Si est, facturus ut sit officium suum,
Faciat ; sin aliter de hac re est ejus sententia,
Respondeat mi, ut, quid agam, quam primum sciam.

sulti formula : ubi enim aliquid senatus consulibus injungit, addit : « *si eis* videatur. » *Donat.* — *Istam.* Tuam gnatam. — *Quod potes.* Secundum illud *quod potes*, quantum potes.

514. *Fac* abest Br. — *Ego Micionem.* Quia Demeam jam vidit.

516. *Si est.* Bent. vult legi *si ita est.* — *Si est, facturus ut sit.* Tò prius *est* impersonaliter dicitur, si *evenit* ut facturus sit *libenter*, etc.

518. *Sin aliter.* Servat suos mores; ut antea dixerat, vs. 493 : « Sin aliter animus vester est, etc. » ; noluit enim vir optimus desperare, quin facturus esset officium Micio, sed quem Demea eum rejecerat ; sed si tamen præter opinionem tergiversaretur, animum patroni et defensoris ostendere debuit Hegio in his verbis : « ut quid agam, quam primum sciam », i. e. ut in jus vocem, causam ad judices deferam.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

CTESIPHO. SYRUS.

CT. AIN', patrem hinc abisse rus? SYR. Jam dudum. CT. Dic sodes. SYR. Apud villam 'st.
Nunc quum maxume operis aliquid facere credo. CT. Utinam quidem
(Quod cum salute ejus fiat) ita se defatigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.
SYR. Ita fiat, et istoc si quid potis est rectius. CT. Ita : nam hunc diem

519. *Apud villam 'st.* Τὰ *villam 'st* adscribunt plures versui sequenti. — ACT. IV, Sc. 1. Hic ostenditur timiditas boni adolescentuli, et veriti, scil. ob peccatum, ex delicti conscientia et reverentia parentis. Apparet item mos verorum patrum circa filios, Syro Demeam describente. *Donat.* (*ex emend. Zeun.*)— *Ain'?* etc. Certone dicis? — *Patrem* meum, Demeam. — *Sodes.* Quæso. De hac voce, cf. And. 85, ed. huj. vol. I, pag. 21, in not.

520. *Quum maxume.* Sic l. Bemb. In antiq. *eum maxime*, per errorem manifestum.—*Quum maxume*, ὅτι μάλιστα, maximo cum ardore. — *Operis*, rustici.—*Utinam quidem.* Censet Donatus subaudiendum *apud villam sit*, et distinguendum, antequam inferatur quod sequitur. Malumus autem Nos, pleonasmum admittere cum *velim*, ut parenthesis non sententiam aliam incipiat.

521. *Defatigarit.* Z. Bent. Both. *defetigarit.* — *Quod cum sal.* etc. Correctio φιλόστοργος, ut ait Farnab. quam pietas expressit, ne durior imprecatio vitio non careret.

522. *Prorsum e lecto.* Delph. *e lecto prorsus.* — *Triduo hoc perpetuo*, continuo. Quantum sufficiat amori.

523. *Ita fiat, et ist.* etc. Utinam fiat ita ut optas, et quiddam melius, commodius hoc ipso tuo voto, si senex potest facere. Hæc ambigue dicta interpretamur esse a Syro optante, quod est servilis malitiæ, ut ille nunquam inde surgat, h. e. moriatur. Non autem intelligit Ctesipho, et ratus servum voto etiam vividius favere, respondet, *ita.*

Nimis miisere cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere.
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope 'st.
Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio;
Rogabit me, ubi fuerim : quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? Syr. Nihilne in mentem? Ct. Nunquam quidquam. Syr. Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes, nemo 'st vobis? Ct. Sunt : quid postea?
Syr. Hisce opera ut data sit. Ct. Quæ non data sit? non potest fieri. Syr. Potest.
Ct. Interdiu; sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?

524. *Nimis misere.* Ita un. ex Be. codd. Vulg. invert. *misere nimis.* — *Nimis misere.* Vehementer.—*Perpet. in læt. deg.* Cf. sup. 288.

525. *Nisi q. prope est.* Mss. et editi quid. *nisi q. tam prop. est. West.* — *Illud rus*, patris mei.

526. *Quod*, sc. rus.

527. *Posset iterum.* Faern. *possiet*, deleto *iterum.* — *Oppressisset.* Deprehendisset. — *Illic*, ruris, ubi nunc est.

528. *Videbit.* Ms. Lips. *viderit.* — *Illic... huc.* Eod. sensu, quo vers. præced. — *Recurret.* Mire de sene *recurret* dixit, ut ejus instantiam monstraret. *Donat.*

529. *Rogabit.* L. Bemb. *rogitabit.*

530. *In mentem.* Lib. Bemb. addit *est.* In antiq. lib. *nih. in mente est?* Ex eo autem, quod Don. notavit, omittendum *est* videtur. — *Nihilne in mentem*, sub. venit, quo te excuses? — *Nunquam*, pro *non, nihil.* — *Tanto nequior.* Tanto pejori loco es.

531. *Cliens, amicus, hospes*, etc. Vide magistrum ad nequitiam, ut simplici adolescenti mentiendi viam demonstret, et honestum tentet afferre argumentum ad mendacium, propter clientem, amicum, aut hospitem in urbe cessare visum : quod tamen nec sic intelligit rudis ac rusticus adolescens. *Donat.* — *Quid postea?* Quid hoc juvabit habere clientem, etc.

532. *Hisce opera ut data sit.* Bœnd. *hisc. op. dic ut data sit.* — *Hisce opera*, etc. A superiore subauditur, *veniat in mentem;* i. e. cogita dari potuisse, et datam dicito. *Don.*—*Potest.* Iterum subauditur *fieri*, ut data sit : vel ut credatur data. *Don.*

533. *Interdiu.* Potest quidem sic reddi ratio de commoratione diurna.

SYR. Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es; ego illius sensum pulchre calleo.
Quum fervit maxume, tam placidum quam ovem reddo.
CT. Quo modo?
SYR. Laudarier te audit libenter : facio te apud illum Deum:
Virtutes narro. CT. Measne? SYR. Tuas. Homini ilico lacrumæ cadunt,
Quasi puero, gaudio. Hem tibi autem... CT. Quidnam est?
SYR. Lupus in fabula.
CT. Pater est? SYR. Ipsu 'st. CT. Syre, quid agimus? SYR. Fuge modo intro; ego videro.
CT. Si quid rogabit, nusquam tu me... audistin'? SYR. Potin' ut desinas?

534. *Vellem etiam.* Mark. *vellem ut etiam.* — *Vah, quam vellem*, etc. Facete loquitur servus, et fingit optare se fieri, quæ non assolent. Gallice redderemus non ad litteram, sed satis vivide : « En vérité, il est malheureux qu'on n'ait pas, tout exprès pour vous, établi la mode d'obliger ses amis pendant la nuit. » Latet insuper ironia, qua luditur adolescentis simplicitas.

535. *Quin tu otiosus es.* Cur non es securo animo, id est, velis esse securo animo. — *Illius*, patris tui. — *Sensum*, animi habitum.

536. *Fervit.* C. G. m. et alii *fervet.* — *Ovem.* Bent. accusativo offensus corrigit, *quam ovis est.* Both. legit *oleum* pro *ovem.*

537. *Facio te apud illum Deum.* Laudibus te ad cælum usque extollo.

538. *Measne?* Alii simpliciter *meas.* — CT. *meas?* SYR. *tuas.* Cum gestu pronuntiare debemus, ut intelligatur irrisio. *Don.*

539. *Gaudio.* Quid. Mss. *præ gaud.* — *Gaudio*, præ gaudio. — *Hem tibi autem....* Supple, *adest ille;* nec absolvit sententiam servus, hero viso trepidans. — *Lupus in fabula.* Locutio proverbialis. Gallice, *quand on parle du loup, on en voit la queue.* Ridiculum censemus, si quis crediderit ad id alludi quod viso lupo repente obmutescant homines, terrore stupefacti. Melius est putare ex nutricum fabulis natum proverbium, quæ pueros ludificabant terrore lupi, paulatim e cavea venientis usque ad limen cubiculi.

540. *Fuge modo.* Tibi satis sit fugere. — *Ego videro.* Cf. infra 553.

541. *Potin'.* Alii, *potin' es* — *Nusquam tu me...* Supple, *vidisse respondeas.* — *Potin' ut desinas?* Potesne desinere loqui?

SCENA SECUNDA.

DEMEA. CTESIPHO. SYRUS.

DE. Næ ego homo sum infelix! primum fratrem nusquam invenio gentium:
Præterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi; negat is, filium esse ruri, nec quid agam scio.
CT. Syre. SYR. Quid est? CT. Men' quærit? SYR. Verum.
CT. Perii. SYR. Quin tu bono animo es.
DE. Quid hoc, malum! infelicitatis? nequeo satis decernere:
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra, primus rescisco omnia,
Primus porro obnuntio; ægre solus, si quid fit, fero.
SYR. Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia.
DE. Nunc redeo. Si forte frater redierit, viso. CT. Syre,

542. *Homo sum.* Bent. omittit *sum.* —*Næ ego homo sum infelix.* Solenne Demeæ in scena carmen: quem sui mores vel iracundia exæstuantes, vel sollicitudine trepidantes, felicem esse non patiebantur. *Bœcl.*

543. *Mercenarium.* Par. Ms. addit *redeuntem.*—*Dum illum quæro.* Ergo Demea ab urbe non discessit, ut apparet; et a mercenario in urbe narratum ei fuit Ctesiphontem ruri non esse. — *A villa mercenarium.* Qui mercede in villa operatur; ut diceretur, *homo a cubiculo, vir a secretis.*

544. *Negat is fil.* Alii dispon. *is fil. negat.* — *Quid agam?* Fratremne an filium magis quæram.

545. *Quid est?* Bona pars Mss. et impress. atque in illis Edit. prim. *quid agis?* — CT. *Syre.* Hæc juvenis a tergo dicit submisse. — *Verum.* Adverb. confirmantis, ut est *vere.*

546. *Satis.* Both. *sat.* — *Quid hoc, malum! infelicitatis?* Hic *malum* pro interjectione interpositum, *o malum!* — *Decernere*, constituere aliquid certum.

547. *Rei.* Both. legit *re.* — *Huic rei, ferund. miser.* Ἐπεξηγητικῶς, et comice. *Bœcl.*

548. *Primus sentio mala nostra.* Quid mali accidit in nostra familia. Ridiculus error Demeæ.

549. *Porro.* Par. p. var. *porto.* — *Obnuntio.* Qui bonam rem nuntiat, *annuntiat;* qui malam, *obnuntiat*, id est, contra nuntiat. Perquam cognitu digna dissimilitudo.

550. Distinguit Gu. *se scire, is solus nescit, omnia.* — *Se scire*, scilic. omnia.—*Is solus.* Bene *solus*, utpote de multis: quia quum sciat Micio, Syrus, Æschinus, Ctesipho, populus, hic solus fallitur. *Don.*

551. *Forte frater.* Both. *frater forte.*

Obsecro, vide, ne ille huc prorsus se irruat. Syr. Etiam taces?
Ego cavebo. Ct. Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi.
Nam me in cellulam aliquam cum illa concludam ; id tutissimum 'st.
Syr. Age, tamen ego hunc amovebo. De. Sed eccum sceleratum Syrum.
Syr. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.
Scire equidem volo, quot mihi sint domini. Quæ hæc est miseria?
De. Quid ille gannit? quid volt? quid ais, bone vir? est frater domi?
Syr. Quid, malum! mihi bone vir narras? equidem perii.
De. Quid tibi est?
Syr. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam

552. *Etiam taces?* Guelf. 2, *non taces?* — *Obsecro, vide, ne*, etc. Patrem Ctesipho monstrat importunum, ipse forte in angulo quodam latens ædium Micionis. — *Se irruat.* Neutrum verbum, quasi activum posuit. — *Etiam taces?* Sic iterum monet, uti supra, 541.

553. *Nunquam*, pro *non*. — *Istuc*, negotium patris amovendi. Diffidit namque, Syrum id effecturum.

554. *Nam me in cell.* Vulg. *nam nec jam in cellul.* non est in Bent. codd. — *In cellulam aliquam.* Quasi diceret, in angulo quodam perobscuro.

555. *Age.* Fac ut tibi videtur. — *Tamen*, intellige : etsi tu diffidas me posse illum amovere. Et simul prodit Syrus ad Demeam. — *Hunc amovebo.* Supra, vs. 402, dixerat, *abigam hunc rus.*

556. *Durare.* Vult Bent. legi *perdurare*. — *Non hercle*, etc. Loquitur, quasi nemine viso; et consilium hoc sumpsit ad purgandum, quod in villa non erat filius. Fingit enim se verberatum a Ctesiphone, ceu raptæ virginis auctore. — *Hic*, in hac domo. — *Durare*, permanere. — *Si sic fit*, si ita consuefit agi.

557. *Quot mihi sint domini.* Hinc apparet non a legitimo domino eum verberatum esse.

558. *Gannit.* Alii *garrit.* — *Quid ais?* Par. Ms. *agis* pro *ais.* — *Quid ille gannit.* Quid veterator ille conqueritur gannitu? quod vulpium est. — *Bone vir.* Μιμητικῶς illud *bone vir* reddit Demeæ Syrus, in versu seq.

559. *Bone vir.* Both. dat *boni*, sine *vir.* — *Quid, malum!* etc. Sensus est : « Quid, malum, me contumeliæ causa appellas? Quid mihi illud tuum *bone vir* occinis? quasi non sim satis afflictus, satis miser injuria filii tui. »

Usque occidit. De. Hem, quid narras? Syr. Hem, vide ut discidit labrum!
De. Quamobrem? Syr. Me impulsore hanc emptam esse ait. De Non tu eum rus hinc modo
Produxe aibas? Syr. Factum; verum venit post insaniens.
Nil pepercit: non puduisse verberare hominem senem?
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis.
De. Laudo, Ctesipho, patrissas. Abi, virum te judico. 566
Syr. Laudas? Næ ille continebit posthac, si sapiet, manus.
De. Fortiter. Syr. Perquam, quia miseram mulierem et me servulum,
Qui referire non audebam, vicit, hui! perfortiter.

561. *Discidit labr.* In quibusdam libr. est *discid. mihi labr.* — *Usque occidit.* Pæne concidit. — *Vide ut d. labr.* Hæc dicens servus os sibi distorquet, et Demeam parum prospicere credit, neque adeo animadvertere fallaciam. *West.*

562. *Emptam.* Cod. Ien. *ereptam.* — *Me impulsore*, me suadente. — *Hanc*, fidicinam.—*Emptam*, a fratre suo.

563. *Produxe.* C. G. m. *produxisse.* — *Produxe*, pro *produxisse*, ad villam comitatum deduxisse. — *Aibas.* Memoriter ipsa reddit verba, quæ ipsi dixerat servus, supra, vs. 403. — *Factum.* Id est, equidem produxeram eum. — *Venit post*, pro *redit.* — *Insaniens*, præ furore.

564. *Non puduisse.* Codices quid. *non puduit.* Alii barbare *non puduit se.* West. — *Nil pepercit.* Nullam rationem mei habuit. — *Hominem senem*, scil. *me.* Miserum fit ætate id, quod de conditione non poterat. *Donat.*

565. *Modo puerum.* Bent. Both. *puer. modo.* — *Quem ego modo*, etc. Addidit ætati invidiam et meritum recens; hoc enim est quod dicit *modo*, et *tantillum* δειχτικὸν est. Videtur enim manu fingere quam parvulum. *Don.*

566. *Laudo.* Cod. Ien. add. *te.* — *Laudo te*, etc. Absentem alloquitur. — *Patrissas.* Similis es majorum tuorum, vel potius, meî, patris tui. — *Abi*, age, vox laudantis, ut gallice diceretur: «Va, je te regarde comme un homme de cœur.» — *Virum*, supple: etiam si in hac sis adolescentuli ætate.

567. *Laudas? Næ*, etc. Mss. quid. *laudasne? ille*, etc. — *Si sapiet*, si prudenter agit; et his verbis illam innuit contumaciam, in speciem confidentis innocentiæ assumptam.

568. *Quia.* Mark. *nimis quia.* — *Fortiter*, scilic. egisti Ctesipho. — *Perquam.* Valde vero strenue egit. — *Miseram mulierem*, citharistriam ab lenone abreptam. — *Servulum.* Oratorie. Non *servum*, sed *servulum*, quum sit *senex.*

569. *Hui! perfortiter.* Hæc Guy. Demeæ tribuit.

DE. Non potuit melius: idem quod ego sensit, te esse huic rei caput.
Sed estne frater intus? SYR. Non est. DE. Ubi illum quæram, cogito.
SYR. Scio ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo. DE. Hem, quid ais? SYR. Ita.
DE. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. SYR. At nomen nescio
Illius hominis, sed locum novi, ubi sit. DE. Dic ergo locum.
SYR. Nostin' porticum, apud macellum, hac deorsum? DE. Quidni noverim?
SYR. Præterito hac recta platea sursus: ubi eo veneris,
Clivus deorsum vorsus est; hac te præcipitato; postea
Est ad hanc manum sacellum; ibi angiportum propter est,
Illic ubi etiam caprificus magna est. DE. Novi. SYR. Hac pergito.

570. *Sensit.* Alii, *sentit.* — *Non potuit melius.* Supp. seu fieri, seu facere. — *Idem quod ego sensit*, sc. *te esse*, etc. — *Huic rei caput.* Harum turbarum auctorem.

571. *Quæram.* Lib. Bemb. *inveniam.* — *Cogito*, dubito.

572. *Ita.* Vocem hanc collocat Z. in vers. seq. — *Nunquam monstr.* non monstrabo. — *Ita*, id est, non monstrabo.

573. *Jam cereb.* Br. omittit *jam.* — *At nomen nescio.* Flexu quodam, ἐπανόρθωσιν præferente, a contumacia ad obsequium redire se simulat: dolumque ex tempore arripit, quo iterum senem feriat, adeoque, ex consilio primum capto, amoveat hinc atque abigat. *Bœcl.*

574. *Illius hominis*, apud quem est nunc Micio.

575. *Hac deorsum.* Par. ed. *hanc.* — *Nostin' porticum, apud macellum*, etc. Falsum in locum mittit, et longe positum, ut circumeat civitatem. *Eugr.* — *Quidni noverim?* quasi simpliciter diceret, *novi.*

576. *Sursus.* Alii, *sursum.* Guelf. 2, *rursum.* — *Hac recta platea.* Manu viam ostendere videtur. — *Sursus*, ascendens.

577. *Hac te præcipit.* In quibusd. codd. deest *te.* — *Clivus deorsum vorsus est.* Clivus est declinans ad inferiorem vici partem. — *Hac te præcipitato.* Cito descende.

578. *Ibi.* Cod. Ien. *ubi.* — *Ad hanc manum.* Pergit gestu verba adjuvare. — *Sacellum*, ut Varro ait, *sacra cella* est. Atqui *sacella*, Festo narrante, loca sunt sacrata sine tecto. — *Propter*, prope, et est adverbium.

579. *Magna est.* Post hæc verba, vulgo legitur *nostin'?* Abest ab uno cod. Bent. nec edid. Par. — *Illic*, in eodem ipso loco. — *Caprificus*, ficus silvestris.

DE. Id quidem angiportum non est pervium. SYR. Verum hercle, vah!
Censen' hominem me esse? erravi. In porticum rursum redi:
Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio.
Scin' Cratini hujus ditis ædes? DE. Scio. SYR. Ubi eas præterieris,
Ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,
Ito ad dextram: priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, et exadvorsum fabrica: ibi est. DE. Quid ibi facit?
SYR. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.
DE. Ubi potetis vos? SYR. Bene sane. DE. Sed cesso ad eum pergere.

580. *Verum hercle*, subaud. dicis. callidítas est maxima, deprehensum mendacium non defendere, sed fateri. *Don.*

581. *Censen'*. Guy. *sentio*. — *Censen' hominem me esse*, id est, apud me esse, mentis compotem esse? quasi qui insanire occiperet ex injuria. — *In porticum*, quem scilicet jam indicavit, vs. 575.

582. Both. legit *sane multo prop. hac, et minor ibi est erratio*. — *Multo propius*. Via multo compendiosiori. — *Et minor est erratio*. Non minus comice rursus viam indicat servus. Senem nempe, ad sinistram modo, modo ad dextram mittit, quamvis minimam erationem itineris pollicitus fuerit.

584. *Ad Dianæ*. Addit *templum* Guelf. 3. — *Ad sinistram*, supple *ito*. — *Hac recta platea*. Per hanc rectam plateam. — *Ad Dianæ*. Ellipsis græca, sc. *templum*.

585. *Portam*. Guelf. 3, *portum*. — *Ad portam*, urbis. Et dicendo *portam*, ostendit usque ad muros finemque civitatis erraturum Demeam. *Don.* — *Lacum*. Lacus sunt receptacula aquæ, semper portis addita, ut docet Varro, scilicet ob usum jumentorum exeuntium: et præterea ut adversus hostilem ignem portis de proximo subveniretur. *Don.*

586. *Exadvorsum*. Addunt *est* Z. Delph. Bip. — *Pistrilla*, pistrinum parvum. — *Fabrica*, fabri lignarii officina.

587. *Ilignis pedibus*. L. Bemb. *illignis*, C. G. m. et Be. cod. *illigneis*. — Joannes Clericus emendabat, *lectul. illic salignis pedibus faciunt*. — *Lectulos*, discubitorios, ad cœnandum. — *In sole*. Locutio singularis, pro *in quibus sub sole cœnetur*. Quia Athenis vere interdum et æstate sub sole, et dio cœnare solebant. — *Ilignis pedibus*, cum fulcris acernis, durissimis, firmissimis.

588. Bent. totum hunc versum Demeæ tribuit. — *Ubi*, in quibus,

Syr. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Æschinus odiose cessat; prandium corrumpitur;
Ctesipho autem in amore est totus: ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo, atque unum quidquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, et cyathos sorbilans paulatim hunc producam diem.

SCENA TERTIA.

MICIO. HEGIO.

Mic. Ego in hac re nil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio.

ut in eis. — *Potetis*. Supra, vs. 62. — *Bene sane*. Hic εἰρωνεία est, ut notat Donatus, non approbatio.

589. *I sane*. Perge quidem. Hæc Syrus, profecto Demea. — *Exercebo*, fatigabo. *Silicernium*. Terentius sic vocat extremæ ætatis senem, a silicernio; et hoc est prandium funebre, quod conficiebatur circa silicem, id est, circa sepulcrum mortui. Est autem exsecratio servilis in senem, veluti morte dignissimum.

590. *Odiose*. Be. *odiosus*. Unus ex ejusdem codd. *otiosus*. — *Odiose*, moleste. — *Prandium*. Hoc est, quod ante meridiem capiebatur, ut vult Plutarchus in Probl. composit. ex πρὸ et ἔνδιον. *Perl.* — *Corrumpitur*. Idem illud prandium, cui apparando tantopere supra, vers. 378, sqq. intendebat.

591. *Jam prospiciam*. Both. *tam prosp.* — *Prospiciam mihi*. Tanquam dicat: illi sua agunt negotia; et ego, illorum exemplo, consulàm mihi.

592. *Adibo*. Guy. male *abibo*. — *Atque un. quidq.* alii, *atque unumquodque, quod quid.* etc. — *Jam adibo*, ad culinam. — *Bellissimum*, suavissimum.

593. *Sorbilans*. Alii, *sorbillans*. — *Cyathos*. Est cyathus, e Westerhov. ordinaria mensura, qua bibentes utebantur, uno fere haustu exsiccantes. — *Sorbilans*, sæpius exhauriens; nec *sorbebo* dicit, nec *ebibam*. — *Producam*, hoc est, sensim teram ac consumam, producta voluptate fruendi.

Sc. III. Quartam scenam hic incipit Bip. — Sc. III. Videbatur Hegio a foro rediens cum Micione multo gestu significare suum prolubium, eumque gratulando quasi obtundere. Cui igitur initio hujus scenæ respondet Micio. Et est scena plena sententiarum senilium ad officia demonstranda. *Westerh. Don.*

Meum officium facio; quod peccatum a nobis ortum 'st, corrigo;
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant,
Sibi fieri injuriam ultro, si quam fecere ipsi, expostulant,
Et ultro accusant; id quia non est a me factum, agis gratias?
HEG. Ah, minume: nunquam te aliter atque es, in animum induxi meum.
Sed quæso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,
Atque istæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri,
Suspicionem hanc propter fratrem esse; ejus esse illam psaltriam.
MIC. Si ita æquum censes, aut si ita opus est facto, eamus.
HEG. Bene facis:
Nam et illi jam animum rellevaris, quæ dolore ac miseria

595. *A nobis.* Indulgenter dicit *a nobis*, quasi ipse in culpa sit.

596. *Qui ita putant.* Explicatur τὸ *ita*, versu seq. scilic. *sibi fieri inj.*

597. *Expostulant.* Volunt Faern. et Ruhnk. legi ex Bemb. *expostules;* quod nequaquam necessarium, ut infra liquet. — *Sibi fieri injur.* etc. In loco satis intricato construendum est: « qui putant sibi fieri injuriam, si *aliqui* expostulant eam injuriam (querantur de ea injuria) quam ipsi ultro fecere, et ultro accusant. » In hoc versatur difficultas quod verbis plurali numero positis, *expostulant, fecere, accusant* non idem est nominativus.

599. *Nunquam te aliter.* Guy. *nunquam esse aliter.* — *Ah, minume.* Intellige, *minume* te credo *esse* illorum *in numero*, vs. 596. — *Te*, supple *esse.*

600. *Ad matr. virg. eas.* Ien. omittit *eas.*

601. *Dixti.* Mss. We. *narrasti.* — *Quæ mihi dixti.* Ea autem iterum repræsentat in seq. versu. — *Tute*, tu ipse.

602. *Fratrem esse.* Illud *esse* Bent. intulit pro *et*, quod vulgo est. — *Suspicionem hanc*, de Æschino. — *Propter fratrem esse.* Accidisse propter fratrem ejus Ctesiphonem. — *Ejus*, Ctesiphonis.

603. *Si ita æquum*, etc. Quatuor hos versus expungit Guyet. — *Aut si ita.* Bip. Both. *aut ita.*

604. *Rellevaris.* Ien. *revelabis.* Al. *relevabis. Re*, autem in compositione fere duplicat consonantes, *redduco, repperio. Perl.* — *Illi.* Virgini. — *Relevaris*, recreaveris. — *Dolore* parturientis. — *Miseria*, injuria ab Æschino accepta.

Tabescit, et tuo officio fueris functus. Sed si aliter putas, 605
Egomet narrabo, quæ mihi dixti. MIC. Immo ego ibo. HEG.
Bene facis.
Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt, nescio
quo modo,
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis.
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.
Quapropter te ipsum purgare ipsi coram placabilius est. 610
MIC. Et recte, et verum dicis. HEG. Sequere me ergo hac
intro. MIC. Maxume.

SCENA QUARTA.

ÆSCHINUS.

Discrucior animi,

605. *Tuo.* Delph. Bip. *tu.* — *Sed si aliter putas*, si tu non ipse eam convenire volueris.

606. *Immo ego ibo.* Interponit Bent. *Imm. quoque eg. ib.*

607. *Quibus.* Both. *queis.* Id. *mage* pro *magis.* — *Omnes, quibus*, etc. Videntur hæc expressa e Menandrianis, quæ a Stobæo laudantur : Ἡρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ πράγματα, Καὶ πάντας αὐτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει. *Westerh.* — *Res minus secundæ*, fortuna parum prospera.

609. *Negligi.* Pro *negligi* leg. lib. Bemb. *claudier;* unde Fa. formavit *calvier.* Bent. ed. *ludier*, et multa de his variantibus disseruit. — *Propter suam impotentiam.* Infirmitatem contra potentes. Item Cicero, pro Marcello : « valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem *impotentium*, ad auxilium calamitosorum. » — *Negligi*, contemni. Vid. cæter. in var. lect.

610. *Ipsi.* Sic lib. antiq. Alii *ipsis coram*, matre et virgine.—*Te ipsum purgare*, te excusare ipsi, apud illam, *coram*, Æschino præsente. — *Placabilius*, ad placandum aptius.

611. *Ergo.* Vox illa exsulat ab Ien. cod. — *Maxume.* Libenter.

Sc. IV. Æschinus hac scena ostenditur pro ingenii bonitate maxime sollicitus de suo amore, ob turbam quam faciebat psaltriæ raptio, indeque orta suspicio. Trepidus tandem accedit ad fores Sostratæ, se ipsum purgaturus, sed a patre redeunte ex ipsis ædibus excipitur, et compellatur.

612. — *Discruc. animi.* In veterr. cod. Br. hæc versus clausula est. — *Discrucior animi.* Græcorum syntaxis est genitivi.

Hoccine de improviso mali mi objici,
Tantum, ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt, animus timore
Obstipuit, pectore consistere nil consili quit. Vah,
Quomodo me ex hac expediam turba, nescio: tanta nunc
Suspicio de me incidit:
Neque ea immerito. Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc emisse; id
Anus mi indicium fecit.
Nam ut hinc forte ea ad obstetrícem erat missa, ubi eam vidi, illico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat? jamne partus adsiet?
Eone obstetricem arcessat? illa exclamat: « abi, abi jam, Æschine.
Satis diu dedisti verba; sat adhuc tua nos frustrata 'st fides. »

613. *Hoccine mali*, pro *hoccine malum;* et id mali significatur, quod Æschinus propter raptum virginis opinionem excitarit, se sibi potius psaltriam rapuisse, non fratri. *Perl.*

614. *Quid me fac.* C. G. m. *de.* Itid. tres Be. codd. cum edd. vet. — *Quid me*, quid de me.

615. *Timore.* Bent. ingerit *præ tim.* — *Timore Obstipuit.* Attonitus est et torpet.

616. *Obstipuit.* C. G. m. et alii *Obstupuit.*

617. *Ex hac exp.* Quidam non habent *ex.* — *Ex hac turba.* Ex his difficultatibus.

618. *Suspicio.* Quæ fuerit ista suspicio, cf. sup. 613, not.

619. *Neque ea*, sub. *suspicio.* — *Immerito*, supple, orta est.

620. *Anus.* Canthara, illa anus, cui Sostrata dixerat, vs. 355: « curre, obstetricem arcesse. » *Don.* — *Mi indicium fecit.* Id mihi indicavit, sc. me venisse in suspicionem.

621. Both. *Namque hinc ea ut er. miss. forte ubi vidi ego illanc illico.* — *Ubi eam.* Don. videtur non legisse τὸ *eam.* — *Hinc*, a Sostrata. — *Ubi eam vidi, il. Accedo.* Hæc Æschini narratio tam plana est, ut inde metus adolescentis et ejus afflictio animi facile cognoscatur. *Perlet.*

622. *Jamne.* In lib. antiq. abest abest *ne*, quod duo codd. Be. habent.—*Rogito*, multo vividius quam *rogo.*

623. *Eone.* An ea de causa.

624. *Dedist. verb.* C. G. m. *nobis.* Non habet Do. nec l. Bemb. — *Satis diu dedisti verba.* Satis diu nos verbis circumvenisti. — *Adhuc*, ad hoc tempus usque; gr. μέχρι τού-

Hem! quid istuc, obsecro, inquam, est? « valeas, habeas illam, quæ placet ».
Sensi illico id illas suspicari, sed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc? quod minume 'st opus
Usquam efferri. Age, mitto: fieri potis est, ut ne qua exeat.
Ipsum id metuo, ut credant: tot concurrunt verisimilia:
Egomet rapui; ipse egomet solvi argentum; ad me abducta est domum.
Hæc adeò mea culpa fateor fieri: non me hanc rem patri,
Ut ut erat gesta, indicasse? exorassem ut eam ducerem.
Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Æschine, expergiscere!

700. — *Fides.* H. e. quæ data est puellæ. Supr. 334.

625. *Hem* rejecit Both. in versum præcedentem. — *Hem!* Mirantis, immo obstupentis.—*Quid istuc est?* Quid significant verba quæ tu dicis? —*Habeas illam.* Fruere illa psaltria.

626. *Reprehendi.* Par. pro var. *repressi.* — *Id*, sc. me hanc fidicinam amare. — *Illas*, mulieres ad domum Sostratæ pertinentes. — *Me reprehendi*, me retinui.

627. *Ac fier. pal.* Both. *ut* pro *ac.* — *Garrulæ.* Anui illi loquaci. — *Ac fieret palam*, ac ne res fieret palam.

628. *Dicam.* Al. *dicamne.*— *Quod minume 'st opus.* Quod nullo modo oportet palam fieri.

629. *Age*, *mitto.* C. G. m. *age*, *omitto.* — *Age*, *mitto.* Omitto illud, sc. hunc metum ne res aliquo modo divulgetur, quod fieri potest. Restabit tamen mihi alia sollicitudinis causa. Vid. vs. sq.

630. *Concurrunt.* Al. *occurrunt.* — *Ut credant.* Me mihi nimirum rapuisse illam, non fratri. — *Tot concurr. verisim.* Suppleri potest, indicia, ut mea esse credatur.

631. *Ipse egomet solvi argentum.* Puta enim a Micione patre adnumeratum. Cf. vs. 370. — *Ad me abd. est dom.* Supra, 169.

632. *Fat. fieri.* Posuit hic Schmieder notam exclamandi. Sed placet punctum aliorum. *Perlet.* — *Hæc*, i. e. cur in hanc suspicionem inciderim. — *Hanc rem.* Vitium Pamphilæ oblatum. — *Patri*, Micioni, quem noveram satis indulgentem.

633. *Ut ut.* Mss. Pall. non geminant *ut.* — *Exorassem.* Duo codd. Bent. *exorasse.* — *Ut ut erat gesta*, i. e. sive male, sive bene gesta erat. — *Exorassem*, ab eo impetrassem.

634. *Nunc porro.* Al. *nunc jam porro.*—*Cessat. usq. adh. est.* Segnis et tardus fui hucusque.

Nunc hoc primum 'st : ad illas ibo, ut purgem me. Accedam ad fores.

Perii! horresco semper, ubi pultare hasce occipio miser.

Heus, heus! Æschinus ego sum : aperite aliquis actutum ostium.

Prodit nescio quis : concedam huc....

SCENA QUINTA.

MICIO. ÆSCHINUS.

Mic. Ita ut dixti, Sostrata,
Facito; ego Æschinum conveniam, ut, quomodo acta hæc sunt, sciat.

635. *Hoc primum est*, quod faciam.

636. *Pultare.* Alii, *pulsare.* — *Horresco semper.* Satis amatorie; ait Donatus, ut alibi, Eun. 84 : « Totus, Parmeno, tremo horreoque, postquam adspexi hanc. » Sed, secundum Bœclerum, nullus hic amori locus; omnia referuntur ad prudentiam. « Suberat nempe, inquit, perpetua sollicitudo, quomodo res posset aperiri patri, et nova hæc ex mulierum suspicione perturbatio. » Ut ut sit, τὸ *semper* valde firmat Donati sensum, quamvis judicet Bœclerus eum stare non posse. — *Hasce*, δεικτικῶς, sc. fores.

637. *Actutum*, ocyus. — *Aperite aliquis.* Figura est ἀρχαϊσμὸς, pro aliquis e vobis aperiat.

638. *Concedam huc*, quod facit in angulo theatri. — Scen. V. Adnotat hic gallicus interpres Lemonnier : « Cette scène est pleine d'art, de naturel et de sentiment. L'art ne paraît point. Micion se moque d'Eschinus avec un ton si naturel, que le jeune homme s'y trompe. Le spectateur qui est dans la confidence, jouit de la frayeur de cet amant; mais le spectateur ne s'aperçoit pas que Térence, en l'amusant, l'intéresse en faveur d'Eschinus, et lui en donne une meilleure opinion que celle qu'il avait prise au commencement de la pièce. *Erubuit, salva res est... Abi, pater, tu potius Deos comprecare*, sont de la plus grande beauté de sentiment. Cette scène rachète bien la froideur du monologue qui la précède. »

639. *Dixti.* Ita quatuor codd. Bent. at duo ejusdem *dixisti.* Vulg. *dixi.* — *Ita ut dixti.* Hic apparet eos inter se jam multa dixisse.

640. *Facito.* Faern. ed. *facite.* — *Sunt.* L. antiq. *sint.* — *Ut, quomodo acta hæc*, etc. Scilicet, ut sciat, quod auctor his nuptiis factus sim, quod velim hodie apparari nuptias, eaque de re vobiscum omnia transegerim. *Bœcl.*

Sed quis ostium hoc pultavit? Æs. Pater hercle est, perii!
Mic. Æschine.
Æs. Quid huic hic negotî 'st? Mic. Tune has pepulisti fores?
Tacet. Cur non ludo hunc aliquantisper? melius est,
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nil mihi respondes? Æs. Non equidem istas, quod sciam.
Mic. Ita: nam mirabar, quid hic negoti esset tibi.
Erubuit: salva res est. Æs. Dic, sodes, pater,
Tibi vero quid istic est rei? Mic. Nihil mihi quidem.
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum sibi. Æs. Quid? Mic. Ego dicam tibi:
Habitant hic quædam mulieres, pauperculæ,

641. *Pater hercl.* Secum loquitur Æschinus.

642. *Quid huic hic*, etc. Both. delet *huic*. — *Quid huic hic negotî est.* Id est, in domo Sostratæ.

643. *Tacet.* Illud *tacet* rejiciunt in versu 642, Z. Bip. Delph. — *Tacet.* Hoc apud se loquitur Micio. — *Cur non ludo hunc aliquantisper?* Exquisite, ut nobis videtur, adnotat Bœclerus: « Spectatoribus indicat suum consilium Micio; imo Poeta, cujus ingenium egregie hic elucet. Pater, qualis Micio erat, objurgare non potuit filium: ergo deridet, sive deludit; non acerbo illo irrisionis genere, quod omni objurgatione et castigatione gravius est, sed lenissimo ac lepidissimo, et quasi ad hoc facto εἰρωνείας commento. »

644. *Hoc*, scilicet quod vitiavit virginem. — *Nunquam*, pro *non*. — *Credere*, committere, patefacere.

645. *Istas.* C. G. m. ut alii, *instas.* Non placet propter *equidem. Perl.* — *Non equidem istas*, scil. pepuli, pulsavi fores. — *Quod sciam*, quantum scio. Hæc dicit Æschinus perturbate ac sinistre.

646. *Ita.* Quidam *Itan'?* — *Ita.* Id est, non pulsasti. Accipit negationem Micio, ut ludere Æschinum possit. *Don.* — *Mirabar.* Revera autem nil miratur.

647. *Erubuit: salva res est.* Menand. Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ. Verecundus iste color in adolescentiore ætate est tinctura virtutis, ut dicebat Diogenes.

648. *Quid ist. est rei.* Both. *re.* — *Istic.* In hac domo, unde tu egrederis.

649. *Me a foro.* C. G. m. colloc. *a foro me*, ut vitetur hiatus. — *Amicus quidam me*, etc. Cf. vs. 514.

650. *Advocatum sibi.* Hoc est, ut ei adessem, et consilio meo auxiliarer. — *Quid?* qua de re? — *Ego dicam tibi.* Nihil in his verbis senile est, ut bene notat Bœclerus contra Donatum, nihil ad moras aut ambages pertinens. Sed παρασκευὴ actuosa, scenæ usitata, nec ab elegantiis latinis alienata.

651. *Pauperculæ*, nec pauperes

Ut opinor, has non nosse te; et certo scio;
Neque enim diu huc commigrarunt. Æs. Quid tum postea?
Mic. Virgo est cum matre. Æs. Perge. Mic. Hæc virgo orba
'st patre.
Hic meus amicus illi genere est proxumus :
Huic leges cogunt nubere hanc. Æs. Perii! Mic. Quid est?
Æs. Nil... recte... perge. Mic. Is venit, ut secum avehat:
Nam habitat Mileti. Æs. Hem, virginem ut secum avehat?
Mic. Sic est. Æs. Miletum usque? obsecro. Mic. Ita. Æs.
animo male 'st.
Quid ipsæ? quid aiunt? Mic. Quid illas censes? nihil enim.
Commenta mater est, esse ex alio viro
Nescio quo puerum natum, neque eum nominat.

saltem; quod addit, ut magis desperet Æschinus impetrari posse has nuptias a patre. *Don.*

652. *Ut opinor.* Alii, *ut opiner.* — Quidam delent *ut.* — *Non nosse.* Vellet Westerhov. legi *non nosti.* —*Ut opinor.* Quum multi varie hunc locum explicent, simplicius fuerit ἔλλειψιν admittere cum Bœclero : « *Credendum est*, ut opinor, etc. » Quod prævenit et supplevit, vultu affirmante propositum τὸ *et certo scio.* — Aut intellige cum Donato, adeo pauperculæ, ut opiner has non nosse te.

653. *Commigrarunt.* Both. *migrarunt.* — *Diu.* Ex longo tempore.

654. *Virgo est cum matre.* Both. delet *est.* — *Virgo.... hæc virgo.* Aliquid lepidi subest in vultu dicentis iterum *virgo*, de hac quam bene scit fuisse vitiatam.

655. *Hic meus amicus*, qui me advocatum adduxit de foro.

656. *Huic leg. c. nubere.* Lex Solonis est apud Demosthenem : « Orbæ qui sunt genere proximi, eis nubunto; aut iis orbis dotem danto. » Præterea animadverte non *permittunt*, dicere Micionem, nec *jubent*, sed *cogunt* ad perturbandum Æschinum. *Don.*

657. *Avehat.* Legit per aposiopesin Both. abjecto scilicet *avehat.* — *Recte*, quasi diceret iterum, *nihil est, omnia bene se habent*, voces perturbati et volentis suspicionem tamen amoliri.

658. *Mileti.* Urbs est Cariæ, nunc dicta *Melaxo.*

659. *Animo male 'st.* Animo linquor, præ dolore. Cf. Plaut. Amph. V, 1, 6 : « *Animo male 'st*, aquam velim. »

660. *Quid ipsæ? quid aiunt?* Alias, *quid ipsæ aiunt? — Aiunt.* Both. *agunt.* — *Illas.* Br. Z. *istas.* — *Quid ipsæ*, agunt? — *Quid ill. censes*, sub. *posse dicere.* — *Nihil enim*, nihil nempe dicunt.

661. *Commenta mater est.* Excogitavit fingere.

662. *Neque eum.* Both. *neque enim.* — *Nescio quo.* Scit autem apprime

Priorem esse illum, non oportere huic dari.
Æs. Eho, nonne hæc justa tibi videntur postea?
Mic. Non. Æs. Obsecro! non? an illam hinc abducet, pater?
Mic. Quid illam ni abducat? Æs. Factum a vobis duriter,
Immisericorditerque, atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
Mic. Quamobrem? Æs. Rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui cum illa consuevit prior,
Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat,
Quum hanc sibi videbit præsens præsenti eripi,
Abduci ab oculis? Facinus indignum, pater.
Mic. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?

ex quo. — *Neque eum nominat*, ex quo natus est filius.

663. *Prior. esse ill.* sub. dicens, opponens. — *Priorem*, hoc est, præferendum non cognatione, sed tori et partus jure. — *Huic*, Milesio.

664. *Videntur postea?* Alii, *videntur? postea*... Both. *Eho, nonne hæc juste tibi videtur poscere?* — *Postea*, quum res ita se habeat. Nec adverbium illud abundare, ut multi volunt, censemus. Similem vim habet εἶτα apud Græcos.

665. *Hinc abducet.* Both. delet *hinc.* — *Non.* Id est, ille nescio quis non mihi prior videtur. — *Obsecro! non?* Num, quæso, dicis non ita tibi videri? — *Pater*, quasi hoc ad supplicandum.

666. *Quid illam ni.* Be. ex uno cod. *quidni illam.* — *Quid illam ni.* Tmesis, pro *quidni illam.*

668. *Illiberaliter.* C. G. m. colloc. *illib. aperte*, satis confuse. — *Magis aperte.* Dicit *magis*, quia jam *aperte* dixerat: *duriter* et *immisericorditer* Cæterum Æschinus bene præfatus est, ne contumax adversus patrem videretur. *Donat.*

669. *Rogas me.* Both. delet *me.* — *Quid animi*, quem animum, quos animi affectus. — *Tandem*, vox prope desperati.

670. *Cum illa.* Par. omitt. *cum*, male. — *Prior.* L. antiq. *prius.* — *Illi misero.* Quid de se plus diceret, si factum confiteretur? *Don.* — *Cum illa*, tanquam cum uxore sua.

671. *Amat.* Lib. antiq. *amet.* — *Haud scio an*, fortasse. Vult loqui, ut alienus.

672. *Præsens præsenti.* In libb. quibusdam est, *præsens præsentem.* Sic Both.

673. *Facinus indignum*, supp. admittetur, si hæc fient.

674. *Qua rat. ist.* supple *dicis.* — *Quis despondit? quis ded.* Estne pater qui illam uxorem promiserit, qui in manum tradiderit? Latenter ex obliquo perstringit Æschinum, qui sine patris consensu et auctoritate se nuptiis illaqueaverat, dicendis ob eam causam illegitimis. *Farn.*

Cui? quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? Æs. An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc
Illinc veniret exspectantem? hæc, mi pater,
Te dicere æquum fuit, et id defendere.
Mic. Ridiculum : advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? sed quid ista, Æschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. Quid est?
Quid lacrumas? Æs. Pater, obsecro, ausculta. Mic. Æschine, audivi omnia,
Et scio : nam te amo, quo magis, quæ agis, curæ sunt mihi.

675. *Auctor.* Ien. cod. *actor.* — *Cui?* subaud. nupsit. — *Auctor his rebus quis est?* Cujusnam auctoritate celebratæ sunt nuptiæ?

676. *Cur duxit alienam?* Both. *condixit alieno?* — *Alienam*, alterius matrimonio debitam.—Donati nota est : « Utrum *alienam* filiam, an quæ possit aliena esse? nam omnes alienas filias ducunt. » Quæ quid significent plane non intelligo, nisi voluit, « Utrum... an quæ possit esse alterius, *aliena* sponsa? » Quare hic forte frustra est Bœclerus, qui lapsum et aberrantem a sensu Donatum vehementissime increpat: « Possetne, exclamat, aliquid ineptius adnotari quam quod in Donato hic legimus? Valde a Terentii lectione arcendus fuerit, qui non primo statim intuitu animadvertat, quis sit vere sensus. » Bene autem et Bœclero ipsi, et nobis præsertim, provisum est a Deo, quominus arceretur a Terentio excellentissima Donati investigatio, quam sine piaculo tacere non possemus. Ergo, quamvis Bœclero sæpissime laudes rependimus meritas, et in hac præsertim fabula; debuimus, ut est nobis gratus animus, Donatum acerbius, etiamsi graviter deliquisset, violatum ulcisci. Quod boni sit ominis, et huic operi proficiat. — *Sedere*, sic de virgine dicitur, quæ conditionem non reperit.

677. *Cognat. hinc.* Faern. ed. *huc.* — *Grandem*, ætate. — *Hinc Illinc*, proverbialiter pro, alicunde.

679. *Id defendere*, ne cognatus puellam abduceret.

680. *Ridiculum.* Alii bene multi, *ridicule.*

682. *Aut quid nob.* etc. Both. delet *aut.* — *Nostra*, sub. intersunt. — *Cum illis*, tum puella, tum Milesio.

683. *Quid est? Quid lacrumas?* Sic inquirit, quasi repente animadverterit flentem. — *Æschine, audivi omnia.* Victus animo patrio, non ultra ferre personam Micio potest.

684. Dat Both. *Ut sient : nam te amo; quo mage, quæ agis*, etc. — *Quo magis*, et propter illud mihi curæ majori sunt, etc.

Æs. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. Mic. Credo hercle : nam ingenium novi tuum
Liberale; sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiasti, quam te non jus fuerat tangere.
Jam id peccatum primum magnum; magnum, et humanum tamen :
Fecere alii sæpe, item boni : at postquam id evenit, cedo,
Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi,

685. *Ames.* C. G. m. *ut ames.* — *Ita velim*, etc. Fac ut conjunctionem membrorum ab *ita* et *ut* incipientium observes. Sensus est : « Duo sunt quæ pari studio animum meum occupant, et mea cupido tuum amorem semper merendi, et dolor pudorque ex culpa. » — *Velim*, pro *volo*. — *Promerentem*. Quam pie additum est *promerentem!* tanquam illic sit votum Æschini, quum possit pater etiam immeritum amare. *Donat.*

686. *Hoc delictum.* Vitium virgini illatum, te non postea edocto. — *Admisisse in me*, pro simplici *commisisse.*

687. *Me tui pudet*, id est, me pudet propter te, quem offendi graviter.

688. *Liberale*, ut virum decet liberum et honestum. — *Ne indilig. nim. sies.* Non ergo *ingratus*, sed *negligens* Æschinus : nec *negligens*, sed *indiligens :* nec in alterum, sed in se deliquit. Miræ clementiæ genus est, aut omnino ignoscere, aut crimen in levius commutare. Nam tota objurgatio ita amica est, ut non multum a blandimento discrepet : magisque proficiat apud audientem, ut vult Terentius, quam illa aspera atque præfracta. *Don.*

689. *In qua civitate.* An utique oblitus es te Athenis esse, ubi vivitur legibus?

690. *Non jus fuerat.* Plures, *jus non erat.*

691. *Magn. et hum. tam.* Faern. credebat *magnum* geminari debere, sed non audebat recipere duplum. Recepit Mur. velut neglectum a librariis. *Perl.* — *Magnum et human. tam.* Cf. Plaut. Merc. II, 11 : « humanum amare est. »

692. *Fec. al.* etc. Cf. Plaut. Epid. I, 1, 30.

693. *Numquid circumsp.* Aliquodne remedium circumspiciendo, huic facto attulisti? Fere similiter dicimus nos Gallici : « Ne vous êtes-vous pas *retourné* de façon ou d'autre? » — *Prospexti*, in futurum. — *Quid fieret?* quid faciendum foret? — *Qua*,

Quid fieret? qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere,
Qua resciscerem? hæc dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos Deos?
Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?
Nolim cæterarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. Æs. Hem! Mic. Bono animo es, inquam. Æs. Pater!
Obsecro, num ludis tu nunc me? Mic. Ego te? quamobrem? Æs. Nescio:
Nisi quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.
Mic. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arcessas: abi.

quomodo, subaudi via, vel ratione.

694. *Quid fieret.* Ms. Par. addit *et.*

695. *Qua,* per quos? — *Hæc dum dubitas.* Dum hæres inscius, quid inter hæc sit agendum.

696. *Prod. et te, et.* Both. delet *et te.* — *Prodidisti.* Misisti in periculum. — *Gnatum.* Ex animo amare jam videtur optimus senex venturum mox ad auras filiolum. — *Quod,* etc. quantum in te positum fuit.

697. *Dormienti,* id est, socordi et indiligenter rem agenti. — *Hæc confecturos,* res tuas peracturos.

698. *Deduct. dum.* Both. *tuam,* pro *domum.* — *In cubiculum,* in ædes tuas. — *Iri deductum,* fore deducendam, quod proprie verbum dicitur de virgine quæ viro conciliatur. Ovid. Ep. XVI, 313.

699. *Cæterarum rerum socordem,* negligentem in cæteris rebus. In Tacit. Hist. III, 31, legere est *socordem futuri.*

700. *Uxorem hanc.* Donatus non agnoscit *hanc.* — *Bono animo es.* Apparet flenti hæc omnia dicta esse. — *Hem!* Cum fletu et gaudio dixit.

701. *Num lud.* Alii, *non* pro *num.* — *Ludis,* ludificaris. — *Ego te?* Magna vis pronominum. — *Quamobrem* luderem?

702. *Eo.* Alii, *ideo.* — *Nisi.* Intellige, quasi reponeretur *sed.* — *Quia tam misere,* etc. Hoc modo Pamphilus, Andr. 959, 960. — *Eo,* ideo.

703. *Deos comprecare.* Quia ordinis fuerat prius rem divinam facere, et sic uxorem accersere. Et bene repetitum est *abi,* quasi hærenti morantique. *Don.*

Æs. Quid? jamne uxorem? Mic. Jam. Æs. Jam? Mic. Jam, quantum potest. Æs. Dî me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc ego amo meos.
Mic. Quid? quam illam? Æs. Æque. Mic. Perbenigne. Æs. Quid? ille ubi est Milesius?
Mic. Abiit, periit, navem ascendit: sed cur cessas? Æs. Abi, pater,
Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certo scio,
Quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.
Mic. Ego eo intro, ut, quæ opus sunt, parentur; tu fac ut dixi, si sapis.

704. *Jamne uxorem.* Ms. Paris. Par. *uxorem duc.* — *Quant. potest.* Veterr. Be. cod. *potest* sic, pro vulg. *potes.* — *Jamne uxorem*, supple, hanc mihi concedis? — Mic. *Jam.* Æsch. *Jam.* Mire affectus in hac scena commutavit et variavit Poeta. Post curam et sollicitudinem Æschini animo incussam, gaudendi materiam abunde suppeditat Micio, jocoque insuper et familiaritate commendat, vs. 706. *Bœcl.* — Accessit ad beneficium tempus. Et ideo *jam* quasi gestiens repetit adolescens. *Don.*

706. *Quid? quam illam?* Plene: «Me magis amas, *quam illam?*» Grate hoc et jocose.—*Perbenigne.* Multum putat, quia amator hoc dixit: ergo *benigne* significat large abundeque. — *Quid?* Formula interrogantis de alia re.

707. *Abiit, periit*, etc. Facete hæc Micio, ne diceret: Mentitus sum. Atque ita dixit, ut infantibus nutrices de terriculis dicere solent: quas quum ipsæ confinxerint, abolitas volunt, postquam puerulos vident nimium pavere. Et mihi videtur ridens hæc dixisse: ut intelligat Æschinus, Micionem joco fuisse mentitum. *Donat.* — Fere eumdem ad sensum omnino, et item ingeniose adnotat hic *Lemonnier*: «Micion répond rapidement à la question d'Eschinus. Térence aurait réfroidi la scène, s'il eût expliqué plus longuement la fable de l'homme de Milet. Le spectateur était prévenu de cette fiction. Eschinus en est assez instruit par ce peu de mots.»

708. *Certo.* Brot. Delph. *certe.* — *Nam tibi eos certo scio*, etc. Mira sententia, Deos obsequi bonis, quasi bonis hominibus multum debeant. Et in excusationem precandi Deos, vide quæ facultas nata sit patrem sine assentatione laudandi. Credebant enim veteres, pietatem Deorum atque parentum auxilio liberis esse. Æneid. II, 717: «Tu genitor, cape sacra manu, patriosque penates.» Citat hic Dacieria versum Hesiodi: Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

709. *Quam ego.* Delph. *quam ego sum.*

710. Hic versus, ut Donatus ait,

Æs. Quid hoc est negotî? hoc est patrem esse? aut hoc est filium esse?
Si frater aut sodalis esset, quî magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? hem,
Itaque adeo magnam mi injicit sua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam quod nolit : sciens cavebo.
Sed cesso ire intro, ne moræ meis nuptiis egomet sim?

SCENA SEXTA.

DEMEA.

Defessus sum ambulando : ut, Syre, te cum tua
Monstratione magnus perdat Jupiter.

in quibusdam non invenitur. — *Eo intro.* Eo in meam domum. — *Quæ opus sunt.* Intellige, sacrificium, vasa, vestes candidas, obsonia, vocationem genere proximorum, coquorum conductionem, tibicinas, lampadas et similia, uno verbo, quæ turbam faciunt nuptiarum. Cf. Andr. 367. *West.*

711. *Quid hoc est neg.* Delph. Bip. *q. hoc neg.* — *Quid hoc est negotî?* Quænam hæc res est? Loquitur secum Æschinus; et mirantis est hæc et laudantis oratio. — *Hoc est*, etc. Estne vere hoc vices istiusmodi patris ac filii bene feliciterque experiri atque probare?

712. *Quî.* Quomodo, in qua re. — *Morem gereret*, mihi indulgeret.

713. *Hiccine.* Both. *hicce.* — *Non gestand. in sin. est?* Caritatis summæ locutio.

714. *Injicit.* Al. *injecit.* — *Itaque adeo*, etc. Non expedit bene sententiam Donatus. Hoc dicit Æschinus : Sibi nunc imprimis curæ fore, ut pro tantis beneficiis et summa indulgentia, patri contra referat gratiam, obsequio cultuque. Αὐξητικῶς dictum est, *injecit mihi magnam curam, ne quid imprudens faciam, quod nolit*, ut propositum studiumque obsequendi conspectius faceret, affectum demonstrando. *Bœcler.* — *Commoditate*, benignitate.

715. *Sciens cavebo.* Al. distinguunt post *sciens*, perperam. — *Sciens cavebo.* Inspiciam et providebo.

716. *Ne moræ.* Sic. l. Bemb. In antiq. *mora.* Al. *in mora.*

Sc. VI. In tempore reducit poeta Demeam : cui compositis jam, quarum causa fratrem volebat convenire, turbis, futurum sane erat, ut minueretur de Æschino quidem cura, ex Ctesiphone vero augeretur. *Bœcler.* — Hæc scena integra, ut adnotat Westerhovius, paucis mutatis, exscripta videtur ex Plauti Amphitruone, IV, 1.

717, 718. *Defessus.* Valde fatigatus. — *Ambulando.* Proprie magis h. l. ut

Perreptavi usque omne oppidum, ad portam, ad lacum:
Quo non? neque ulla fabrica illic erat, nec fratrem homo
Vidisse se aibat quisquam: nunc vero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

SCENA SEPTIMA.

MICIO. DEMEA.

Mic. Ibo, illis dicam, nullam esse in nobis moram.
De. Sed eccum ipsum. Te jam dudum quæro, o Micio!
Mic. Quidnam? De. Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. Mic. Ecce autem... De. Nova,
Capitalia. Mic. Ohe, jam... De. Ah! nescis qui vir sit. Mic. Scio.

animadvertit ingeniose Perletus, diceret: *errando totam per urbem.* — *Te cum tua monstratione.* Sup. 575, sqq.

719. *Usque.* Ed. Anon. *usque inde.* — *Perreptavi.* Aptus seni incessus.

720. *Ulla fabr. ill. er.* Varie hæc collocantur. — *Nec.* Lib. antiq. *neque.* — *Quo non?* Supple *perreptavi.* — *Illic.* Quo me misit furcifer.

721. *Vidisse se.* Faern. in aliquot libb. non vidit *se.*—*Aibat.* Sic Bentl. ut alias, pro *aiebat.*

722. *Certum est.* Constitui. — *Obsidere* (producta media syllaba), diu sedere, assidue permanere.

Scen. VII. Scena hæc tota est ὀνειδιστικὴ et ἐπιτιμητικὴ, ex persona Demeæ: cujus tamen iracundia haud parum festive hebetatur compositis Micionis moribus et sermonibus. *Bœcl.*

723. *Ibo*, etc. Non viso Demea, loquitur Micio ad Æschinum qui est intra ædes. — *Illis dicam*, etc. Sostratæ et filiæ. — *In nobis.* Scil. me et te Æschino.

724. *O Micio!* Partic. *o* Bentl. ex codd. suis. Alii non habent.

725. *Quidnam?* Supple, affers novi? — *Fero alia flagitia*, etc. Molière, *l'École des maris*, act. III, sc. VI:

Sganarelle.

Venez, beau directeur, surnommé damoiseau,
On veut vous faire voir quelque chose de beau.

Ariste.

Comment?

Sganarelle.

Je vous apporte une bonne nouvelle.

Ariste.

Quoi?

Sganarelle.

Votre Léonor, où, je vous prie, est-elle?

et quæ sequuntur.

726. *Boni.* Ironice. — *Ecce.* Vox funesti ominis, et supple: ea quæ solet objicere. — *Nova*, recentia.

727. *Ah!* Both. *at.* — *Capitalia.* Capitis pœna digna. — Mic. *Ohe*,

DE. O stulte! tu de psaltria me somnias
Agere: hoc peccatum in virginem est civem. MIC. Scio.
DE. Oho, scis? et patere? MIC. Quidni patiar? DE. Dic mihi,
Non clamas? non insanis? MIC. Non: malim quidem...
DE. Puer natu 'st. MIC. Dî bene vortant! DE. Virgo nihil habet.
MIC. Audivi. DE. Et ducenda indotata 'st. MIC. Scilicet.
DE. Quid nunc futurum 'st? MIC. Id enim quod res ipsa fert:
Illinc huc transferetur virgo. DE. O Jupiter!
Istoccine pacto oportet? M. Quid faciam amplius?
DE. Quid facias? si non ipsa re istuc tibi dolet,
Simulare certe est hominis. MIC. Quin jam virginem
Despondi; res composita est; fiunt nuptiæ;

jam..... Simili sensu, loco citato, *Ariste:*

Cessons de railler, je vous prie.

— *Ah! nescis qui vir sit.* Tuus Æschinus.— *Scio.* Supple, *quod egerit*, potius quam, *qui vir sit.*

728. *O stulte!* Pro *O* l. antiq. ac Be. codd. *ah!* C. G. M. *Ha.* — *O stulte!* Non urbane magis Molerii nostri *Sganarelle* ad fratrem suum, act. I, sc. II:

Allez, vous êtes un *vieux fou!*

— *Somnias*, per errorem existimas.

729. *In virgin. est civ.* Al. colloc. *est in virginem.* — *Agere*, velle loqui. — *Hoc peccatum*, novum quod fero ad te.—*Scio*, frigide pronuntiandum.

730. *Oho.* Lib. antiq. *eho.*

731. *Malim quid.* Hæc verba Demeæ tribuunt Z. Both. Rari codic. legunt, MI. *Non malum quid.*—*Non clamas? non insanis?* dicit, quippe qui *clamare*, *insanire* consuevit. — *Malim quidem.* Supple: si fieri posset, aliter esse; sed quando quod factum est, et infectum esse non potest, æquo animo fero.

732. *Puer natu 'st.* Both. *puer natus.*

733. *Et duc. indotata 'st.* Sustulimus cum Bent. et Perl. notam interrog. aliorum. — *Ducenda indotata 'st.* Ex lege Attica, si quis puellam devirginasset, aut eam ducere, aut mori cogebatur. — *Scilicet.* Nimirum talem ducet.

734. *Quod res ipsa fert*, i. e. suadet, poscit.

735. *Illinc*, e Sostrata. — *Huc*, in domum meam.

736. *Oportet.* Supple, *te agere.*

737. *Si non ipsa re.* Ante hæc, L. antiq. inger. *rogitas?* Delet Fa.

738. *Simulare*, mœrorem.—*Hominis*, ratione aliqua præditi. — *Quin*, immo.

739. *Despondi* Æschino. — *Composita*, transacta. — *Fiunt nuptiæ.* Pactæ sunt nuptiæ.

Dempsi metum omnem : hæc mage sunt hominis. De. Ceterum,
Placet tibi factum, Micio? Mic. Non, si queam
Mutare; nunc, quum non queo, animo æquo fero.
Ita vita 'st hominum, quasi quum ludas tesseris.
Si illud, quod maxume opus est jactu, non cadit;
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
De. Corrector! nempe tua arte viginti minæ
Pro psaltria periere, quæ, quantum potest,
Aliquo abjicienda est; si non pretio, gratiis.
Mic. Neque est, neque illam sane studeo vendere.
De. Quid illa igitur facias? Mic. Domi erit. De. Proh Divum fidem!

740. *Dempsi.* Par. Ms. *depressi.*— *Mage.* Ita Bent. ed. ubique locorum, pro *magis.*—*Dempsi metum omnem.* Omnem timoris causam ademi matri et virgini. — *Hæc mage sunt hominis.* Bene repetit *hominis*, quod Demea dixerat, vs. 737; sed liquet, quo sensu accipiat. Et revocatur animo pulcherrima quæ est in Heautontimorumeno sententia, vs. 77, vol. I, pag. 320 : « Homo sum : humani nihil a me alienum puto. »

741. *Non.* Supp. placeret.

742. *Non queo.* Ms. quid. *nequeo.*

743. *Quasi quum.* Bent. *quasi si.* — *Ita vita 'st homin.* etc. Plat. de Rep. X : ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα. Pariter hac figura usi sunt Alexis apud Stobæum, Tzetzes Chiliad. X, cap. 341; Ambros. de Tobia, cap. 11; Plut. περὶ εὐθυμίας· Κυβείᾳ ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπείκασεν, ἐν ᾧ καὶ βαλεῖν δεῖ τὰ πρόσφορα, καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι. *Farnab.*

745. *Id arte ut corrig.* Both. *ad artem ut corrig.* — *Forte, arte,* dicta per oppositionem.

746. *Corrector.* Initio virulenta, quia dixit, arte ut *corrigas.* — *Tua arte,* pergit irridendo. — *Viginti minæ,* scilic. quanti emerat Æschinus psaltriam, parata Micionis pecunia. Cf. supr. 370.

747. *Quantum potest,* quantum poterit fieri.

748. *Gratiis.* Lib. antiq. *at grat.* Mss. Pall. *vel grat.* Alii *gratis.* — *Abjicienda,* abigenda vili quovis pretio. Nondum scit Demea, amicam Ctesiphonis filii esse hanc psaltriam. — *Gratiis,* non accepta rursus pecunia.

749. *Neque est.* Subaudi ex sup. versu, *abjicienda.* — *Studeo,* in animo habeo.

750. *Quid illa.* Pronomen *illa,* quod vulg. abest, recepimus ex Bent. post Perlet. — *Facias.* Ita veterr. Be. codd. Vulg. *facies.* — *Domi erit.* Psaltria sc. quæ jam intus est cum Ctesiphone. Cf. 285. *Perlet.*

Meretrix et mater familias una in domo?
Mic. Cur non? De. Sanum credis te esse. Mic. Equidem arbitror.
De. Ita me Dî ament, ut video tuam ego ineptiam;
Facturum credo, ut habeas, quicum cantites.
Mic. Cur non? De. Et nova nupta eadem hæc discet. Mic. Scilicet.
De. Tu inter eas restim ductans saltabis. Mic. Probe.
De. Probe! Mic. Et tu nobiscum una, si opus sit. De. Hei mihi!
Non te hæc pudent? Mic. Jam vero omitte, o Demea,

751. *Una in domo.* Quid. lib. *erit un. in dom.* — *Mater familias.* Sc. uxor. — *Una in domo?* in eadem domo commorabuntur?

752. *Sanum credis te esse.* Magna pars librorum, indicante West. legit *sanumne.* — *Cur non?* Posset dicere, non est Æschini amica; sed celanda est culpa Ctesiphonis. *Donat.*

753. *Ita me Dî ament, ut.* Formula affirmandi.

754. *Factur. cred.* Codic. quid. *factur. te credo.* — *Facturum credo.* Credo te facturum illud, ea mente ut, etc. — *Quicum,* quacum. — *Cantites,* amatoria cantica et meretricia.

755. *Hæc discet.* Alii in fine interrogant. — *Scilicet.* Erit ut dicis.

756. *Restim ductans salt.* Hoc est, saltationis genus, quo funem tenentes saltabant et in diversum se invicem trahebant. *Ruhnken.* — Et notat Minellius: Κόρδακα ἕλκων, *ductans* funem in saltatione comica, quam natam volunt ab eo fune, quo in Trojam introductus erat equus ligneus. Quæ vero Minellii notata ex ipso Aristoxeno auctore clarius cognosces. Cujus librum vide, Περὶ τραγικῆς ὀρχήσεως inscriptum. De ead. re cf. Schmied. ad Arrian. 7, 8. Atque notari insuper debet, impudicam haberi illam saltationem a veteribus, ut inde satis acerbe dictum pateat in senem. — *Tu i. eas,* etc. Neq. vero prætereundi sunt Horat. Ep. I, 10, 47, et Liv. XXVII, 37, «per manus, inquiens, *reste ducta* (vel *data*) virgines, etc.» Quo saltandi genere, We. narrante, etiam amatores studebant placere amicæ. Plura Lindenbr. Postremum moneo, id *restim ductare* etiam posse ad senis pueros imitantis ineptiam convenire vel importunitatem. *Perlet.* — *Probe.* Dictionem hanc Bent. omittit tanquam a glossatore. — Mic. *Probe.* Formula assentientis, ut gallice, *fort bien; d'accord.*

758. *Omitte, o Demea.* Alii *omitte, Demea;* alii, *mitte, o Dem.* — *Non te hæc pudent?* Item *pudeo* personali forma, Plaut. Cas. V, 11, 3. Est autem *hæc* casu nominandi sumendum. *Perl.* — *Jam vero.* Quasi innuentis et disputatum et lusum satis esse.

Tuam istanc iracundiam, atque ita uti decet,
Hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conveniam; post huc redeo. DE. O Jupiter.
Hanccine vitam! hoscine mores! hanc dementiam!
Uxor sine dote veniet; intus psaltria est;
Domus sumptuosa; adolescens luxu perditus;
Senex delirans: ipsa si cupiat Salus,
Servare prorsus non potest hanc familiam.

759. *Omitt. Tuam ist. iracund.* MOLIÈRE, fabula citata, act. I, sc. 1:

ARISTE, *à Sganarelle.*

Cette farouche humeur dont la sévérité
Fuit toutes les douceurs de la société,
A tous vos procédés inspire un air bizarre.

760. *Hilarum.* C. G. m. *hylarem.* — *Gnati in nupt.* Lib. ant. *in nati nupt.*

761. *Ego hos conveniam.* Referenda hæc sunt ad initium hujus scenæ, ubi Micio, in Demeam incidens, incepto suo erat prohibitus. *Perlet.* — *Huc*, ad meas ædes, ad te. Dicens hæc abit.

762. *Hanccine vitam!* etc. Totum illud expressit fere ad verbum nostras MOLIÈRE, fabula citata, et pro *Salute*, quæ Græcis ὑγίεια erat, substituit *Sapientiam.* Act. I, Sc. IV:

SGANARELLE.

Oh! que les voilà bien tous formés l'un pour l'autre.
Quelle belle famille! *un vieillard insensé*,
Qui fait le dameret dans un corps tout cassé!
Une fille maîtresse et coquette suprême!
Des valets impudents! Non, la *Sagesse même*
N'en viendrait pas à bout, perdrait sens et raison
A vouloir corriger une telle maison.

766. *Servare.* Ex Hel. Both. corrigit *salvare.*

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

SYRUS. DEMEA.

SYR. Ædepol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi. Sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. DE. Illuc sis vide
Exemplum disciplinæ. SYR. Ecce autem hic adest
Senex noster. Quid fit? quid tu es tristis? DE. Oh, scelus!

Sc. I. Bip. hic habet act. IV, sc. IX; Both. act. IV, Sc. VIII. — Hic exemplum inducitur licentiæ servorum sub miti domino. *Don.*

767. *Syrisce.* Adblanditur sibi madidus servus, diminutiva sui nominis formula. — *Te*, ventrem *tuum.* — *Molliter*, delicate.

768. *Munus tuum*, edendi et bibendi, ut sibi pollicitus fuerat, 592, 593.

769. *Sed postq.* Both. *sic postquam.* — *Abi.* Hoc verbum esse Donat. exponit vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. — *Intus.* Hoc adverb. pro vernili sermone est, ad plenissimam saturationem indicandam. *Perlet.*

770. *Prodeambulare.* Mss. We. *porro deamb.* Bru. C. e. disjunctim, *pro* (exclamatio) *deamb.* It. C. G. m. *proh.* — *Illuc.* L. antiq. *illud.* — *Prodeambulare.* Delicatorum est, ut ait West. En vero delicias servi, cui gemina opus est præpositione, *pro, de*; ut molliter sensa explicet atque ostendat. *Perlet.* — *Libitum est.* Est hominis genio omnino indulgentis. — *Illuc*, pro *illud.* Loquitur Demea visum intuens Syrum. — *Sis*, si vis. — *Vide.* Ita solent stomachantes. Vid. Phorm. 358. *Perl.*

771. *Adest.* Variat series verbor. in hoc versu. Plurimi enim finiunt ex Bemb. in *adest.* Alii in *senex* vers. sequent. — *Exemplum disciplinæ*, supple, herorum; i. e. vide servum hunc ebrium, qui specimen egregium offert disciplinæ vigentis apud heros quibus famulatur. — Minus apte creditur alludi ad id quod infra patet, vs. 967, Syrum fuisse pædagogum fratrum amborum Syri et Æschini.

772. *Oh, scelus!* alii, *ohe!* alii *eho.* — *Senex noster.* Innuit, quem tam lepide lusimus. — *Quid fit? quid*, etc. Mire securitatem ebrii expressit. *Donat.*

SYR. Ohe, jam tu verba fundis hic sapientia!
DE. Tu si meus esses... SYR. Dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses. DE. Exemplo omnibus
Curarem ut esses. SYR. Quamobrem? quid feci? DE. Rogitas?
In ipsa turba atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus!
Quasi re bene gesta. SYR. Sane nollem huc exitum.

SCENA SECUNDA.

DROMO. SYRUS. DEMEA.

DR. Heus, Syre! rogat te Ctesipho, ut redeas. SYR. Abi.
DE. Quid Ctesiphonem hic narrat? SYR. Nil. DE. Eho, carnufex,
Est Ctesipho intus? SYR. Non est. DE. Cur hic nominat?
SYR. Est alius quidam, parasitaster paululus.

773. *Ohe.* Sic solent qui aspernantur plura audire. — *Fundis*, in abundantia. —*Verba sapientia*, præcepta sapientiæ. — Donat. explicat *tu, Sapientia;* sed, ut animadvertit Bœcler. poeta noster haud solet ex tam longinquo petere sententias.

774. *Tu si meus esses...* Al. *Tun'? si meus*, etc. — *Dis*, dives. Syrus pro calliditate sua, occupat Demeam triste aliquid vel minaciter dicturum; ac simul illudit avaritiam. *Perlet.*

775. *Constabilisses.* Al. *stabiliss.* — *Exemplo.* In l. Bemb. *exempla.* Vulg. ed. *exemplum.* — *Tuam rem* familiarem, tua bona.

776. *Rogitas.* Al. *rogas.*

777. *In ipsa turba.* De raptu psaltriæ loquitur. — *In peccato max.* de vitio Pamphilæ oblato.

778. *Potasti.* Don. *potastis*, et illud putat oratorie dictum.

779. *Noll. huc.* Al. *hunc.*—*Quasi re bene gesta.* Scilicet quia dixerat Syrus: *lauteque munus*, etc. vs. 768. — *Nollem huc exitum*, nollem huc de ædibus prodiisse.

780. *Heus.* C. G. m. geminat *heus.* — *Abi.* Supprimit addenda: *in malam rem*, tu qui Ctesiphonem nominas præsente Demea.

781. *Quid Ctesiph. hic narr.* sub. *velle.* — *Carnufex.* Syrum alloquitur.

782. *Intus*, in domo Micionis.

783. *Quidam.* Par. p. var. *quidem.* — *Paululus.* Faern. *parvolus.* — *Est alius quidam*, cui pariter nomen est Ctesipho. — *Parasitaster paululus.* H. e. parasiti imitator, ut monet L. Valla. — Syrus ne in ebrie-

Nostin'? De. Jam scibo. Syr. Quid agis? quo abis? De. Mitte me.
Syr. Noli inquam. De. Non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic? Syr. Abit.
Ædepol comissatorem haud sane commodum,
Præsertim Ctesiphoni. Quid ego nunc agam?
Nisi dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi: sic agam.

SCENA TERTIA.

MICIO. DEMEA.

Mic. Parata a nobis sunt, ita ut dixi, Sostrata,
Ubi vis. Quisnam a mé pepulit tam graviter fores?
De. Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar?

tate quidem fallaciarum oblivisci-tur, ut agnoscere est.

784. *Jam scibo*, quis sit. Hæc cum stomacho dicit Demea, simul in ædes Micionis introrumpere parans. *West.* — Syr. *Quid agis?* Et simul retinet eum.

785. *Non man. abst.* Injecit, ut videtur, manum Syrus. — *Mastigia.* Gr. μαστιγίας, scilicet, tu flagellis dignus.

786. *Dispergam.* Mss. Pall. *dispergi.* — *An tib. mavis cerebrum disp. hic.* Ut apparet, baculo minatur. — *Abit.* Tristi vultu et desperanti pronuntiatum.

787. *Comissatorem.* C. G. m. scrib. *commessatorem.* Guy. vult nominativum *comessator,* — *Comissatorem.* Convivam. Et subaudi *ecce.*—*Haud sane commodum,* perquam ingratum.

788. *Præsert. Ctesiphoni.* Duo scilicet fratres sunt intus.

789. *Hæ silesc. turbæ.* Both. *hæc* pro *hæ.* — *Dum hæ silescunt turbæ.* Donec turbæ quæ patrem inter et filium orientur sedatæ fuerint.

790. *Hoc villi.* Mss. quidam et editi, *hoc vini.* — *Edormiscam hoc villi,* decoquam hoc vinum. Et *villi* diminut. pro *vini.* — *Sic agam.* Ita solent post deliberationem in re gravi, quod facere certum sit statuentes.

Sc. III. Bipontini abhinc, nescimus qua ratione inducti, cum Dacieria actum quintum ordiuntur.— *Ita.* Al. libb. non exhibent. — In hac scena collatio est personarum, mitis parentis ac severi.

791. *Parata a nobis*, etc. Hæc Micio ad Sostratam intus manentem. Et τὸ *parata*, alludit ad vs. 710 sup.

792. *Ubi vis*, sub. fient nuptiæ, aut adduci filium, vel tale quiddam. — *A me.* E domo mea. — *Fores*, meas.

793. *Quid agam?* Hæc absunt ab

O cælum! o terra! o maria Neptuni! Mic. Hem tibi!
Rescivit omnem rem; id nunc clamat scilicet.
Paratæ lites: succurrendum 'st. De. Eccum adest
Communis corruptela nostrûm liberûm.
Mic. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
De. Repressi, redii, mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus. Dictum inter nos hoc fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum? responde. Mic. Factum 'st, non nego.
De. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? nam quî minus
Mihi idem jus æquum 'st esse, quod mecum 'st tibi?

editis nonnullis. — *Hei mihi!* Demea, hæc dicens, irrumpit furibundus. — *Quid faciam? quid agam?* Varro, de Lingua latina, distinguit *agere*, quod genus est, *facere*, species.

794. *Neptuni.* Edit. princ. *Neptunia.* — *O maria Neptuni.* Circa hæc Donatus suspicatur, velle Demeam diluvium et interitum rebus optare, ut omnia Neptunia fiant; nimis longe petitum est, ut ait Bœclerus, nec Terentiani moris. — *Hem tibi!* Fortasse innuit Ctesiphonem. «Cave, Ctesipho.»

795. *Scilicet.* Parm. edit. *ilicet.* — *Id clamat.* Propter illud.

796. *Paratæ lites,* jurgia contra me excogitata sunt. — *Succurrendum 'st.* Ctesiphoni.

797. *Nostrûm liberûm.* Br. *nostrorum.* Guelf. 2, *liberorum.* — *Eccum adest Communis corruptela,* etc. Item Molière, *Fourberies de Scapin*, act. I, scen. VI: «Ah! ah! vous voilà donc, sage gouverneur de famille, beau directeur de jeunes gens!»

799. *Mitto.* Ien. *omitto.* — *Repressi, redii, mitto maled.* etc. Notatum velis, non tam mitescere eum animo, quam destitui adversario. Quam enim parum moveretur Micio tali tumultu et jurgio, satis expertus erat. *Bœcler.*

800. *Inter nos hoc.* Colloc. l. Bemb. *hoc inter nos.* — *Putemus*, consideremus. — *Dictum int. n. hoc f.* Inter nos convenit.

801. *Ortum.* Guelf. 2, *exortum.* — *Ex te adeo est ort.* Et tute hoc dictavisti. Hæc per interrogationem dicuntur. — *Adeo* pro *etiam.*

802. *Neve ego tuum?* Non interrogat Br. — *Factum 'st.* Convenit inter nos, ut ais.

803. *Cur nunc.* Both. *cur meus nunc.*

804. *Nam quî.* Var. codd. *num qui;* al. *numquid.* Sed placet *nam*, particula probandi. — *Quî minus Mihi,* etc. Cur non æquum esset, id est, nonne æquum esset idem jus esse contra te, quod tibi est contra me.

805. *Idem jus.* Bothius *tecum* ex Bentl. addit, propter antithesim *mecum* sequentis.

Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
Mic. Non æquum dicis. De. Non? Mic. Nam vetus verbum hoc quidem 'st,
Communia esse amicorum inter se omnia.
De. Facete! nunc demum istæc nata oratio est.
Mic. Ausculta paucis, nisi molestum 'st, Demea.
Principio, si id te mordet, sumptum filii,
Quem faciunt, quæso, hoc facito tecum cogites:
Tu illos duo olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore;
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum. Eamdem illam rationem antiquam obtine;
Conserva, quære, parce, fac quam plurimum

806. *Quando ego*, etc. Versus hic rem sæpius repetitam ostendit, et parum ibi Terentio dignus videtur.

807. *Non?* Hoc *non* posterius Westerh. attribuit etiam Micioni, male ex Donat. ut putat Perlet. quem sequimur. — *Non æquum dicis...Nam*, etc. Verisimile est rem, sedato contendentium ardore, in jocum verti a Micione, qui scilicet, ut Don. opinatur, non habeat rationem quam subjiciat, nisi quod proverbii cujusdam recordetur.

808. *Communia esse.* Menand. item in Ἀδελφοῖς: τὰ τῶν φίλων κοίν', οὐ μόνον τὰ χρήματα.

809. *Facete!* sub. loqueris. Ironice dictum. — *Nunc demum*, etc. His Demea significat ridiculum esse, *nunc demum* ea afferre, quæ, si contra conventionem valere unquam debuissent, ab initio statim exprimenda fuissent. Contra vero hoc ipso mane Micio dixerat: «Nam ambos curare propemodum reposcere illum est quem dedisti.»

810. *Ausculta paucis.* Aurem præbe paucis verbis quæ sum dicturus.

811. *Si id te m. sumptum*, etc. Est hic attractio græca, substantivum regente verbo quod sequitur. *Id* autem fere abundat; construe: Si id mordet, vexat te, scilicet sumptus, quem filii tui faciunt. Itid. Eunuch. vs. 653, «Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!»

812. *Hoc.* C. G. m. *hæc.*

813. *Duo.* Alii, *duos* — *Tollebas.* Alii, *tolerabas.* — *Illos duo.* Virgil. Æneid. lib. XI, vers. 285: «Si *duo* præterea tales Idæa tulisset Terra viros.» — *Pro re tua*, prout facultates tuæ ferebant. — *Tollebas*, educabas.

814. *Quod*, quoniam. — Junge *satis fore.*

816. *Obtine.* Par. pro var. *retine.* — *Rationem*, computationem. — *Antiquam*, quam tunc tecum constituebas, quum putares ambos tibi soli esse alendos.

817. *Conserva.* Sc. parta. — *Quære*, nova bona. — *Parce* omnibus. — *Quam plurimum* bonum.

Illis relinquas ; gloriam tu istam obtine.
Mea, quæ præter spem evenere, utantur sine.
De summa nil decedet; quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse : omnia hæc si voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi et tibi, et illis dempseris molestiam.
Dem. Mitto rem; consuetudinem ipsorum... Mic. Mane :
Scio, istuc ibam. Multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus conjectura facile fit,
Duo quum idem faciunt, sæpe ut possis dicere :
Hoc licet impune facere huic, illi non licet ;
Non quo dissimilis res sit, sed quo is qui facit.

818. *Tu istam obtine.* Bentl. codd. et Edd. vett. *tu ist. tibi obtine.* — *Relinquas* hereditate.—*Obtine*, consequere.

819. Non interpungit Br. post *sine* in fine versus.— *Mea, quæ*, etc. Permitte ut utantur illi et fruantur bonis meis, quæ obvenere tibi et ipsis contra quam sperabant. — *Mea utantur*, pro *meis*. Archaice.

820. *De summa*, scilicet rei tuæ. —*Hinc*, διυτυχῶς, id est, a me.

821. *Omnia hæc.* Sic libb. antiqui. Bemb. *omne*, quod præfert pariter Bent. — *De luero esse.* Tanquam inopinatum lucrum inventum fuisse.

822. *Vere.* Both. *vero.* — *Vere*, serio.

823. *Et illis.* Hoc tertium *et* tollit Both. — *Dempseris*, pro *demes*.

824. *Mitto rem.* Omitto pecuniam. Non loquor de fortunis meis. — *Consuetudinem ipsorum*, sub. attingamus loquendo. Et innuit consuetudinem duorum juvenum cum meretricibus. — *Mane*, adhortantis vox est ut audiat sequentia.

825. *Istuc ibam.* Hac de re dicere parabam.

826. *Ex quibus.* Bentleius colloc. *quib. ex.* — *Multa in hom. Signa insunt*, etc. Totum illud intellige : « Homini intelligenti facile est de vita et moribus adolescentium æstimare animum ipsorum et ingenium; adeo etiam, ut, quum duo idem facere videntur, dicat tamen peritus rerum æstimator: *Hoc licet huic impune facere*, etc. Qui sc. liberali ingenio præditus est, nec facile corrumpi potest. *Ille non potest*, quippe qui per naturæ improbitatem obsequio abutitur. » Sequitur hypothesis, *quæ ego in illis esse video.*

829. *Non quo..... sed quo.* Lib. antiq. utrobique *quod.* — *Sed quo is.* Sed quia ii qui faciunt sunt dissimiles. Oratio autem illa, etsi de ipsis verbis satis intelligendà, sententiam includit non adeo perspicuam. Quod ipsum artificiose potuit fingi, ut suspicatur gallicus interpres *Lemonnier* : « L'intention du poète était peut-être de mettre Déméa hors d'état de répliquer, en lui faisant débiter par son frère un verbiage imposant et dogmatique, auquel il ne pût rien comprendre.

Quæ ego in illis esse video, ut confidam fore
Ita ut volumus : video eos sapere, intelligere, in loco
Vereri, inter se amare : scire est liberum
Ingenium atque animum : quovis illos tu die
Reducas. At enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulo. O noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius.
Solum hoc unum vitium senectus adfert hominibus :
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est ;
Quod illos sat ætas acuet. DEM. Ne nimium modo

Peut-être tout ce couplet répond-il au *voilà ce qui fait que votre fille est muette*, de Molière.»

830. *Quæ ego in illis*, etc. Quid verba hæc significent, aut quo referantur, id se West. confitetur latere. At vero nos non inepte referemus *quæ* ad *signa*, quæ *in homine* sc. *inesse* v. 826 dicuntur. Deinde pronom. *quæ* cum emphasi ac vi majore putamus sumendum pro, ea, talia, vel ejusmodi. Aut explenda est constructio verborum hoc modo : *Quæ* signa *ego in illis* filiis hujusmodi *esse video*, *ut*, etc. His ita verbis constructis sensus sane facilior prodibit et clarior. Itaque Micio ostendit, in filiis ambobus *signa* apparere, unde cognoscatur, non ita esse, ut, quod supra monuerit in universum, uni liceat facere impune, quod non alteri idem; sed contra utrique illorum pariter licere impune facere unum idemque. Ac Micio etiam in sequentibus docet, utrosque filios indole animi non esse dissimiles. *Perlet.*

831. *Eos.* Hæc dictio non est in Bemb. lib.—*Ita ut*, pro *tales quales.*

832. *In loco Vereri.* Quum tempus postulat, pudore affici.— *Inter se amare*, mutuo amore conjungi. *Scire est*, unde facile intelligere liceat. — *Liberum*, liberale, dignum viris liberis.

833. *Tu die.* C. G. m. pro *tu die*, exhib. *studio.* Singularis leçtio. — *Quovis die*, quandocumque tibi libuerit.

834. *Illos Reducas.* Supple, ad sanam mentem ; vel in rectam vitæ viam. — *At enim metuas.* Quasi diceret, at fortasse objicies te metuere ne, etc. — *Ab re Omissiores.* Rei familiaris augendæ minus studiosi.

835. *O noster Demea.* Cum blanditie, et quasi dicat : «Multa te latent, Demea, simplex homo es.»

836. *Ætate*, scil. ingravescente.

837. *Hominibus.* Par. Mss. *omnibus.*

838. *Ad rem*, etc. Ad divitias accumulandas. Vide Horat. Art. Poetic. Item BOILEAU, Art. Poet. *ch.* III, vs. 383 :

La vieillesse chagrine incessamment amasse.

839. *Ne nimium.* Par. ed. *næ.* — *Quod*, ad quod. — *Acuet*, urgebit. — *Ne nimium modo.* Supple antea, *cavendum est.*

Bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus æquus subvortant. Mic. Tace,
Non fiet. Mitte jam istæc; da te hodie mihi;
Exporge frontem. Dem. Scilicet ita tempus fert,
Faciundum 'st. Ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. Mic. Immo de nocte censeo.
Hodie modo hilarum te face. Dem. Et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. Mic. Pugnaveris.
Eo pacto prorsum illic alligaris filium.
Modo facito, ut illam serves. Dem. Ego istuc vidéro:
Atque illi, favillæ plena, fumi ac pollinis,
Coquendo sit faxo et molendo; præter hæc
Meridie ipso faciam ut stipulam colligat:

840. *Bonæ istæ tuæ ration.* ironia.

841. *Subvortant.* Varie legunt, *subvortat, subvertant, subvortit, evertant.* — *Animus æquus*, mitis et facilis. — *Nos s.* perdant nos et filios nostros.

842. *Mitte jam istæc*, id est, verba mali ominis. — *Da te hodie mihi.* Accommoda te ipsum voluntati meæ.

843. *Exporge*, explica, quod nempe est hilaritatis. — *Scil. ita temp. fert.* Ostendit se magis cogi necessitatibus.

844. *Cæterum*, etc. Hoc ideo facit, quasi gaudere interim non possit, nisi se vicinæ sævitiæ proximitate soletur.

845. *Cum primo lucu.* Bentl. libb. *cum prima luce.* Cod. Fabric. *luci.* — *Ibo hinc.* Hæc verba a Faern. sunt, sed in libb. quibusdam per aposiopesin omittuntur. — *Immo*, delet Faern. — *Cum primo lucu.* Veteres dicebant *lucus*, pro *luce*, pro *sole* ponentes. — *Ibo hinc*, tanquam de malo loco. — *De nocte*, per noctem; et abundat *de.*

846. *Te face.* Lib. antiq. exhibent *fac te.*

847. *Illuc*, ex hoc loco. — *Pugnaveris*, præclaram rem feceris. Sic Lucil. citante Donato: « Vicimus, o socii, magnam pugnavimu' pugnam. »

848. *Illic*, rure. — *Alligaris*, affixeris. Hæc cum risu dicit Micio.

849. *Modo facito*, etc. Vide ne forte illa tibi aufugiat, et filius una. — *Istuc videro.* Cavebo istud de quo tu loqueris.

850. *Atque* reponitur a Bentl. in fine versus præcedent. — *Illi.* Cod. Reg. Be. *ibi.* C. G. m. *illa.* — *Illi*, pro *illic*, ut mos est Terentianus. — *Pollinis*, is est pulvis farinæ subtilissimus.

851. *Coquendo et molendo.* Labores ejus modi ancillarum enumerat Plautus, Merc. II, III, 62. — *Faxo*, faciam.

852. *Stipulam.* Par. p. var. *stipulas.* — *Meridie ipso*, quum sol torrentior est.

Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo 'st. MIC. Placet.
Nunc mihi videre sapere: atque equidem filium
Tum etiam, si nolit, cogam, ut cum illa una cubet.
DEM. Derides? fortunatus, qui isto animo sies;
Ego sentio. MIC. Ah, pergisne? DEM. Jam jam desino.
MIC. I ergo intro; et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem.

SCENA QUARTA.

DEMEA.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,

853. *Quam carbo'st.* Par. p. var. *quam carbonem*, non recte. — *Excoctam*, tostam. — *Placet*, id mihi jucundum est.

854. *Nunc.* Un. Mss. Pall. *tunc*, perperam. — *Atque equidem.* Hæc et quæ sequuntur C. G. m. et Hal. Demeæ dant, sed cæteri omnes melius Micioni. — *Filium.* Pauci codd. *tuum.* — *Videre,* pro *videris.*

855. *Cogam.* Lib. antiq. *cogas.* — *Tum etiam*, quum psaltriam effeceris talem. — *Si nolit*, etiam si renuat.

856. *Isto.* Lib. antiq. *istoc.* — *Derides?* Hæc dicens, me deludis. — *Fortunatus*, supple *es.* — *Qui isto animo sies.* Quasi diceret, qui miseriarum sensum abjecisti.

858. *Cui rei.* Alii addunt *opus est.* — *Ei rei.* Retinuimus *rei* post Bent. et Perl. ex lib. Bemb. Idem lib. non habet *hilarem*, quod vulgo sequitur. — *Intro*, in ædes meas. — *Cui rei, ei rei.* Simil. Cicer. Orat. p. Rosc. Amer. « qui de *ea re* posset dicere aliquid, in *qua re* nulla subesset suspicio. » De tali autem repetitione nominis, vide Sanct. Min. II, 9. *Perl.* — *Ei rei*, nuptiis Æschini faciendis. — *Sumamus*, consumamus, absumamus.

Sc. IV. Ab hac scena Schmieder incipit drama, quod secundarium appellat, ubi agendo ostendatur nihil homini melius esse, quam facilitatem vel comitatem morum. Sed quo jure ille vir ex parte comœdiæ faciat comœdiam veluti separatam, equidem vix scio. *Perlet.* — Demea cœpit, perpenso, quod vita fratris sit læta ac suavis, mutare suam tristem et ærumnosam; et quia re bene considerata necessitatem mutationis sibi invenerit, Terentius inde a crimine novæ conversionis Demeæ facile defenditur. Hactenus autem iracundia et ægritudo animi plerumque obstiterat philosophanti. Nunc, composita in novum quasi habitum mente, magnifica orditur ῥήσει.

859. *Fuit.* Bent. *fuat.* — *Bene subducta ratione.* Considerata recte vivendi via, translatum a calculatoribus. *Farn.*

Quin res, ætas, usus semper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat; ut illa quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies:
Quod nunc mihi evenit: nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope decurso spatio omitto: id quamobrem? re ipsa repperi,
Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.
Id esse verum, ex me atque ex fratre cuivis facile 'st noscere.
Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis,
Clemens, placidus, nulli lædere os, adridere omnibus,
Sibi vixit, sibi sumptum fecit; omnes benedicunt, amant.
Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,
Alia cura: heia autem, dum studeo illis ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam.

860. *Quin res*, rerum occasiones.

862. *Ut repud.* Abest *ut* a multis. — *Prima*, primo loco ponenda, optima, ante alia eligenda.

864. *Decurso*. Lib. antiq. *jam excurso*. — *Prope decurso*, pæne jam confecto vitæ cursu. — *Omitto*, relinquere constitui.

865. *Facil. clem.* Inter *facilitatem* et *clementiam* hoc interest: *facilis* enim cujus ira cito solvitur, *clemens*, qui non irascitur. *Don.*

867. *Ille suam semp. egit*, etc. Hic jam quasi comparativa qualitas inducitur de utroque: et ut ille initio fabulæ collocutus est, sic in fine hic loquitur. *Donat.* — *In otio.* Opponitur hic *otium* labori seu operi rustico, cui Demea est addictus.

868. *Placidus*, ex oppos. *ferus*. — *N. l. os*, neminem coram offendere.

869. *Sibi vixit, sibi sumpt. fec.* Quia nec uxorem habet, nec liberos. — *Omnes bened. amant.* Juxta illud in Andria, vers. 68: « Obsequium amicos parit. »

870. *Ego ille.* Bene addidit *ille*, quasi jam notus, hoc ipso quod ferus est, et agrestis. — *Sævus* factis, *tristis* animo, *truculentus* vultu. — *Tenax*, avarus.

871. *Ibi*, in matrimonio. — *Quam miseriam vidi!* Menand. Τὸ γυναῖκα ἔχειν, εἶναί τε παίδων, Παρμένων, Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει. — De hac materia vid. quid adnotaverimus init. Adelphor. vs. 43, in not. Huj. vol. pag. 14.

872. *Heia.* In ant. *porro* pro *heia*.

873. *Facerem*, compararem, corroderem. — *Contrivi*, misere consumpsi. — *In quærendo.* Cf. 817.

Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab eis fero,
Odium. Ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant; me fugitant. Illi credunt consilia omnia,
Illum diligunt, apud illum sunt ambo; ego desertus sum.
Illum ut vivat optant; meam autem mortem exspectant scilicet.
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumptu: Miseriam omnem ego capio; hic potitur gaudia.
Age, age nunc jam experiamur porro contra, ecquid ego possiem
Blande dicere aut benigne facere, quando huc provocat:
Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo.
Si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram.

874. *Hoc fructi.* Archaice, pro *fructus*.

875. *Odium.* Vox illa παθητικῶς admodum ponitur in versus initio, sola; et hominem indicat summopere afflictum. — Nonne hæc revocant propemodum in memoriam aliud hujusmodi ferum animal, lupum dico, qui sceleratæ vitæ pertæsus,

Fit un jour sur sa cruauté,
Quoiqu'il ne l'exerçât que par nécessité,
Une réflexion profonde.
« Je suis haï, dit-il, et de qui ? de chacun, » etc.

Vide Lafontaine, lib. X, fab. 6. — *Ille alter*, Micio. — *Patria commoda*, id est, commoda, quæ patres ex liberis percipere possunt. — Syntaxis autem est : *commoda* (pro *commodis*) potitur.

876. *Me fugitant*, semper vitant; plus est quam *fugiunt*. — *Credunt*, committunt.

877. *Illum diligunt.* Mss. Pal. 5, add. *porro*. — *Apud illum sunt a.* Nempe Micio etiam Ctesiphonem receperat; quod quidem Demea fratri exprobravit, supra vs. 803.

878. *Illum ut vivat optant.* Σύλληψις. Nam sic vett. dicebant. Nos vero diceremus, *ille optant*, vel *illi optant ut vivat*. Donat. — *Scilicet*, ut facile licet scire, agnoscere.

879. *Ita*, pro *itaque*. — *Fecit suos*, sibi obstrinxit, conciliavit.

880. *Paulo sumptu.* Contra idem dixerat, supra vs. 135.

881. *Age, age nunc jam.* Alii non agnoscunt *jam*. — *Experiamur.* Alii, *experiar*. — *Contra*, vicissim.

882. *Quando huc prov.* Alii *hoc* pro *huc*. — *Quando*, si quidem. — *Huc*, ad hanc rem, sc. contentionem uter nostrum superior sit. — *Provocat*, Micio scilicet.

883. *Magni pendi.* Præcipuo in amoris loco reponi. — *Postulo*, volo.

884. *Posteriores.* Par. in marg. *posteriorem*. Alii, *posterioris*. — *Si*

Deerit: id mea minume refert, qui sum natu maxumus.

SCENA QUINTA.

SYRUS. DEMEA.

Syr. Heus, Demea, rogat frater, ne abeas longius.
De. Quis homo? o Syre noster! salve. Quid fit? quid agitur?
Syr. Recte. De. Optume 'st. Jam nunc hæc tria primum addidi
Præter naturam: o noster! quid fit? quid agitur?
Servum haud illiberalem præbes te; et tibi
Lubens benefaxim. Syr. Gratiam habeo. De. Atqui Syre,
Hoc verum 'st, et ipsa re experiere propediem.

SCENA SEXTA.

GETA. DEMEA.

Get. Hera, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem.

id fit, si id comparatur. — *Non posteriores feram*, supp. partes. Id est, primus in his ero.

885. *Deerit.* Deficiet quidem res familiaris talia tam effuse largienti. —*Qui sum nat. maxum.* adeoque provecta ætate, nec longe a sepulcro.

Sc. V. Hic ostendit poeta, quam absurde blandus conetur esse, qui non soleat: et quam immodica sit repentina largitas, ubi animus a parcitate nimia in contrarium vitium profusionis excurrerit. *Don.*

886. *Heus, Demea*, etc. En Syrus, qui crapulam nunc demum edormivisse videtur; cf. supra vs. 790.

887. Dem. *quis homo?* Loquitur vultu ac voce quam potest blandissimis.

888. *Hæc tria*, subaud. *verba.* — *Primum addidi.* Adnotat Westerh. esse omnem scenæ elegantiam in iis quæ secum Demea loquitur.

891. *Tibi Lubens benefaxim.* Libentissime officia in te conferrem.

892. *Hoc verum 'st.* Ien. *h. verum esse.* — *Propediem*, brevi.

Sc. VI. Demea hac in scena memor personæ suæ laborat fidem facere, ut credi possit, quam bonus sit.

893. Bas. *hunc* pro *huc.* — *Proviso.* Lib. antiq. *provisam.* — *Hera.* Ad Sostratam, quæ intus est, loquitur extrema.—*Huc ad hos*, ad Micionem et Æschinum. — *Proviso*, eo ut visam, ut sciam. — *Quam mox*, quando.

Arcessant : sed eccum Demeam : salvus sies.
De. O! quî vocare? Get. Geta. De. Geta, hominem maxumi
Pretî te esse hodie judicavi animo meo :
Nam is mihi profecto est servus spectatus satis,
Cui dominus curæ 'st, ita uti tibi sensi, Geta.
Et tibi, ob eam rem, si quid usus venerit,
Lubens benefaxim. Meditor esse affabilis;
Et bene procedit. Get. Bonus es, quum hæc existumas.
De. Paulatim plebem primulum facio meam.

SCENA SEPTIMA.

ÆSCHINUS. DEMEA. SYRUS. GETA.

Æs. Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias
Student facere; in apparando consumunt diem.
De. Quid agitur, Æschine? Æs. Ehem, pater mi, tu hic eras?

894. *Sed eccum.* Ienens. omittit *sed.* — *Sed eccum Demeam.* Hoc apud se loquitur Geta.

895. *Quî vocare?* Quod tibi nomen est?

896. Verba hujus versus alii aliter collocant. — *Animo meo*, secundum animi mei sententiam.

897. *Spectatus.* Par. p. var. *spectandus*, perperam. — *Spectatus*, expertæ et comprobatæ fidei.

898. *Ita uti tibi sensi.* Scil. dominum seu dominam esse curæ.

899. *Si quid usus vener.* Ien. cod. *si quid usu ven.* — *Si quid usus venerit.* Si occasio se præbuerit in aliqua re arripienda.

900. *Lubens benefaxim.* Cf. sup. vs. 891. Propositi memor quidem repetit dicta, sed ut rusticus, sine gratia. — *Meditor esse affabilis.* Sibi gratulatur suam morum humanitatem, submissa voce. *Farn.*

901. *Et bene procedit.* Nec illud male mihi cedit.

902. *Primulum.* Par. Mss. *primum.* — *Paulatim*, sensim progrediendo. — *Plebem facio meam*, amorem infimorum mihi concilio.

903. *Quidem.* Lib. Bemb. *equidem.* — *Occidunt me quidem.* Enecant me certe tædio. Hæc secum adolescens cupidus nuptiarum, et volens ducere uxorem; contemnitque illam religionem in nuptiis suis. — *Nimis sanctas.* Solemni nimis et religiosa pompa apparatas.

904. *In apparando.* In apparatu cærimoniarum.

905. *Quid agitur, Æsch.* Pergit Demea, blandimentorum suorum haud immemor.

De. Tuus hercle vero et animo et natura pater,
Qui te amat plus quam hosce oculos. Sed cur non domum
Uxorem arcessis? Æs. Cupio; verum hoc mihi moræ 'st
Tibicina, et hymenæum qui cantent. De. Eho!
Vin' tu huic seni auscultare? Æs. Quid? De. Missa hæc face,
Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas,
Atque hanc in horto maceriam jube dirui,
Quantum potest; hac transfer; unam fac domum,
Traduce et matrem et familiam omnem ad nos. Æs. Placet,
Pater lepidissime. De. Euge, jam lepidus vocor.
Fratri ædes fient perviæ: turbam domum
Adducet, sumptum admittet; multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam: jube nunc jam

906. *Tuus h. ver. et animo et nat. pat.* Totum eripuit Micioni, cui ne *animum* quidem reliquit. *Don.*

907. *Plus quam hosce oculos.* Cum gestu illud pronuntiatur.

908. Post *uxorem* C. G. m. add. *quæso.* — *Hoc mihi moræ 'st.* Mihi moram affert secundum hanc cupiditatem arcessendi uxorem.

909. *Cantent.* Var. *canat, cantitet.* — *Hymenæum*, sc. carmen.

910. *Huic seni.* Contempsit se ipsum, hæc dicendo; cæterum lætissimo vultu dicit. *Don.* — *Missa hæc face*, neglige.

911. *Turbas.* Lib. antiq. *turbam.* — *Hymenæum.* Hymen et Hymenæus, Veneris et Bacchi filius, nuptiarum præses, ideo apud Græcos invocabatur, ut apud Romanos Thalassio. — *Lampadas.* Faces quinque a pueris patrimis et matrimis (id est, qui patrem et matrem viventem habebant); ferebantur in ducenda sponsa ad domum mariti; et tibicina quoque canebat.

913. *Quantum potest*, quam celerrime fieri potest. — *Unam fac domum*, ex sponsæ tuæ domo et nostra fiat una domus.

914. *Traduce.* Mur. ed. *transduce.*

915. *Euge, jam l. voc.* Hæc Demea ad spectatores.

916. *Fient perviæ*, diruta scilicet maceria. Hæc et quæ sequuntur usque ad, *Syre, cessas ire*, etc. vs. 920, dicit, versus ad spectatores. — *Turb. dom. Add.* Invidiose loquitur, significans Sostratam cum filia, et familiam omnem traducendam in ædes soceri.

917. *Admittet.* Lib. antiq. *amittet.* Mira est quam Schmieder edid. præpositio *ad*, ut sit, *ad sumpt. admitt.* — *Admittet*, concedet, sustinebit. — *Multa*, suppl. alia incommoda fient.

918. *Jub. n. j. Dinumeret ille Bab.* Versus ille ingenia sane interpretum varie et legentium et explicantium acuit atque vexavit. Si vera

Dinumeret ille Babylo viginti minas.
Syre, cessas ire ac facere? Syr. Quid ergo? De. Dirue.
Tu illas abi et traduce. Get. Dî tibi, Demea,
Benefaciant, quum te video nostræ familiæ
Tam ex animo factum velle. De. Dignos arbitror.
Quid ais tu? Æs. Sic opinor. De. Multo rectiu 'st,
Quam illam puerperam hac nunc duci per viam
Ægrotam. Æs. Nil enim vidi melius, mi pater.
De. Sic soleo: sed eccum, Micio egreditur foras.

SCENA OCTAVA.

MICIO. DEMEA. ÆSCHINUS.

Mic. Jubet frater? ubi is est? tune jubes hoc, Demea?
De. Ego vero jubeo, et hac re et aliis omnibus

invenimus, secum pergit loqui Demea, et de fratre suo jocatur, quem Babylonis, prodigi, scilicet ut sunt Medi et Persæ propter opulentiam, nomine innuit: « Restat tibi Demea (se ipsum alloquitur), ut jubeas fratrem tuum numerare viginti minas quæ pro psaltria debentur. » Vult nempe Demea neminem non contentum abire, modo nihil ipse sumptus impendat. — De minis autem, cf. supra vs. 746, 747.

919. *Ille.* In plerisque *illi.* — *Babylo.* C. G. m. *Babillo.*

920. *Quid ergo.* Var. *quid ego; quid ago; quid agam.* — *Dirue,* maceriam. Cf. supra vs. 912. — Syrus, ad hæc, abit.

921. *Illas.* Bip. *illac,* invitis codd. — *Tu illas abi et traduce.* Trajectio verborum pro *tu abi et illas.*

923. *Factum velle.* Supple, *bene* factum. — *Ex animo,* sincere. — *Dignos arbitror,* id est, vos his officiis dignos censeo. — Post hæc dimittit quoque Getam; inde ad filium se convertit.

924. *Sic opinor,* sup. ut tu ipse. — *Multo rectiu 'st,* id scilicet, puerperam, maceria diruta, in domum Micionis transferri.

925. *Hac nunc duci.* Vulg. *huc n. duci.*

926. *Nil vidi melius.* Nihil rectius fieri posse puto.

927. *Sic soleo,* sc. facere quæ meis placeant.

928. *Jubet frater?* Apparet Micionem dixisse: cur diruis? Syrum respondisse: quia hoc *jubet frater* tuus. *Donat.* — *Ubi is est,* frater meus.

929. *Et hac re.* Lib. antiq. *et in hac re.* — *Vero,* affirmantis. — *Hac re,* primum ut transferatur puerpera.

Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adjuvare, adjungere. Æs. Ita quæso, pater.
Mic. Haud aliter censeo. De. Immo hercle ita nobis decet.
Primum hujus uxori est mater. Mic. Est : quid postea?
De. Proba et modesta. Mic. Ita aiunt. De. Natu grandior.
Mic. Scio. De. Parere jam diu hæc per annos non potest;
Nec qui eam respiciat, quisquam est; sola est. Mic. Quam hic rem agit?
De. Hanc te æquum est ducere, et te operam, ut fiat, dare.
Mic. Me ducere autem? De. Te. Mic. Me? De. Te inquam. Mic. Ineptis. De Si tu sis homo,
Hic faciat. Æs. Mi pater. Mic. Quid? tu autem huic, asine, auscultas? De. Nihil agis :
Fieri aliter non potest. Mic. Deliras. Æs. Sine te exorem, mi pater.
Mic. Insanis? aufer. De. Age, da veniam filio. Mic. Satin' sanus es? ego

930. *Quam maxume*, quantum potest. — *Unam*, cum nostra. — — *Facere nos*, supp. jubeo.

931. *Colere*. Don. hoc refert ad nurum, *adjuvare* ad Hegionem, *adjungere* ad Sostratam. — *Ita quæso*, pater; vox Æschini blande Micionem rogantis.

932. *Nobis decet*. Sic supra vs. 492, *ut vobis decet*. Græcismus.

933. *Uxori*. Vulg. *uxoris*.—*Hujus uxori*, Pamphilæ uxori Æschini.

934. *Proba*, sibi; *modesta*, apud alios. *Donat*. — *Ita aiunt*. Quasi dicat : non eo inficias, sed quid mea? — *Natu grandior*, ætate provecta.

935. *Parere jam non potest*. Hoc addidit, ne contra filios videatur suadere nuptias, si illis cohæredes esse procreandos suadeat. — *Per annos*, propter ætatem provectam.

936. *Respiciat*. Mss. Pall. *recipiat*. —*Qui eam respiciat*. Qui ejus curam gerat. — *Quam hic rem agit?* Solus secum Micio de fratre suo loquitur.

937. *Et te*. Convertitur ad Æschinum. — *Ut fiat*, ut socrus tua Micioni nubat.

938. *Me ducere autem?* etc. Magna vis in pronominibus posita est. Nam *me* ille sic dicit, quasi quem minime deceat; *te* ille sic respondet, quasi quem maxime oporteat. *Donat*. — *Si tu sis homo*. Hæc ad Æschinum; et est formula leviter reprehendendi.

939. *Hic faciat*. Lib. antiq. *faciet*. —*Hic*, Micio.—*Asine*, aptum convicium grandi et fatuo. *Don*. — *Nihil agis*, recusando; i. e. frustra recusas. Loquitur Demea ad Micionem.

941. *Aufer*. C. G. m. et Bruns.

Novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? idne estis auctores mihi?
Æs. Fac; promisi ego illis. Mic. Promisti autem? de te largitor, puer.
De. Age, quid, si quid te majus oret? Mic. Quasi non hoc sit maxumum.
De. Da veniam. Æs. Ne gravare. De. Fac, promitte. Mic. Non omittitis?
Æs. Non, nisi te exorem. Mic. Vis est hæc quidem. De. Age prolixe, Micio.
Mic. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea
Videtur, si vos tantopere vultis, fiat. Æs. Bene facis.
Merito te amo. De. Verum quid ego dicam, hoc quum fit quod volo?

Cod. non habent *aufer*. Alii add. *te*. — *Aufer*, sup. *te*, i. e. abi. — *Age, da ven. filio*. Exaudi preces filii tui.

942. *Ego Novus maritus*, etc. Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius εὐφυῶς hic egit. *Don.*

943. *Id auctores*, secundum hanc rem suasores.

944. *De te largitor*. Al. *de te sis largitor;* sed, ut legimus, *largitor* imperativum est. — *Fac*. Uxorem hanc cape.

945. *Quid*, facturus, dicturus es? — *Si quid te maj. or.* formula persuadendi. Cujus quidem vestigium West. nusquam nisi a sacris litteris petivit, Reg. 2, 5, 13. *Perl.*

946. *Ne gravare*. Lib. antiq. *ne gravere*. — *Omittitis*. Lib. antiq. *omittis*. — *Ne gravare*. Ne te difficilem præbeas. Quia *gravem se* dicitur *præstare*, qui id facile non præstat in beneficio, quod potest. *Don.* — *Promitte*, te ducturum. — *Non omittitis*, suppl. Me obtundere, verbis enecare.

947. *Nisi te exorem*. Ien. cod. *nisi rem exorem*. — *Non*, sup. omittemus. — *Age prolixe*. Age benigne et large nobiscum.

948. *Hoc*, sc. ducere uxorem. — *Pravum*, etc. Hæc singula Donat. more suo distinxit.

949. *Videtur*. Lib. antiq. *videatur*. — *Fiat*. Cur non hic agitur de voluntate Sostratæ? An quia illam consentire necesse est, vel propter pauperiem, vel ob amorem filiæ suæ? *Donat.*

950. *Merito te amo*. Hæc verba Bentl. seni tribuit. — *Hoc quum fit*. Donat. legit *confit;* Bip. *confice*. — *Verum quid ego*, etc. Hæc Demea secum, de successu sibi plaudens, et ad pergendum se ipsum excitans. *Farnab.*

MIC. Quid nunc? quid restat? DE. Hegio his est cognatus proxumus,
Adfinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
MIC. Quid facere? DE. Agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras.
Huic demus, qui fruatur. MIC. Paulum id autem est? DE. Si multum 'st, tamen
Faciundum est: pro patre huic est, bonus est, noster est; recte datur.
Postremo nunc meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene et sapienter dixti dudum: « vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus: » hanc maculam nos decet
Effugere: dictum est vere, et re ipsa fieri oportet.

951. *Quid rest.* Alii, *quod restat.* — *Cognatus.* Ien. *agnatus*, male. — MIC. *Quid nunc? quid restat?* Hæc, Perletum secuti, non Demeæ tribuimus, verum Micioni, qui, fratrem videns nunc etiam hæsitantem et secum loquentem, rogat num quid velit adhuc imponere.

952. *Adfinis nobis.* Recte *adfinis;* nam uxoris cognati marito et mariti propinquis affines sunt. — *Pauper.* Vid. sup. 497.

953. *Foras.* Alii *foris.* — *Quid facere*, supp. *decet?* — *Hic*, quasi diceret, *prope.* — *Sub urbe*, suburbani. — *Quod locitas foras.* Dixit *foras*, locum pro persona ponens, i. e. nescio cui alieno.

954. *Multum 'st.* Alii *multum sit.* — *Qui fr.* ut ille fruatur. — *Paulum id autem est?* Interrogatio, quæ negandi vim habet. — *Si multum 'st.* Pro *etiam si.*

955. *Faciundum est.* I. e. largiendum est munus. — *Huic*, Pamphilæ. — *Noster est*, utpote qui apud nurum tuam patris vices expleat. — *Recte datur*, bene, jure, collocatur donum.

956. *Nunc meum*, etc. Bentl. edit. *nunc*, pro *non* vulgato. — *Meum facio.* Mihi addico, quasi normam agendi, verbum tuum.

957. *Dixti dudum.* Vid. nempe supra, vs. 837, seq.

958. *Attenti.* Ms. Pal. 3, *avidi;* at vero glossam sapit. — *Ad rem* familiarem augendam.

959. *Dictum est vere, et re ipsa.* Perstringit molliter Micionem, ut quod dixerit vere, ipse etiam faciat, præsertim quum is, vs. 953, *quid facere?* mirabundus rogavit. *Perlet.* — Quæ hic dicit Demea ostendunt naturam hominis minime mutatam esse, et speciem solummodo liberalitatis eum præferre. Animo scilicet constituerat agere obsequiosum et prodigum. Obsequium quidem, et contra suam naturam, observat;

Mic. Quid istic? dabitur, quandoquidem hic vult. Æs. Mi pater.

De. Nunc tu mihi es germanus pariter animo ac corpore. Mic. Gaudeo.

De. Suo sibi hunc gladio jugulo.

SCENA NONA.

SYRUS. DEMEA. MICIO. ÆSCHINUS.

Syr. Factum est quod jussisti, Demea.

De. Frugi homo es, ego ædepol hodie mea quidem sententia

Judico Syrum fieri esse æquum liberum. Mic. Istunc liberum?

Quodnam ob factum? De. Multa. Syr. O noster Demea, ædepol vir bonus es.

prodigalitatem pariter, sed e fraternis bonis. Attamen proponet liberandam ære suo servam unam, *a me argentum, quanti est, sumito*, infr. vs. 982. Sed jam antea compertum habet non acceptum fore propositum illud. Est illud quod responderi possit Terentium incusantibus, et contendentibus peccare poetam adversus Horatianum præceptum, *Servetur ad imum qualis ab incœpto processerit;* nequaquam mutatur Demeæ indoles. Quum enim frater interrogat, vs. 990: « Quod prolubium? quæ istæc subita est largitas, » patet tunc liquido eum in hanc nimiam liberalitatem processisse, ut ostenderet Micioni quam ridicula agendi ratione utatur.

960. *Dab. quandoquid. hic v.* alii, *dabitur quidem, quando hic. Quid istic?* Quorsum tu tam longe disseris? — *Dabitur*, agellus suburbanus. — *Hic*, Æschinus; qui quasi hæres olim futurus, ægre id ferre potuisset.

961. *Animo ac corpore.* Sic nos post Perlet. ex Bentl. Vulg. *corpore et animo.*

962. *Suo sibi.* Abest *sibi* ab uno codd. Pall. — *Suo sibi hunc glad. jug.* Conjunctio pronominum talis, et accumulatio comicis frequentior est. — Proverbialiter autem hæc locutio dicitur in illum, qui dictis suis ipsius revincitur.

963. *Jussisti.* Alii, *justi.* — *Fact. est quod juss. Dem.* I. e. diruta est maceria.

964. *Ego.* C. G. m. *ergo.* — *Frugi es.* Utilis, ut fruges.

965. *Istunc liberum?* Interrogatio ægre ferentis, ut sup. 938, 944.

966. *Multa.* Ien. cod. *ob multa;* male. — *Bonus es.* Bent. notat, *es* abesse a vett. suis, atque scribend. esse *bonu's*, quod sono olim differret a simplici *bonus.* Etiam C. G. m. non hab. *es* in textu, sed supra

Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo :
Docui, monui, bene præcepi semper, quæ potui, omnia.
De. Res apparet : et quidem porro hæc, obsonare cum fide,
Scortum adducere, apparare de die convivium :
Non mediocris hominis hæc sunt officia. Syr. O lepidum caput !
De. Postremo, hodie in psaltria hac emunda hic adjutor fuit,
Hic curavit : prodesse æquum 'st; alii meliores erunt.
Denique hic volt fieri. Mic. Vin' tu hoc fieri? Æs. Cupio. Mic. Si quidem
Tu vis, Syre, eho accede huc ad me : liber esto. Syr. Bene facis.
Omnibus gratiam habeo, et seorsum tibi præterea, Demea.
De. Gaudeo. Æs. Et ego. Syr. Credo : utinam hoc perpetuum fiat gaudium :

scriptum. *Perlet.* — *Quodnam ob factum?* Jure ; adscribi enim causas manumissionis in jure formula est. *Don.* — *Multa*, ob multa facta.

967. *Istos ambos.* Æschinum et Ctesiphonem. — *Vobis*, in vestram voluptatem.

969. *Res apparet.* Mire irridet Demea, sic tamen ut serio agere videatur. *Don.* — *Et quidem porro hæc.* Quæ sc. sequuntur. — *Obsonare cum fide*, empta in foro ac macello fideliter domum referre.

970. *De die.* Alii, *de die in diem.* — *Scortum adduc.* ut hic psaltriam. — *Apparare de die convivium.* Epulari, apparare convivium de die, semper apud antiquos Græcos et Romanos datum vitio fuit, ut intemperantiæ et luxus argumentum.

971. *Non m. hom. h. sunt o.* Repetitur fere per pleonasmum *hæc* ex versu 969. — *O lepidum caput!* Hæc verba Syri indicant subridentem hæc dixisse Demeam.

972. *Adjutor.* In re bona *adjutores*, in re mala *impulsores* dicuntur.

973. *Curavit.* Curam animi præbuit. — *Prodesse æquum 'st.* Significat, *æquum* esse id quod operam Æschino navaverit, *prodesse* Syro. — *Alii meliores erunt.* Alii servi, ubi videbunt Syrum libertate donari, eadem spe ducti, *meliores erunt.*

974. *Hic.* Æschinus. — *Volt.* Qua re confirmata, liber conficitur.

975. *Eho acc. huc ad me.* Hæc audiens Syrus adsilit. Unde continuo Micio, *liber esto*, inquit. Ita autem solebat fieri : servus ab hero circumagebatur, manus capiti ejus imponebantur, colaphus ei impingebatur, et ipse manu emittebatur his verbis, *liber esto.*

977. De. *Gaudeo.* Æs. *Et ego.* Gratulantium Syro hæc verba sunt quibus de more ille *credo* respondet.

Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.
De. Optumam quidem mulierem. Syr. Et quidem tuo nepoti hujus filio
Hodie prima mammam dedit hæc. De. Hercle vero serio,
Si quidem prima dedit, haud dubium, quin emitti æquum siet. 981
Mic. Ob eam rem? De. Ob eam: postremo a me argentum, quanti est, sumito.

— *Utinam hoc perpetuum fiat gaudium.* Quasi diceret, « Utinam istud mihi sit manumissionis concessum genus, quod me omnino securum a novo servitio præstet. » Scilicet plures erant apud Romanos modi quibus servi vindicarentur in libertatem, *modi solemnes* videlicet, et *modi minus solemnes;* ad hos posteriores pertinebat manumissio *inter amicos*, ut fit in hoc fabulæ loco. Quum autem ita vindicaretur servus in libertatem, licebat fere domino illud libertatis retrahere donum, nisi modo solemni postea consecraretur ac sanciretur, et ad id alludit servus, quum plenam manumissionem postulat, et qua *perpetuum* sibi possit sperare gaudium, propter perpetuam libertatem.

978. *Una mecum.* Alii omittunt *mecum*, contra morem Terentii. — *Phrygiam ut ux. me.* Ut ipse *Syrus*, ita uxor *Phrygia :* secundum veteres, qui servis nomina a nationibus imponebant. *Don.* — *Uxorem meam mecum videam liberam.* Servis apud Romanos legitimæ nuptiæ non poterant contingere, et concessum eis erat solummodo jus contubernii. Si libertate autem donarentur per *modos solemnes* (vid. sup. not. vs. præced.), legitimas poterant nuptias contrahere ; quod iisdem erat vetitum, sin e contrario per modos minus solemnes fieret manumissio, ut hic est. Callide ergo Syrus Phrygiæ suæ dedit *uxoris* nomen, quasi prævertens novum domini sui beneficium. Sic nempe innuit eam sibi fuisse concessam libertatem, ut et *uxorem* sibi possit habere, et ut sit cum ipso libera; i. e. ut sit omnino et perfecte liber. Quod jam vidimus in vs. præcedenti. — Novam hanc interpretationem loci nondum bene explanati nobiscum humanissime communicavit vir doct. *Poncelet*, tum de scientia juris tum de literis latinis sæpissime meritus.

979. *Optum. quid. mul.* Subaud. dicit, nominat Syrus. Sic mutatus Demea, omnes, omnia laudat. — *Hujus*, Æschini.

980. *Prima mammam. ded.* Faern. *primam* ex aliquot lib. scriptis. — *Hodie pr. mammam dedit hæc.* Ridiculum meritum, quod præbuerit mammam jussa. — *Hercle vero serio.* Adverbia confirmantis.

981. *Emitti*, manu mitti, vindicari in libertatem.

982. *Ob eam.* Ien. cod. addit *rem*, imperite. — *Quanti est.* Quanti tibi

Syr. Dî tibi, Demea, omnia omnes semper optata offerant.
Mic. Syre, processisti hodie pulchre. De. Si quidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paulum præ manu
Dederis, unde utatur; reddet tibi cito. Mic. Istoc vilius.
Æs. Frugi homo est. Syr. Reddam hercle, da modo. Æs. Age, pater. Mic. Post consulam.
De. Faciet. Syr. O vir optume. Æs. O pater mi festivissime!
Mic. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quæ istæc subita est largitas? De. Dicam tibi:
Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant,

æstimatur Phrygia. — *Sumito*, accipito. De hoc versu, vid. quid dixerimus supra, vs. 961.

983. *Dî tibi, Demea.* Lib. antiq. addunt *oro.* Delemus, ex Faern. post Perletum.

984. *Processisti pulchre.* Scil. ex servo servæ marito, in liberum liberæ maritum. — *Si quidem*, etc. Supple ante hæc, « ut dicis, Syrus processerit pulchre, si modo tu aliquid dederis, etc.»

985. *Paulum.* Alii, *paululum.* — *Tu tuum off. facies.* Hoc est, officium patroni, ut libertum non deseras, sed alas manumissum. — *Præ manu*, quasi diceret, statim et homini ipsi.

986. *Vilius.* C. G. m. *levius.* — *Unde utatur*, supp. ad vivendum. — *Istoc vilius.* Isto flocco vilius erit quod reddet. Negatio est floccum ostendentis, aut quid tale, cum ἐλλείψει.

987. *Post*, alio tempore. Formula est blande negantis.

988. *O pater mi.* Alii colloc. *o mi pater.* — *Faciet.* Syre, ne dubita, Micio faciet quod petis. — *O vir optume*, sc. Micio, quem una omnes aggrediuntur.

989. *Quid istuc?* Supp. genus est agendi, quo tu nunc uteris, Demea. — *Quæ res tam repente*, etc. Animadvertendum esse monet Donatus, qua calliditate Terentius quærens finem fabulæ, complere lætitiam per ipsum Demeam nitatur in universos, qui in tota comœdia tristis ac sævus interturbavit, et vociferatus est.

990. *Quod prolubium.* Lib. antiq. *q. proluvium.* — *Quod prolubium?* Qui animus promptus ad largiendum? — *Largitas.* Dacieria adnotat non idem sonare *largitas* et *largitio*; indicari τῷ *largitione* actum dantis; *largitate* autem, propensionem ad dandum.

991. *Quod te isti facil.* Ms. Parm. *quod tam te isti fac.* — *Ut id ostende-*

Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono;
Sed ex assentando atque indulgendo et largiendo, Micio.
Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisa, Æschine,
est,
Quia non justa injusta prorsus omnia omnino obsequor;
Missa facio : effundite, emite, facite quod vobis lubet.
Sed si id vultis potius, quæ vos propter adolescentiam
Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Hæc reprehendere et corrigere quem, obsecundare in
loco;
Ecce me qui id faciam vobis. Æs. Tibi, pater, permit-
timus.
Plus scis, quid opus facto est : sed de fratre quid fiet?
De. Sino.

rem. Supple initio *hæc feci.* — *Quod,* propter quod. — *Isti,* filii nostri ac servi.

992. *Ex vera vita.* Ex vera et laudabili facilitate naturæ tuæ. Conf. Heaut. 153, not.

993. *Ex assentando.* Alii omittunt *ex.* — *Et largiendo, Micio.* Severe additum est nomen verbis et fere jam stomachose.

994. *Vobis.* Apostrophe ad filios. Bene in postremo dignitas personæ hujus servata est, ut non perpetuo commutata videretur. *Donat.*

995. *Justa.* Bruns. cod. ed. *ista* pro *justa.*

996. *Emite.* Quidam manuscript. *emittite.* — *Missa facio,* negligo.

998. *Minus videtis.* Minus cavetis.

999. *Quem,* aliquem. Ita observanda constructio verborum hæc est : *Si vultis aliquem hæc reprehendere,* etc. *quæ vos,* etc. *ecce me* qui id faciam vobis. Adnotat hic Dacieria quod it optime ad rem, et bene Poetæ artificium declarat : « Les caractères opposés de ces deux frères, et les inconvénients qui en arrivent, montrent parfaitement aux pères le milieu qu'ils doivent tenir pour l'éducation de leurs enfants, entre la trop grande sévérité de l'un et la trop grande douceur de l'autre. C'est le parti que prend enfin Deméa, en prenant chez lui cette chanteuse dont son fils était amoureux. » — *Corrig. quem.* Sic Bentl. pro *me* vulgato. Probatur. Prius enim, inquit, *me* inepte hic ponitur, si alterum *me* sequatur. — *Obsecundare.* Donat. legit *secundare.*

1000. *Tibi, pater, permittimus.* Noluit Terentius ab amoribus filiorum perpetuo repulsum patrem. *Donat.*

1001. *Plus scis, quid,* etc. Sicut modo adolescentes descripserat rerum imperitos, ita senem nunc a peritia laudat, qui sciret *quo facto opus sit.* Bœcler. — Sic in Heaut. vs. 114, filius quidam putat patrem *plus scire* et providere quam se ipsum sibi. — *De fratre.* Ctesiphone.

Habeat: in istac finem faciat. Mic. Istuc recte. Plaudite. 1002

1002. *Istuc recte.* Hæc verba Micioni tribuenda sunt, ut Donat. adnotat, non Æschino. — *Plaudite.* Plusculi Mss. *valete et plaudite.* C. G. Ch. invertit *plaud. et val.* C. G. m. *plaudite*, omisso *et valete.* Sequitur et hic in utrisque Goth. *Calliopius recensui.* Vid. Andr. in fine vol. I, pag. 125. — *Habeat.* Potiatur fidicina. — *In istac finem faciat.* His innuit : « Ne posthac aliam amet. » — *Istuc recte.* Hoc ultimum Micio in Demea laudat. Nullus igitur superest, qui dissentiat ; sed omnes abeunt lætissimi et consentientes.

In interpretatione gallica Doct. Cl. vir. *Lemonnier* ad calcem Adelphorum una scena additur, qua significatur esse agnita Callidia Hegionis filia ; sed ejus patrem Hegionem esse ex nullo fabulæ hujus loco apparet, quod indicatum tamen, ex arte, oportuerat, ut fit in Andria. Satis igitur est si Demea ex mera liberalitate quamvis ignotam mulierculam Ctesiphoni condonet. Nec debuimus hanc scenam Terentio fere indignam, nec præterea a Terentii manu profectam, hoc loco adjicere.

Exstat apud Nos fabula una, *l'École des Pères*, quam scripsit vir in scribendis comœdiis satis quidem laudandus, in repræsentandis vero multo magis, *Mich. Baron.* In qua etsi satis fideliter maximam Adelphorum partem auctor servaverit, placuit potius ad opus ipsum ablegare lectorem, quam excerpta hic referre.

PUBLII TERENTII AFRI

HECYRA.

HECYRA* TERENTII.

Acta[1] Ludis Megalensibus[2], Sex. Jul. Cæsare, Cn. Cornelio Dolabella Ædilibus curulibus. Non est peracta[3]. Modos fecit Flaccus Claudii [filius[4]] tibiis paribus[5]. Tota Græca Apollodoru[6] facta est[7]. Acta primo sine prologo. Data secundo, Cn. Octavio, T. Manlio Coss.[8] Relata est

*Hecyra. Ἑκυρὰ, Socrus, *la Belle-mère*. Cur sit hoc Fabulæ nomen inditum, vid. inf. Prol. vs. 1.

1. *Acta.* Scil. Hecyra. Quæ semel atque iterum exacta, tertio demum stetit.

2. *Megalensibus.* MSS. *Romanis.*— *Ludos* omnino vocabant spectacula, quæ a magistratibus in gratiam populi fieri solerent, diis plerumque post sacrificandum publice consecrata. De ludis autem Megalensibus peculiariter, cf. in titulo Andr. vol. I, pag. 2; et præcipue in proœmiis, vol. I, pag. xcii, seqq.

3. *Non est peracta.* Subaud. ad finem usque. Nam interrumpebatur funambuli spectatione. Vid. Prolog.

4. [*Filius*]. Vid. not. 7, in Didasc. Adelph. hujus volum. pag. 3.

5. *Tibiis paribus.* In Paris. MSS. *parilibus.*—*Paribus*, i. e. vel duabus dextris, vel duabus sinistris acta est. Ut indicetur eam actam fuisse modo tibiis dextris, modo tibiis sinistris, prout se dederit occasio.

6. *Apollodoru.* Faern. Bentl. *Menandru.* Qua auctoritate, nescimus. Græcum autem est Ἀπολλοδώρου, pro *Apollodori* latine.

7. *Facta est.* Hæc omittit Bothius.

8. *Cn. Octavio, T. Manlio Coss.* Hic annus est ab Urbe condita 588, ex Dacieria; 589, ex Petito; quem vide in Prolegomenis nostris, vol. I, pag. cxx. — Si autem bene supputaverit uterque, erroris arguatur Donatus necesse erit, qui in præfatione ad hanc comœdiam, dicit eam *factam et editam quinto loco.* « Atqui, dicit Petitus, loc. cit. si facta editaque est Cn. Octavio, T. Manlio coss. non igitur quinto loco: nam Cn. Octavius et T. Manlius consules fuerunt anno ab Urbe condita 589. Ergo facta est post Andriam, quam edidit Terentius anno proxime præcedenti. » Item Dacieria, verba quæ sequuntur, *L. Æmilio Paulo, Lud. funebr.* contendit non esse ex Donato, quum L. Æmilius Paulus quinto tantum anno, post Hecyram iterum actam, fuerit defunctus. Et quidem adversus certissima temporum argumenta resistere nemo audebit. Sed tamen, si Hecyra fuerit Terentii secunda, cur in Prologo dixisset auctor: « Alias cognostis ejus; quæso, nunc hanc noscite. » Melius

L. Æmilio Paulo, Ludis funebribus[9]. Non est placita. Tertio relata est, Q. Fulvio, L. Marcio Ædilib. Curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. Placuit[10].

ergo est, ut nobis videtur, admittere, hanc fabulam secundo datam fuisse, post repræsentatos Adelphos; et ea est Vossii sententia.

9. *Rel. est L. Æm. Paul. Lud. fun.* Hæc verba Dacieria delet; vide supr. not. 6. — *L. Æmilio Paulo.* Alii, *L. Æmilii Pauli.* — *Funebribus.* Bemb. *funeralibus.* — *Relata est,* sc. Hecyra, hoc est, iterum data. — *L. Æmil. Paul.* Cf. Didasc. Adelph. in huj. volumin. initio. Sed quid *L. Æmilio Paulo* h. l. significet, utrum relativo an ablativo casu accipiendum sit, hoc tacent interpretes, neque Dacieria versione sua explanat. Verum ego suspicor, dativum esse honoris, vel inscriptionibus solemnem, ut *L. Æmilio Paulo* sit pro, *in honorem L. Æmilii Pauli.* Perl.

10. *Placuit.* Nonnisi in Hecyræ titulo reperire est hanc vocem, quam postulat ipse malus in prima et secunda editione fabulæ exitus.

Aliter hic titulus exhibetur in Lind. Bip. « Publii Terentii Hecyra. Acta ludis Romanis, Sex. Julio Cæs. Cn. Cornelio Dolabella Ædil. cur. Non est peracta tota. Modos fecit Flaccus Claudii, tibiis paribus, Cn. Octavio, T. Manlio coss. Relata est iterum ludis funebribus. Relata est tertio, Q. Fulvio, L. Marcio, Ædilibus curulibus ». Et sic Br. excepto *paribus.* At legere vult Govean. « Terentii Hecyra. Tota græca est Apollodorou. Edita Cn. Octavio, T. Manlio Torquato coss. Acta primo ludis Romanis Sex. Jul. Cæsare, Cn. Corn. Dolabella Ædibus curulibus, sine Prologo. Non est placita. Relata est iterum ludis funebribus L. Æmilii Pauli; non est placita tota. Relata est tertio, Q. Ful. L. Martio ædilibus curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. Modos fecit Claudius Flacc. Claud. filius, tibiis paribus. Placuit. »

DRAMATIS PERSONÆ.

PROLOGUS, Actor qui recitat prologum. A πρὸ et λέγειν.

LACHES, senex, pater PAMPHILI. Ab ἔλαχον, *sortitus sum;* quasi, *cui statuta est et definita sors.*

SOSTRATA, mater PAMPHILI. A σώζειν, *servare*, et στρατὸς, *exercitus.* Hæc est HECYRA.

PAMPHILUS, filius LACHETIS et SOSTRATÆ. A πᾶς et φίλος, *omnibus carus.*

PHIDIPPUS, senex, pater PHILUMENÆ. A parsimonia equestri. A φειδὼ, *parsimonia*, et ἵππος, *equus; homo parcus et frugi* (1).

MYRRHINA, mater PHILUMENÆ. A μυρρίνη, *myrtus.* Quasi, *quæ amorem redolet.*

BACCHIS, meretrix, amica PAMPHILI. A Βάκχος, *vino dedita.* (In hac tamen fabula modestam agit et prope verecundam Bacchis; vid. 735 s.)

PHILOTIS. A φιλότης, *amicitia.* Vel, ut vult Perletus, ἀπὸ τοῦ φιλῶτας. In quo nomine, ait, videtur esse aurium significatio.

PARMÈNO, servus SOSTRATÆ. Παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων, *apud dominum manens.*

SOSIA, servus PAMPHILI. A σώζεσθαι, *servari;* quod servi servantur in bello.

SYRA, anus, lena. *Syriaci* generis mulier.

PERSONÆ MUTÆ.

PHILUMENA, puella, PHIDIPPI filia et MYRRHINÆ, nupta Pamphilo. Quasi φιλουμένη, amata.

SCIRTUS, servulus PAMPHILI. Σκιρτὸς, saliens, a σκιρτᾶν, qui est expeditus et agilis. Fere similiter in nostra scena per jocum induceretur servulus, nomine *l'Éveillé.*

NUTRIX.

ANCILLÆ BACCHIDIS.

Scena est Athenis.

1. Gloria rei equestris ingens apud veteres, et sumptus magni fuerunt.

C. SULPITII[1] APOLLINARIS

PERIOCHA

IN

TERENTII HECYRAM.

Uxorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit:
Cujusque[2] per vim quem detraxit annulum,
Dederat amicæ Bacchidi meretriculæ.
Dein profectus in Imbrum est: nuptam haud attigit.
Hanc mater utero gravidam, ne id sciat socrus,
Ut ægram ad se transfert: revertit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non vult; pater incusat Bacchidis
Amorem. Dum se purgat Bacchis, annulum
Mater vitiatæ forte agnoscit Myrrhina.
Uxorem recipit Pamphilus cum filio.

1. Al. script. *Sulpicii.*
2. Br. *Ejusque.*

PUBLII TERENTII AFRI

HECYRA.

PROLOGUS I.*

HECYRA est huic nomen fabulæ ; hæc quum data est
Nova, novum intervenit vitium et calamitas,
Ut neque spectari, neque cognosci potuerit.
Ita populus studio stupidus in funambulo

* Prologus I. Secundæ et tertiæ editionis prologos hic referimus. Guyetus utrumque supposititium credit, male. *Hecyra* ter acta est, primo sine prologo ; unde prologi exstant duo, qui a quibusdam in unum parum commode continuantur. Totus autem prologus subtilem conquestionem continet, ob hoc, ait Donatus, ne aperte populum neglectæ fabulæ reum faciat, et facile revocet in favorem. Idem ille commentator pronuntiat prologum esse multiplicem, et rhetoricum nimis, propterea quod sæpe exclusa hæc comœdia diligentissima defensione indigebat.

1. *Hecyra.* Gothan. Mss. membranae. *Hechira.* — Bent. *fabulai*, pro *fabulæ.* — *Hæc quum*, etc. Pauci codd. non agnoscunt *hæc.* Laurent. legit *ea quum acta est.* — *Hecyra.* Sic dicitur, ideo quia per socrus et soceros in ea aguntur multa. Nam et ἑκυρὸς et ἑκυρὰ soceri nomen, socrusque significant. Interpres nescio quis vult *Æchiræ* nomen huic fabulæ esse ; et dictam esse *Æchiram*, a loco haud longe distante ab Athenis ubi hæc acta sunt. Merum, ni fallimur, somnium. — *Data.* Dicitur *dari* fabula, quum agitur; *stare*, quum placet. *Don.*

2. *Nova, novum.* Both. *Novæ novum.* Bent. *Nova, ei novum.* — *Nova*, primum. Et in *Nova, novum*, figura est παρονομασία ; sed ita ut nihil exquisiti subter latere meditatus fuerit auctor. — *Novum*, quod nunquam antea Nostro Poetæ acciderat. — *Vitium et calamitas.* Utrumque ab augurio deductum. Nam *vitio* sæpe creari consules dicuntur, si quid auspicia adversentur, h. e. si tonet, aut si tonet cum *calamitate*, seu grandinet simul. Cic. Phil. II, 32. *Perl.*

3. *Ut*, ita ut. — *Spectari*, ex scenæ apparatu. — *Cognosci*, ex personarum actione.

4. *Stupidus.* Both. *obstupidus.* — *Ita*, pro *adeo;* et est epiphonema.

Animum occuparat : nunc hæc plane est pro nova;
Et is qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset vendere.
Alias cognostis ejus : quæso hanc noscite.

— *Studio stupidus*, præ admiratione hærens.— *In funambulo*, in contemplando σχοινοβάτῃ; hi enim ἐν θαυματοποιοῖς erant olim.

5. *Nunc hæc.* Both. *hæc nunc.* — *Plane.* Guelf. 2 *certe.* — *Nova.* Quæ non fuit acta.

6. *Et is qui scrips.* etc. Leg. Both. *Etsi is q. s. hanc ob causam n.* — *Ob eam rem.* Scilicet quia primo ob funambulum neglecta erat atque contempta.

7. *Posset.* Sic nos ex recta temporum ratione post Bent. Bip. Both. Perlet. Cæterum plerique omnes libri *possit.* — *Iterum*, denuo, post spectaculum funambuli. — *Noluit referre.* Noluit introducere in scenam. — *Ut iterum posset vendere*, supp. histrionibus. Ergo quum Terentius noluerit fabulam denuo introduci, ne desperatione favoris popularis videretur facere, avaritiam suam prætexit; maluitque se avarum induci, quam suo operi diffidentem.

8. *Cognostis.* Guelf. 1, *cognoscis.* Unus Ms. Argentor. *cognovistis.* — Deest *ejus* in Leid. 5. — *Hanc.* Leidd. quatuor *nunc hanc.* Alii, *hanc nunc;* sed nos delevimus τὸ *nunc.* — *Hanc noscite.* Ms. Mark. et Hul. *cognoscite.* — *Alias ejus*, scil. comœdias poetæ. Repugnare hæc videntur cum sententia Petiti Hecyram auctoris nostri secundam esse affirmantis; quod idem contendit quoque Dacieria, additque has *alias* usque ad nos non pervenisse. Si autem plures fabulas scripsisset Terentius quæ fuissent ita oblivio deletæ, probaretur inde non dignas fuisse eas quæ colligerentur; nec ergo commisisset Terentius ut talia scripta sibi laudi duceret. Ergo, ut diximus in titulo, not. 8, si Hecyra est secunda, τὸ *alias* non poteris explicare nisi, ut jam diximus, admiseris cum Vossio eam post *Adelphos*, i. e. post ultimam omnium, fuisse denuo repræsentatam. — *Cognostis*, pro *cognovistis.* Ultimam hanc offert Terentius, et ideo de præcedentibus argumentum sumit: *Alias cognostis.* At in Andria, quæ est prima omnium, aliter dixerat, et de futuris contra sumpserat argumentum : « ut pernoscatis... quas faciet de integro comœdias, spectandæ, an exigendæ sint vobis. » Dissimiliter in dissimilibus locis loquitur.

PROLOGUS II.

Orator ad vos venio ornatu Prologi:
Sinite, exorator sim, eodem ut jure uti senem
Liceat, quo jure sum usus adolescentior,
Novas qui exactas feci ut inveterascerent,
Ne cum Poeta scriptura evanesceret.

Prolog. II. Magna arte hic prologus scriptus est, nimis oratorie. Nam toties expressa fabula quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur, deinde actor peritissimus, ipse Ambivius, probaret et poetam et comœdiam, cujus auctoritas elucet ex verbis, tum deinde subtiliter novo poetæ a vetusto et magnæ auctoritatis, Cæcilio, peteretur exemplum et peteretur ingeniosissime? Nam quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Cæcilio; quod huic in aliis nunquam, hoc illi fere in omnibus: quod huic præter Hecyram et actæ et probatæ sunt cæteræ, illi partim exactæ, partim vix probatæ. Itaque his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod exclusus est, et nihilominus illi tantum tribuendum, ut aut par Cæcilio, magno tunc poetæ, aut ultro melior etiam esse possit. *Don.* (ex emendat. *Bothii*).

9. *Ornatu.* Bœcl. In Mss. *Cum ornorator.*—*Orat.* Sic præcipue vocatur, qui publica legatione fungitur, unde jure gentium orator est audiendus; ideo, ne expellatur, oratorem se incipiendo magnifice nominat, non prologum. — *Ornatu Prologi.* In vestitu, in apparatu prologi. *Prologus* hic est non sermo, sed vir; et *ornatu* intelligi debet de vestimento oratorio, si fas est dicere, et concionanti proprie addicto; quomodo fit in scena nostra Gallica, quum actor venit quædam expositum ad fabulas ipsas non pertinentia.

10. *Exorator sim.* R. Steph. Lind. West. *exor. ut sim.* — *Exorator.* Est *exorator*, quum impetraverit; *orator*, dum agit. *Don.* — *Ut*, ita ut.— *Eodem jure*, quo jure. Eadem repetitionis elegantia, Ad. 858.—*Senem*, sc. me.

11. *Quo jure sum.* Faern. *sim.*

12. *Inveterascerent.* Ms. unus, *veterascerent.* — *Novas qui exactas*, etc. Enallage casuum, pro, qui feci ut novæ comœdiæ (primum quidem) exactæ, (tamen) inveterascerent. — *Exactas*, expulsas. Eodem sensu verbum illud occurrit, And. 27, vol. I, pag. 21. — *Inveterascerent.* Hoc est, cognoscerentur, et totæ spectarentur, atque adeo fierent veteres comœdiæ et sæpius spectatæ. *We.* — Hoc autem versu innuitur quod accidit etiam Cæcilii (aut, ut quidam volunt, Acilii) optimis comœdiis, ut vides infra.

13. *Ne cum Poeta*, etc. Ne cum obitu ipsius poetæ etiam poema interiret. *West.*

In his, quas primum Cæcilii didici novas,
Partim sum earum exactus, partim vix steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem
Novas, studiose, ne illum ab studio abducerem.
Perfeci ut spectarentur : ubi sunt cognitæ,
Placitæ sunt : ita Poetam restitui in locum,
Prope jam remotum injuria adversariûm

14. *In his quas*, etc. Constructio singularis; et sensus est : in comœdiis scriptis a Cæcilio, et quas ego didici primum, dum essent novæ.— *Cæcilii*, sc. veteris poetæ comici celeberrimi; de quo Gell. IV, 20. Vid. quoque in procemiis nostris scriptam de illo versibus elegantissimis narratiunculam, quam concinnavit inter nostrates maxime commendandus, *Andrieux*, vol. I, p. LXXXI. — *Didici*, ut recitarem.

15. *Partim... partim*. C. G. m. repetit *partem*; et West. suspicatur *partim* dictum pro *partem*, ἀρχαϊκῶς. — *Partim earum*. Hic *partim* vere accusativo casu reponitur, et hellenismus est, ut Græcis κατὰ μέρος. — *Vix steti*, vix potui fabulam peragere. Quid igitur mirum, si Terentio poetæ in una accidit, quod Cæcilio in multis?

16. *Scenicam*. Bent. *scænicam*; quod antique scriptum defendit. Attamen constat aliunde, η Græcis a Latinis in *e* produci. *Perl.* — *Dubiam*, modo quidem turbulentam, modo autem magis placidam et melioris spei.

17. *Spe incerta*, etc. Etsi *incerta spe*, tamen *certum laborem* sustuli, subii. Sententiose et vere, ait Donatus. Nam ubi certa spes est, nihil opus est labore certo ac vehementi.

18. *Easdem*. Edit. Prim. *eas*. — *Discerem*. Malim, ait Wester. *et ab eod. al. discere*, vel in vers. 19, si quis tuebitur lectionem vulgatam, *non illum ab studio abducerem*. — *Easdem*, sc. exactas. — *Ut ab eodem*, etc. Ut sperare mihi liceret novas postea agendas fore; *ab eodem* est pro *ejusdem*.

19. *Ne ill*. Both. *nec*. — *Studiose*, refer ad *agere*.—*A studio*, scribendi. — *Abducerem*, deterrerem, removerem.

20. *Perfeci*. Plus est quam *feci*, et moles difficultatis ostenditur. — *Ut spectarentur*. Supple, *et ut probarentur*.—*Ubi sunt cognitæ, Placitæ sunt*. Elegans promissio et hanc placituram si cognoscatur. *Don*.

21. *In locum*. Guelf. 3, add. *suum*. — *Poetam*. Mire non Cæcilium, sed *poetam*. Ut hoc generaliter populo præstitisse, non uni homini videatur. *Donat*. — *Restitui in locum*. In pristinum statum et æstimationem reduxi.

22. *Adversarium*. Mss. duo *adversariorum*. — *Injuria*, iniquitate. — *Adversariûm*, pro *adversariorum*.

Ab studio, atque ab labore, atque arte musica,
Quod si scriptorem sprevissem in præsentia,
Et in deterrendo voluissem operam sumere,
Ut in otio esset potius quam in negotio;
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea causa æquo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est; ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vestra intelligentia
Sedabit, si erit adjutrix nostræ industriæ.
Quum primum eam agere cœpi, pugilum gloria,

23. *Atque arte mus.* Aliq. libb. *atque ab arte mus.* — *Ab stud. atq. ab lab. atq. arte mus.* Tria laudantur in poeta, *studium*, scil. ingenii propensio, *labor*, scil. exercitatio, *ars* ipsa scribendi. — *Musica.* Conf. Eunuch. vers. 477, ubi vid. not. vol. I, p. 194.

24. *Scriptorem.* Fere omnes alii *scripturam.* Nos autem post Perletum, secuti sumus Bentl. ingeniose corrigentem. — *Quod si scriptorem.* Intellige, quod si Cæcilii fabulas exclusas a scena agere iterum neglexissem. — *In præsentia.* Explicat de tempore, tunc quum primum editæ fuerunt.

25. *In deterr.* Magna pars Mss. et Ed. Pr. *id deterrendo.* — *In deterr.* scil. poetam a scriptura.

26. *In otio pot. q. in negotio.* Elegantia hæc est utriusque vocis latini. Est enim *negot.* i. q. *nec otium.* Et fabularum auctoribus id est negotii ut populo placeant quas fecerint fabulas. *Perl.*

27. *Scriberet.* Duo Mss. Bœcl. *describeret.*—*Deterruissem.* Avertissem.

28. *Æquo animo.* Both. *anim. æq.* — *Mea causa*, mei gratia. — *Æquo*, favente et placido.

29. *Per silentium.* Adjuvante vestri silentii favore.

30. *Calamitas.* Exclusionem vocat calamitatem. Cf. supr. vs. 2.

31. *Vestra intelligentia.* Sc. quum cognoveritis actam comœdiam; et est hoc ab auditorum persona.

32. *Nostræ industriæ.* Rursus a sua persona. Notetur autem ex Donato, quæ insit verbis *vestra intelligentia, nostræ industriæ*, concinnitas elegans ac periphrasis, pro simpliciori, *vos, nobis.*

33. *Pug. gloria.* Guyet. *pug. grat.* Both. *gloriæ Funambuli etiam.* — *Pugilum gloria.* Περίφρασις, ait Don. ἀντὶ τοῦ, pugiles etiam gloriosi. — Potest quoque intelligi *pugilum gloria* pro simplici, *pugiles;* ut apud Græcos, βίη Πριάμοιο, i. e. Πρίαμος, ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, i. e. Alcinous, et id genus alia. *Mericus Casaubonus.**

* *Mericus Casaubonus*, Isaaco Casaubono natus, majorem vitæ partem degit in Anglia, ubi post mortem nostratis Henrici quarti pater benignissime fuerat exceptus; et ipse fuit singulari in loco apud Jacobum I et Carolum I. Celebriori viro, Oliv. *Cromwell*, præmium scripturæ pollicito si historiam horum temporum contexeret, renuere non dubitavit. Mortuus est Cantuariæ, mense julio, anni 1672, duo et septuaginta annos natus; vir multa doctrina, sed aspeçiori sæpius styló.

Funambuli eodem accessit exspectatio,
Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova cœpi uti consuetudine,
In experiundo ut essem : refero denuo.
Primo actu placeo, quum interea rumor venit,

34. *Accessit.* Bent. fingit *accedens.* — *Funambuli.* Qui per extensum sublime *funem ambulat.* — *Eodem accessit.* Conspiravit in eamdem calamitatem. — *Exspectatio*, desiderium. Horatius tractavit hunc locum, epist. II, 1; quem citat Bœcl. « Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam, Quod numero plures, virtute et honore minores, Indocti stolidique, et depugnare parati, Si discordet eques, media inter carmina poscunt *Aut ursum aut pugiles;* his nam plebecula gaudet. Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas Omnis ad incertos oculos et gaudia vana, etc. »

35. *Comitum conventus.* Refingit si non vere, at saltem ingeniose Both. *hominum convent.* « Nempe, ait, vocis *hominum* prima syllaba quum forte vel tota, vel ex parte periisset, aut etiam omissa esset a librariis, sicut fieri solebat in literis versuum initialibus, minio postmodum appingendis, gliscere cœpit corruptio, capite truncata voce *ominum*, vel *cominum* degenerante paulatim in *omitum*, *comitum* ». — *Strep.* Pleræque editt. pro hac voce, habent cum Donato, *studium.* — *Comitum conventus.* Non plane liquet quid significet *comitum.* Suspicatur Donatus agi de iis qui assectatores sunt pugilum, et amicos suos in locum certaminis comitantur. Alii interpretes explicant, *concursus eorum qui sunt in nostro comitatu;* quod fere malimus. Mer. Cas. proponit intelligi de servis, ut qui de plebe homines, et citat Horatium : « Arcta decet sanum comitem toga. » Nihil autem nobis melius placet, fortasse propter vocis ipsius difficultatem, quam nova lectio Bothio admissa, quum præsertim *hominum* hic opponatur τῷ *mulierum.* Vid. in var. lect. — *Strepitus*, certamen diversis faventium. *Don.* — *Clamor mulierum.* Importune hic, ut nobis videtur, quæstionem juris agitat Perletus, « quia, inquit, non licebat mulieribus interesse ludis scenicis, etc. » Satis, ex hoc ipso loco patet eas vere interfuisse.

36. *Ante tempus,* ante completam fabulæ actionem.

37. *Vetere in nova*, etc. Ordo est : *In* hac *nova* Terentii fabula, *cœpi* (aggressus sum), *uti vetere* mea *consuetudine*, qua eram olim usus in Cæcilii fabulis, nempe *ut essem* (ut insisterem) *in experiundo* (in periculo faciendo), in tentando an placitura esset Hecyra.

38. *In exp. ut essem.* Cf. simil. locut. Heaut. vs. 985 (vol. I, pag. 452), et ibi not. — *Refero denuo.* Iterum Hecyram comœdiam introduco in theatrum.

39. *Placeo*, vox consecrata, ut videmus in variis Didascaliis. — Mire, non diu, inquit, pependit judicium, sed statim placuit : ut

Datum iri gladiatores; populus convolat;
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco;
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba non est, otium et silentium est;
Agendi tempus mihi datum est, vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos : facite ut vestra auctoritas
Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit.

quod sequitur, non judicio, sed perturbatione factum sit. *Don.*

40. *Gladiatores*, pro, ipsum spectaculum gladiatorum.

41. *Tumultuantur.* Junt. ed. *Tumultuant.* — *Clamant.* C. G. m. *et clamant.* — *Pugnant.* Mark. *repugnant.* — *Pugnant de loco.* Quod nimirum in hoc spectaculo omnes promiscue sederent, quum in theatro distincta essent subsellia ordinum. *West.*—De hac re cf. Val. Max. II, 4, 2.

42. *Non potui tutari locum.* Facete repetit locum, vers. præcedentis; et est locus theatri in quo ipse actor agebat.

43. *Turba non est.* Vulg. *turba nulla est.* Sequimur nos Bentl.—*Turba*, græce θόρυβος. — *Turbam* animadvertit Donatus referri ad id quod supra dixit, *clamor mulierum; otium*, πρὸς τὸ *pugnant; silentium*, πρὸς τὸ *clamant.*

44. *Tempus.* Opportunitas, græce, εὐκαιρία. —*Mihi datum est.* His probatur tertiæ editionis hunc esse prologum.

45. *Potestas condecor. lud. scenic.* Jam non de Terentio, nec de populo quidem loquitur actor; verum ait interesse ludorum scenicorum ipsorum, quibus pulcherrima detrahentur ornamenta, si nimia acerbitate audientium excludantur poetarum fabulæ in his ludis edendæ. Locus magni ponderis, ut ait Dacieria, nec satis bene adhuc explanatus.

46. *Artem musicam.* Vid. supr. v. 23, et ibi not.

47. *Recidere ad paucos*, tractari a paucioribus.

48. Hunc versum et tres sequentes omittit Both. quos apte positos censet in Heautont. Prologo, hic minus. — *Facite ut vestra auctor. Meæ auctoritati*, etc. Duo sensus accipi possunt, ex duplici τοῦ *auctoritas* interpretatione. « Vos comœdias quum libenter audire cœperitis, erit studium scriptoribus maximum. Unde mea ad agendum crescet auctoritas; si quidem multi per me placebunt. » Gall. verteremus, *votre crédit soutiendra le mien.* Vel explica : « Vestra approbatio faveat approbationi quam ipse Terentio concessi, quum eum tutari et erigere in me susceperim. » Gall. *que votre jugement vienne confirmer le mien, que votre suffrage soit le garant du mien.* Quem quidem posteriorem sensum libentius amplecteremur.

Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum, in animum induxi, maxumum,
Quam maxume servire vestris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, et se in vestram commisit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea causa causam accipite, et date silentium,
Ut lubeat scribere aliis, mihique ut discere
Novas expediat, posthac pretio emptas meo.

49. *Si nunquam*, etc. Hos versus et duos sequentes dat pariter Heaut. prologus; utrum repetente Terentio, an errore librariorum non liquet; et difficiliter judicaveris cuinam prologo male fuerint connexi. Vide cæter. in prol. citato, quod attinere potest ad interpretationem.

50. *In anim. induxi, maxumum.* Mss. quid. et editi, *in anim. induxi meum.*.

52. *Qui in tutel. meam Stud. suum*, etc. Scilicet quum studium ejus labore meo excitarem. Ordo est: Sinite impetrare me, ne eum circumventum inique iniqui irrideant, qui in tutelam meam studium suum, et se in vestram commisit fidem.

54. *Circumventum.* Delusum, oppressum. Dicit Terentium.

55. *Causam accipite.* Plerique ed. dant *causam hanc accip.* Omittimus *hanc* ex Bentl. post Perletum. — *Mea causa.* Cf. vs. 28. Scit se optimi meriti esse, et quam frequenter populo placuerit; idcirco propter se dicit audientiam esse comœdiæ dandam. *Eugr.* — *Causam*, sc. poetæ. — *Accipite*, pro suscipite.

56. *Scribere aliis.* Bentl. *scr. alias*, sc. fabulas, ut vs. 27. Non admittimus. *Aliis*, sc. comœdiarum scriptoribus. — *Discere*, sc. agendas.

57. *Pretio meo.* Non, a me soluto, sed, a me statuto et indicato. Petebant ædiles ab histrione aliquo primario fabulam quæ in ludis publicis ageretur: simulque illum jubebant indicare pretium quo illam ipsis vellet vendere. Id pretium aut ejus pars certa persolvebatur poetæ. Quod si fabula explodereturn, Ædiles repetere poterant pecuniam a se datam, quod damnum histrionis erat. *Juv.* — At Pareus, et Mer. Casaubon. credunt Ædiles a poeta, histriones rursus ab Ædilibus emisse Hecyram.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PHILOTIS. SYRA.

PH. PER pol quam paucos reperias meretricibus
Fideles evenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi!
Quam sancte! ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.
Hem! duxit. SY. Ergo propterea te sedulo

Sc. 1. PHILOTIS. SYRA. Hæ personæ, Terentii more, extrinsecus assumuntur, ut sic argumenti obscuritatem spectator effugiat.

58. *Paucos.* Var. *paucis.* Utrum verius, ipse Donatus dubitat. Sed τὸ *paucis* certe græce dictis Apollodori respondet ὀλίγαις ἑταίραισι (vid. infr. not.) Nam ex Apollodoro Græcorum poeta transtulisse fertur Terentius Hecyram suam et Phormionem. *Perletus.* — *Per pol quam.* Tmesis pro, *pol, perquam paucos reperias meretricibus Fid.*

59. *Evenire.* Bent. *evenisse.* Probat Both. — *Evenire.* Non *esse*, sed *evenire* dixit, ut non rationis, sed casus sit id, quod rarissimum est. *Don.* — *Fideles amatores.* Citat hic Donat. locum Apollodori, quem fœde corruptum et lacerum mira arte resarciverunt Faber et melius etiam Bentl. αλπαICHPAS THC reI IONHNC THRAICCI PAγγιbαιωc. Tan. Faber: οὐδέποτ' ἐρασὴς ταῖς ἑταίραισι συνέβη βέβαιος. Bentl. Ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον' ἑταίραισι, Σύρα, βέβαιος.

60. *Quoties.* Al. *quotiens.* — *Vel*, etiam. — *Jurabat quoties.* Cf. Ad. vs. 333.

61. *Quam sancte.* Vult. Guy. *tam sancte.* — *Quivis.* Codd. quid. *quis.* — *Quam sancte.* Proprie; *sanctum* enim est jusjurandum. — *Ut*, ita, adeo, tam vivide, ut. — *Quivis*, non modo Bacchis, quæ amica erat, sed etiam ignoti.

62. *Ductur. uxor.* Bent. ex codd. colloc. *uxor. duct.* — *Illa*, Bacchide. — *Ducturum*, supp. eum.

63. *Hem!* Donat. *En.* Lib. Vict. *Em.* — *Hem.* Indignantis vox et mirantis. Gallice, *eh bien, pourtant!* — *Duxit.* Breviori verbo immanitatem sceleris includit. *Le voilà marié!...*

Et moneo et hortor, ne cujusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquam nacta sis.
Ph. Utin' eximium neminem habeam? Sy. Neminem.
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
Ph. Tamen pol eamdem injurium est esse omnibus.
Sy. Injurium autem est ulcisci adversarios,
Aut qua via captent te illi, eadem ipsos capi?
Eheu, me miseram! cur non aut istæc mihi

64. *Ne cujusq.* Donat. *te* ante *cuj.* deesse notat. — *Misereat.* Faern. probat *misereas*, lect. Bembini. — *Ne cujusquam*, suppl. amatoris. — — *Misereat*, sc. te.

65. *Quemquam.* Traj. cod. *quemcumque.* Alii *quemque;* C. G. m. in marg. *quemquem.* — *Quin spolies*, etc. Paraphrasis est ex illo Plauti, in Trucul. I, II, 13 et seqq. *Bœcl.* — Totum illud intellige, « omnibus bonis spolies et ad summam inopiam redigas. » —*Quemquam*, quemcumque.

66. *Utin'.* Omnes Mss. Bœcler. *ut ne.* — *Utin'*, etc. Deest *censes*, ut sit : *censesne ut eximium*, etc. Vel certe, *doces.* — *Eximium*, selectum, præcipuum, cui parcam. Sic *eximius* porcus est *exemptus* a grege, atque signatus nota.

67. *Illorum quisquam.* Omnes codd. Bentl. et Bœcl. *quisq. illorum.* — *Illorum*, amatorum. — *Scito.* Sic solet doctior qui est ad rem, alloqui rudiorem.

68. *Paret se.* Alii *sese.*—Ms. Bænd. *præparet.* — *Ita paret se*, ita se disponat. — *Abs te*, ex te, ex tuo corpore. — *Blanditiis suis*, sermonibus blandis, sed pecunia minime commendatis, et de quibus dici potest, « Sunt verba et voces, prætereaque *nihil.* »

69. Pro *pretio*, Guelf. 1, *perpetuo.* — *Voluptatem.* Libidinem veneream.

70. *Hiscine*, talibus amatoribus. —*Amabo*, quasi diceret, *quæso.* — *Contra insidiab.* H. e. par pari referes. *Insidiari* quidem, malum est; sed *contra insidiari* justum.

71. Delph. ordinat, *tam. eamdem pol esse omnibus, inj. est.* — *Eamd. esse omnibus.* Eodem modo omnes tractare.—*Injurium*, iniquum, contra jus.

72. *Ulcisc. adversarios.* Dicit non amatores esse, sed *adversarios*, ex hoc quod ad libidinem sine mercede complendam festinant. *Eugr.* — Quoad sentent. cf. Eunuch. ubi Chærea meretricibus idem minatur, quod h. l. Syra amatoribus. *Perl.*

73. *Illi.* Abest a lib. Bemb. et Valpy. Adest in plerisque et in C. G. m. — *Qua via*, qua arte. — *Captant te*, student decipere te.

74. *Eheu, me miseram!* Dolorem exprimit anus deformis, quod huic

Ætas et forma est, aut tibi hæc sententia?

SCENA SECUNDA.

PARMENO. PHILOTIS. SYRA.

PAR. Senex si quæret me, modo isse dicito
Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
Tum dicas; si non quæret, nullus dixeris,
Alias ut uti possim causa hac integra.

non poterat de aspera sua persuadere sententia. — *Cur non aut istæc*, etc. Hæc imitatus videtur Horatius, Od. IV, IX, 7, 8 : « Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit? Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ? » *Perlet.*—Mire hic, ut animadvertit Donatus, e contrario descripta est deformitas lenæ, et formam et voluntatem malam gerentis.

Sc. II. Duæ conjecturæ sunt in hac scena : an vere sint nuptiæ, et an verisimile sit abstinere potuisse adolescentem a virgine sibi nuptum tradita. *Don.*

76. *Si quæret.* Mss. omnes apud Bœcl. *si quærat.* — PARMENO. Verba servus facit, in scenam de proscenio respiciens, et allocutus Scirtum, personam mutam. — *Senex*, Laches, Pamphili pater. Magis expressit consuetudinem servi, dicens *senex*, quam *dominus major.* Don. — *Modo isse dicito.* Exeundi causa de argumento sumitur. Quia Pamphilus absens est et exspectatur in dies ejus adventus. — Hæc omnia submissa et veloci pronuntiatione efferenda monet Donat. hoc enim desiderant hujus modi verba, utpote et servi et festinantis.

77. *Ad portum*, Piræeum. — *Adventum*, reditum. Cf. vs. 173. Redierat enim Pamphilus ab Imbro insula, quo missus fuerat a patre, ad hæreditatem cognati petendam.

78. *Scirte.* Guyet. *Scyrthe*, quasi duxerit a σκύρθος. Al. *Syre.* C. G. m. *Syra.* — *Audin' quid dicam?* Vel *sentisne, intelligisne?* vel *advertisne?* — *Uti Tum dicas.* Id scilicet, quod modo mandaverat. — *Uti*, pro *ut.* Plenius, *fac ut, moneo ut*, et supple, mon. ut tum dicas me isse ad portum.

79. *Nullus dixeris*, pro, *non dixeris, minime dixeris.* Ut And. «Liberatus sum, Dave, hodie tua opera. At *nullus* quidem.» Id est, minime vero. *Mer. Casaub.*

80. *Alias ut uti.* Abest *ut* a Guelf. 3. — *Alias*, in alio tempore. — *Causa hac*, προφάσει, prætextu. — *Integra*, non prius dicta, recens adhibita. — *Integrum* et *in integro* esse dicit Perletus, quod adhuc est nostri arbitrii.

Sed videon' ego Philotium? unde hæc advenit?
Philotis, salve multum. PH. O salve, Parmeno.
SY. Salve mecastor, Parmeno. PAR. Et tu ædepol, Syra.
Dic mihi, Philotis, ubi te oblectasti tam diu?
PH. Minume equidem me oblectavi, quæ cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo.
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
PAR. Ædepol te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepisse sæpe, et te tuum
Consilium contempsisse. PH. Non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,

81. *Sed videon' ego.* Duo Mss. Bœcler. omittunt *ego.* — *Sed videon' ego Philotium?* Exquisite hic Donatus : « Mire inventa est causa narrandi ideo, quia peregre venit meretrix : alioquin si Athenis esset, omnia sciret. » — *Philotium,* Sic blande per diminutivum compellat hanc quæ vocatur Philotis. Cæterum vidimus feminea nomina Græcorum neutro genere sæpius terminari, ut in Andria *Glycerium.* — *Unde hæc advenit?* En causam narrandi!

82. *Philotis.* Muretus olim *Philoti.*

83. SYR. *Salve, mecastor,* etc. Olim salutantes addebant jusjurandum, ut hoc sedulo facere viderentur. *Don.* — In *mecastor,* τὸ *me* aut adjectio est, aut abundat; aut positum pro μὰ syllaba : ut Græci μὰ τὸν Ἀπόλλωνα dicunt. *Don.*—Illud autem jusjurandum *mecastor* feminis tantum familiare, quum viri *me hercule* jurarent. A. Gell. XI, 6.—*Et tu ædepol, Syra.* Irrisit ad *mecastor,* addendo, *ædepol;* et quod illa *Parmeno,* ille hic addidit *Syra. Don.*

84. *Ubi te oblectasti?* Facete dictum meretrici, non, *ubi fuisti?* sed, *ubi te oblectasti? Don.*

85 seqq. *Minime equidem me obl.* Hæc argumenta sunt, an se oblectare potuerit : a persona, quia *miles inhumanissimus;* a loco, quod *hinc* (Athenis), profecta; a tempore, quod *biennium;* a re, i. e. ab injuria quam *tulit. Don.* — *Illum tuli.* Non cum illo fui, sed *tuli,* adeo non me oblectavi. Cf. infr. 610.

87. *Tuli.* Duo Mss. Bœcl. et quidam editi *pertuli.*

88. *Te desiderium.* Codd. quidam non agnoscunt *te.* — *Te desiderium cepisse.* Te captam fuisse desiderio; et est in verbis ἀμφιβολία.

90. *Te tuum Consil. contemps.* Te pœnituisse profectam.

91. *Redeundi, abeundi a mil.* Libantiq. *redeundi et abeund. a mil.* — *Quam cupide eram huc red. abeund. a mil.* Mirum valet ad significandos pravos mores istius militis, quod, quia cum eo vivendum esset, ideo mulieri ne Corinthus quidem placebat, regnum meretricum. Tantus enim, inquit Erasmus, Adagg. IV, 3, 68, illic honos habebatur meretricibus, ut, quemadmodum ex aucto-

Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter vos libere convivium :
Nam illi haud licebat nisi præfinito loqui,
Quæ illi placerent. PAR. Haud opinor, commode
Finem statuisse orationi militem.
PH. Sed quid hoc negotî est? modo quæ narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille hac viva posset animum inducere
Uxorem habere. PAR. Habere autem? PH. Eho tu! an non habet?
PAR. Habet, sed firmæ hæc vereor ut sint nuptiæ.

ribus docet Athenæus, illic in templo Veneris prostarent, atque in solemnibus precibus illud adderetur, ut Dii augerent numerum meretricum. *Both.*

92. *Antiqua*, pristina.

93. *Agitarem convivium.* Plus valet frequentativum verbum, quam si diceret *agerem*. Cf. Plaut. Asin. V, 1, 7 : « hoc *agitemus convivium* vino et sermone suavi. » *Perl.*

94. *Illi.* Sic legit Donat. pro *illic*, quod plures alii recipiunt. Nec stat aliter versus. *Faern.*

95. *Quæ illi pl.* Duo dixit, et *præfinito*, et *quæ illi plac.* ut neque quantum velles, neque quod velles dicere. *Don.* — *Haud opinor, commode*, etc. « Video sane non tibi placuisse, quod miles tuæ orationi et loquacitati modum poneret. » Egregie notavit Dacieria ingenia hominum a poeta perstringi diversorum, militis scilicet, qui non nisi certis terminis sermonem suum circumscribat, et feminæ loquacis, quæ omnes modestæ orationis fines excedat. *Perl.*

96. *Orationi.* Duo Mss. Bœcler. *orationc tua.* Mss. et editi nonnulli *orationi tuæ.*

97. *Sed quid.* Hel. *sed quod.* — *Sed quid hoc negotî est?* Hic ad argumentum nunc descendit; prælatis scilicet allocutionibus, et separatarum et permixtarum personarum : ne jejune ad argumentum veniens, non agere fabulam, sed narrare videretur. *Donat.* — *Quæ*, qualia et quanta.

98. *Quod ego nunquam*, etc. Supple : narravit mihi factum, negotium *quod* nunquam credidi fore, scilicet, ut, etc.

99. *Ille hac viva.* Plures *hac ille viva.* — *Hac viva.* Cf. supr. vers. 62. — *Posset animum inducere*, quasi in rem duram, ait Donatus, et immanem.

100. *Eho tu!* Deest *tu* in quibusd. — *Habere autem?* Particula autem est hic correptiva; et totum illud sic intellige : « Quid? ais eum uxorem habere? non habet potius quam habet; quia non diu stabunt, ut opinor, hæ nuptiæ. » — *Habere*, hoc in loco, significat aliquid proprium ac perpetuum possidere. *Juvenc.*

101. *Hæc.* Sic Bent. codd. antique pro *hæ*. — *Firmæ ut sint nuptiæ.* Cf. infr. 176, sqq.

PH. Ita Dî Deæque faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed quî istuc credam ita esse, dic mihi, Parmeno.
PAR. Non est opus prolato : hoc percontarier
Desiste. PH. Nempe ea causa, ut ne id fiat palam.
Ita me Dî amabunt, haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.
PAR. Nunquam dices tam commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. PH. Ah, noli, Parmeno.
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quæ percontor, scire. PAR. Vera hæc prædicat,
Et illuc mihi vitium est maxumum : fidem mihi
Si das, te tacituram, dicam. PH. Ad ingenium redis.
Fidem do : loquere. PAR. Ausculta. PH. Istic sum. PAR. Hanc Bacchidem

102. *In rem Bacch.* in utilitatem.

103. *Istuc ita esse.* Scil. nuptias esse infirmas.

104. *Non est opus prolato.* H. e. non opus est id declarare.

105. Br. interrogat post *palam.* — *Nempe ea causa*, etc. Supple antea, « vis me desistere percontarier, nempe ea causa, i. e. eo timore, ne, etc. » — *Ut ne id fiat palam*, intellige, ne per me aliis innotescat, quod mihi dixeris.

106. *Ita me Dî amabunt.* Lib. ant. *Ita m. D. ament.* Abest *bene* a Bemb. Et *amabunt* Faern. ex Donato, metri causa legendum præcepit. *Perl.* — *Ita me Dî amabunt.* Locutio sæpius explicata.

107. *Ut hoc prof.* Delet *hoc* Both. — *Ut tacita mecum.* Both. *mecum ut tacita.* — *Proferam*, prodam, Bacchidi scilicet, vel cuilibet.

108. *Dices tam.* Fa. Bent. *tam dices.* — *Tam commode*, tam idonee et apte ad persuadendum.

109. *Ah noli.* Both. mallet *ah, nolo.* Vel, ut putat, melius, *ah novi.* — *Ut terg. me. Tuam in fidem committam.* H. e. vernili sermone pro, ut, si tu fidem fallas, ego plectar pendens. — *Ah, noli, Parmeno.* Supp. dicere talia. Artificiose se fingit andire nolle, ut tacitura credatur, si audierit : quia curiositas signum est loquacitatis. Sic Horat. I, 18, 69 : « Percontatorem fugito, nam garrulus idem est. »

110. *Quasi tu non multo*, etc. Sensus est : « mavis tu dicere, quam ego percontari; » et nunc Philotis non est instantior hac calliditate, ut magis servum ad dicendum provocet.

111. *Percontor.* L. ant. *percontar.* — *Hæc*, Philotis.

112. *Illuc.* Lib. ant. *illud.* — *Et illuc mihi*, etc. Hæc ille secum, ut Philotis non audiat. — *Vitium*, scil. tacere non posse.

113. *Redis.* Cod. quid. *redit.* Alii *redi.* — *Ad ingenium redis.* Quia a se discesserat, si taceret.

114. *Fidem do*, me tacituram. —

Amabat, ut quum maxume, tum Pamphilus,
Quum pater, uxorem ut ducat, orare occipit,
Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum,
Senem sese esse, dicere, illum autem esse unicum;
Præsidium velle se senectuti suæ.
Ille primo se negare; sed postquam acrius
Pater instat, fecit, animi ut incertus foret,
Pudorin', anne amori obsequeretur magis.
Tundendo atque odio denique effecit senex:
Despondit ei gnatam hujus vicini proximi.
Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave;
Donec jam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas; nec moram ullam, quin ducat, dari.

Istuc sum. Parata sum, quæ te audiam.

115. *Ut quum.* Hæc omitt. Mss. unus Boecler. alter pro *ut*, legit *et*. — *Amabat, ut quum maxime, tum Pamph.* Amabat tum, ut quum maxime amabat; i. e. numquam magis quam tum amaverat.

117. *Hæc, communia.* Quid. codd. *hæe omnia.*

118. Abest *esse* posterius a lib. Bemb. prius a C. G. m. — *Dicere.* Refer ad *occipit*, «et occipit dicere hæc, etc. »

119. *Præsidium senectuti.* Innuit sobolem et successorem.

120. *Primo se negare.* Bent. *se pr. neg.* — *Ille se negare.* Plenius : ille se ducturum uxorem negabat. — Accurate hunc locum tractavit Poeta, ut suspicio levitatis averteretur a Pamphilo, qui juraverat Bacchidi, ut ante dictum est.

121. *Fecit.* Ed. Pr. et quid. codd. *facit.* — *Fecit, animi ut incertus foret.* Effecit ut dubitaret Pamphilus, an obsequeretur patri ob ejus reverentiam, an potius ob amorem Bacchidis negare pergeret.

122. *Pudorin'.* Ed. Pr. et Junt. *Pudori.* — *Pudori*, reverentiæ, patris scilicet. — *Amori*, meretricis.

123. *Tundendo atque odio.* Sæpius eadem repetendo, atque importunitate. — *Effecit.* Absolute; subaudi, quod voluerat.

124. *Despondit.* Unus Ms. apud Bœcl. *respondet.* — *Ei gnatam hujus.* Both. *gnatam ei.* Mira lectio, et tacite admissa. — *Hujus vicini proxumi.* Nempe Phidippi; et *hujus* δειχτικῶς dicit. Nota proximas sibi invicem familias in fabulis Terentii plerumque induci.

125. *Neutiquam.* Bentl. divisim *ne utiquam.* — *Usque*, junge cum *donec*, vers. seq. — *Neutiquam*, non nimis.

126. *Donec jam in ipsis nuptiis.* Nota locutionem sensu magis quam verbis manifestam; et supple, « donec jam in ipsis nuptiis positus, constitutus fuit. »

127. *Quin ducat*, scilic. uxorem, quam illi designavit.

Ibi demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo, ibi ejus commiseresceret.
Ubicumque datum erat spatium solitudinis,
Ut colloqui mecum una posset : « Parmeno,
Perii, quid ego egi? in quod me conjeci malum?
Non potero ferre hoc, Parmeno : perii miser! »
PH. At te Dî Deæque cum tuo istoc odio, Laches.
PAR. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit.
Quæ consecuta est nox eam, nihilo magis.
PH. Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit

128. *Ibi demum.* Tunc temporis tandem. — *Tulit*, supple, necessitatem nuptiarum.

129. *Ibi*, nunc. — *Ejus commiseresceret.* Vim hujus verbi ex disciplina meretricum animadvertas, si quidem anus illa admonuerat, dicens: « ne te cujusquam *misereat*, » v. 84.

130. *Spatium solitudinis.* Facultas habendi se solum.

132. *In quod malum?* Dicitur hoc de nuptiis.

133. *Non potero ferre hoc.* Valp. et al. *non potero hoc ferre.* — *Parmeno.* Ἐν ἤθει repetit nomen. — *Perii miser!* Conferatur huic nostro ille Pamphilus in simili re, Andr. vs. 899, sq.

134. *Dî Deæque.* Vulg. additur *perduint*, alii, *perdant.* — *Cum tuo istoc.* L. Bemb. *isto.* — *At te Dî Deæque.* Hunc versum ejicit Guyetus. Sed magna est ratio Donati, et quæ merito eum tueatur. Bene enim consilium Poetæ videtur conjecisse, quum adnotat: « Obtinuit et persuasit servus ; nam jam meretrix seni irascitur, non Pamphilo. » Id voluerat tam diligens amplificatio narrationis. *Bœcl.* — *Cum tuo istoc odio.* Cum tua instantia ac molestia.

135. *Ut ad pauca.* Bip. Both. *ad pauca ut.* — *Ut ad pauca redeam.* Tanquam multa sint, quæ de Pamphili amore dici possint, et a quibus vult abstinere.

136. *Nocte illa pr. virg. non attig.* Pronuntiandum acutius *illa prima*, quasi dicat, plena desiderii, plena cupiditatis. Similiter addidit *virginem* ; et expresse, *non attigit.* Et argumentum hic est quanta fecerit Pamphilus erga amicam suam. *Donat.*

137. *Eam*, sc. eam primam noctem. — *Nihilo magis.* Supple, ut plena sit oratio, *ea nocte eam* nihilo magis *attigit.*

138 sqq. *Cubuerit.* Quid *concubuerit.* — *Quid ais?* Cum maxima admiratione. — *Cum virgine*, etc. Comice narratio distinguitur et eleganter, sermone ad meretricis ingenium apto. Nempe, *cum virgine* est a persona; *una*, a loco; *adolescens*, a persona; *cubuerit*, ab habitu et occasione; *plus potus*, ab impulsione, et ex accidentibus; ut optime digerit et enucleat Donatus. — *Cubuerit, Potuerit.* Supple *quis credat factum fuisse ut*, etc.

Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit?
Non verisimile dicis, nec verum arbitror.
PAR. Credo ita videri tibi : nam nemo ad te venit
Nisi cupiens tuî; ille invitus illam duxerat.
PH. Quid deinde fit? PAR. Diebus sane pauculis
Post, Pamphilus me solum seducit foras,
Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet,
Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum,
Sperasse, eas tolerare posse nuptias.
« Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,
Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est. »
PH. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.

139. *Potus*. C. G. m. et Br. cod. ed. *potis*, perperam. — *Plus potus*. Plenior locutio est, *plus solito potus*.

140. *Nec ver*. Omnes Bent. *neque verum*.

141. *Credo ita videri tibi*. Ex meretricis persona totum refellitur quod illa objicit.

143. *Deinde*. Ms. quidam et editi *inde*.

144. *Me solum seducit foras*. Familiaris in servo jactantia.

145. *Ut virgo ab se integr*. etc. Ut, quod ad se pertinet, virgo etiam tum incorrupta maneat.

146. *Seque*. Codd. quid. præferunt *sedque*.

147. *Tolerare*. Ms. Lips. *tollere*.

148. *Decrerim*. C. G. m. *decreveverim*. — *Sed q. dec*. Sequitur constructio directa obliquam; quæ quidem Terentiani est elegantia sermonis.—Fuse admodum et doctissime totum hunc locum Bœclerus explicat et ad comicæ artis examen redigit, longius quam quod e re nostra est. — *Quam*, pronomen est. — *Decrerim*, constituerim. — *Me non posse diut. Hab*. Quasi diceret, quam constitui brevi a me dimittere.

149. *Eam lud*. Omittit *eam* unus ap. Bœcl. — *Eam lud. hab*. Ejus pudori illudere.

150. *Ab suis*. Alii, *a suis;* alii, *suis*. — *Quin*, quo minus. — *Ut accepi*, quomodo eam accepi.

152. *Ac pud*. Guelf. 1, 3, *et pud*. — *Pium*, *pudicum*. Donat. hic explicat : *pium*, erga meretricem; *pudicum*, erga virginem. Sed dissentit ab eo Bœclerus : « Ad virginem et ejus domum (ait ille), spectare utrumque vocabulum, orationis series, et poetæ consuetudo non longe arcessentis judicia de moribus, ostendunt. *Pietati*, honestatis et juris religio potenter inest. *Pium* ingenium idem hic est, quod in Andria Terent. dixerat *bonum*. Vid. ibi, vs. 488, sq. «Quando quidem ipse est *ingenio bono*, quumque huic veritus

PAR. « Hoc ego proferre, incommodum mî esse arbitror;
Reddi autem patri, cui tu nil dicas vitii,
Superbum est; sed illam spero, ubi cognoverit
Non posse se mecum esse, abituram denique. »
PH. Quid? interea ibatne ad Bacchidem? PAR. Quotidie.
Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,
Maligna multo et magis procax facta illico est.
PH. Non ædepol mirum. PAR. Atque ea res multo maxume
Disjunxit illum ab illa; postquam et ipse se,
Et illam, et hanc quæ domi erat, cognovit satis,
Ad exemplum ambarum mores earum existumans.

est optimæ adolescenti facere injuriam. » Non alia hic sententia. *Pudicum* autem, verecundiam illam notat, quam Pamphilus ipse sibi debuit, indignum se illud existimando, quod ab honestate tantum abiret. Qui enim abuti honesta femina, et postea dimittere eam in animum induceret, injuriam atrocem in illam, turpitudinem in se admitteret maximam. Injuriæ *pietas* obstat, turpitudini *pudor*. »

153. *Ego*. Br. *ergo*. — *Mî*. Alii, *mihi*. — *Proferre*. Patri meo renuntiare. Verba Pamphili sunt etiam nunc. — *Incommodum mî*. Scil. ob rumorem sinistrum et iram patris, qui auctor est harum nuptiarum.

154. *Cui tu*. Al. non agnoscunt *tu*. — *Patri*, proprio puellæ patri, Phidippo. — *Cui tu nil dicas vitii*. Quum nulla sit culpa filiæ quæ possit objici.—In usu autem secundæ hujus personæ *dicas*, inest aliquid difficultatis; quum posse referri videatur ad Parmenonem; *dicas* autem est pro *quis dicere possit*, et hic peculiariter, pro, *ego dicere possim*.

155. *Superbum*, fastuosum, contumeliosum.

156. *Mecum esse*. Mecum versari, uxoris loco.

157. *Quid? int. ibatne*. Sic distinguimus ex Bothio. — *Quid?* In prima interrogatione sic præponitur, nec a sententia cæterum pendet, ut bene animadvertit Bothius.

158. *Postquam*. Both. add. *illa*. — *Alienum ab sese*. Id est, ab alia per legitimas nuptias possideri, et sibi quasi ereptum.

159. *Multo*. Al. *multum*; al. *magis*; al. *mage*. — *Maligna*, difficultatem sui ostendens. — *Procax*, dispoliatrix et petax. *Procare* enim est petere. Virg. Æn. I, 538: « *procacibus* austris », i. e. impudentibus. Nam qui multum petit, impudens est et procax. Unde et *proci* dicti sunt, qui filias alienas in matrimonium petierunt. *Don*.

160. *Ædepol*. Al. *æpol*. — *Atque*. Don. *atqui*. — *Non ædepol mirum*. Ait Philotis non mirum esse, si quid in Pamphilum durius consuluisset Bacchis. — *Ea res*, talis malignitas.

161. *Ab illa*, Bacchide.

162. *Illam*, meretricem malam. — *Hanc*, uxorem modestam.

163. *Ad exempl.* Bent. *ad amus-*

Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta; incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, et tegere contumelias.
Hic, animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus hujus injuria,
Paulatim elapsu 'st Bacchidi, atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.

Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc' : ad hos ea rediit lege hereditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.

sim. — *Ad ex. amb.* etc. Donatus : «Quasi ad imaginem et collationem et speciem comparationis.» Bœclerus autem invehitur in eos qui videntur (ut ait), sibi intelligere et interpretari hunc versum, dum nihil agunt interim. Ipse ergo dicit *exemplum*, quotidianæ vitæ consuetudinem esse, *mores* ad ingenium notandum pertinere. Ergo explicat: «Exigendo et comparando hujus consuetudinem ad illius consuetudinem quo ingenio utraque esset, facile judicare potuit ac reprehendere.»

164. *Hæc, ita uti lib. ess. ing.* etc. Egregie induxit hanc figuram poeta, ut quantum præstaret matronæ virtus meretriciis moribus, intelligendum daret. Cæterum, posterius membrum comparationis consulto omittit; seu, ex Casaubono, ne meretricem absentem insectando ostenderet; seu ex Donato, ne laudata uxore, repeteret vitia meretricis apud meretricem. Quod utrumque reverentia plenum est.

165. *Pudens, modesta.* Hæc contra vitia meretricia posuit. *Pudens* hæc, illa *procax; modesta* hæc, illa *maligna.*

166. *Tegere.* Plus dixit quam *celare;* ut non solum cuiquam non ediceret, sed et ne quis sciret. *Don.*

167. *Hic,* eleganter pro *tum.* — *Misericordia.* Recte, quia ex misericordia amor nascitur. Sic et in Phormione, vs. 99, sq. «Miseritum est. Virgo ipsa facie egregia.» Virg. Æneid. IV, 13: «heu quibus ille Jactatus fatis!» *Don.*

168. *Devinctus.* Al. *devictus.* — *Injuria.* Faern. *injuriis.* — *Hujus inj.* Bacchidis contumelia.

169. *Huc.* C. G. m. *huic.* — *Elapsu' st.* Adeo est tardus amor Pamphili et magnus, ut etiam post injurias difficile discedat; et hic innuitur *animus,* non *Pamphilus.* — *Huc,* in suam uxorem.

170. *Par ing.* Suo congruens et conforme.

171. *In Imbro.* Maris Ægæi insula est, juxta Thraciam sita. Sophianus *Iambro* vocat.

172. *Horunc'.* Variat *horunce, horumce.* Lib. antiqui *horum.* — *Rediit.* Sic Bent. alii, *redibat.* Alii *rediebat.* — *Horunc'.* Dominorum meorum. — *Lege,* quando ab intestato illis obvenit.

173. *Amantem,* uxoris suæ amore captum. — *Extrudit,* ad eundum compulit.

Relinquit hic cum matre uxorem : nam senex
Rus abdidit se : huc raro in urbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
PAR. Nunc audies : primo hos dies complusculos
Bene conveniebat sane inter eas : interim
Miris modis odisse cœpit Sostratam;
Neque lites ullæ inter eas, postulatio
Nunquam. PH. Quid igitur? PAR. Si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu illico,
Videre nolle : denique, ubi non quit pati,
Simulat se ad matrem arcessi ad rem divinam : abiit.
Ubi illic dies est complures, arcessi jubet.
Dixere causam tum nescio quam : iterum jubet.

174. *Relinquit.* Codd. Bent. *reliquit.* — *Hic*, Pamphilus. — *Cum matre*, i. e. apud matrem. Præparatio ad futurum errorem.

175. *Se.* Bent. codd. *sese.* — *Huc raro in urb. commeat.* Mira est in dictis οἰκονομία. Fac enim præsentem; et nullus error in fabula est. *Donat.*

176. *Quid adh. inf. nupt.* Bene usque adhuc suspensa est narratio, et in hac interrogatione quasi substomachatur Philotis decepta, quod nihil videat infirmitatis in nuptiis, quod optaverit. *Don.*

177. *Primo.* Lib. Bemb. *primos.* — *Hos dies*, qui Pamphili discessum secuti sunt.

178. *Interim.* Repente, dum ita res se haberent.

179. *Miris mod. od.* Mire ad finem comœdiæ rerum explanatio reservatur; namque si rem diligentius introspicias, fallitur Parmeno, quum non odio socrus, sed pudore simultatem adversus socrum Philumena simulaverit. *Donat.*

180. *Postulatio*, expostulatio, querelæ, accusationes.

181. *Quid igitur?* Unde igitur de odio tibi constat? — *Ad eam*, Philumenam. — *Accesserat*, Sostrata.

182. *E consp.* Bene *e conspectu*: utpote quæ caveret gravida intelligi: sed tamen subjungit *videre nolle:* ut ignorantia Parmenonis appareat, qui argumentum odiorum credidit, quod Philumena neque videri vellet, neque videre. *Don.*

183. *Quit.* Al. *quivit.* — *Non quit*, non potest. — *Pati*, tolerare conspectum, aut consuetudinem. Intelligi illud debet de partu instante.

184. *Ad matr.* Al. *a matre.* — *Ad r. div.* Tum enim amici et familiares vocari solebant.

185. *Arcessi jubet*, socrus scilicet Sostrata.

186. *Tum.* Be. codd. *tunc.* Hic versus a Ms. Lips. abest. — *Dixere*, sc. Philumena et illius parentes. — *Causam*, prætextum. — *Nescio quam*, quasi diceret, falsam, aut nullius momenti.

Nemo remisit : postquam arcessit sæpius,
Ægram esse simulant mulierem : nostra illico
It visere ad eam : admisit nemo : hoc ubi senex
Rescivit, heri ea causa rure huc advenit,
Patrem continuo convenit Philumenæ.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio;
Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem : pergam quo cœpi hoc iter.
PH. Et quidem ego : nam constitui cum quodam hospite
Me esse illum conventuram. PAR. Dî vortant bene
Quod agas. PH. Vale. PAR. Et tu bene vale, Philotium.

187. *Arcessit.* Al. *arcessunt*, al. *arcessivit.* — *Nemo remisit*, scilicet in domo matris ad Sostratam; et, ut ait Donatus, hic jam apertius odium videtur, ubi nec jam fingitur causa.

189. *Visere*, officii est, videre quærentis. *Don.*

190. *Rescivit. Scimus* quæ ad nos deferuntur, *rescimus* celata. Aul. Gell. II, 19 : « Qui factum aliquod occultius aut inopinatum inspera-tumque cognoscit, is dicitur pro-prie *rescire.* »

192. *Egerint*, duo patres. — *Non-dum etiam.* Recte servavit reliquis partibus Fabulæ pendulum et at-tentum spectatorem. *Don.*

193. *Curæ.* Quid. codd. addunt *mihi.* In al. vidit West. *curæ scire mihi est.* — *Nisi sane*, explica sim-pliciter, quasi reponeretur *sed;* et est ellipsis quam supra sæpe sup-plevimus.

194. *Habes omn. rem.* Dixi omnia quæ pertinent ad hanc nuptiarum infirmitatem. Melius est, ni fallimur, sic explicare, quam supplere, « hab. omnem rem, quam audire expeti-sti, » ut vult Donatus. — *Quo cœpi*, scilicet ad portum. Cf. supr. vs. 77.

195. *Et quidem ego*, sc. pergam. — *Cum quodam hospite*, cum ama-tore advena.

196. *Me esse illum*, etc. Dicit cau-sam cur in reliqua fabula non ap-pareat persona hujus meretricis. *Donat.* — *Dî vortant bene.* Dii ve-lint bene evenire, feliciter cedere.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

LACHES. SOSTRATA.

LA. PRO Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est? quæ hæc est conjuratio?
Utin' omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.
Viris esse advorsas, æque studium est, similis pertinacia 'st.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam; et
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.

ACT. II, Sc. 1. In hac scena accusatio Socrus est: quæ se conjecturaliter defendit, dicens nihil a se factum in perniciem nurus. *Don.*

198. *Quod.* C. G. m. *quid. Quæ h. est.* In codd. aliquot *et quæ.* Both. *ecquæ.* — *Pro Deum atq. hom. fid.* Supple, invoco, testor. — *Quod hoc genus est*, scilic. mulierum. — *Conjuratio*, confederatio mulierum inter se.

199. *Utin'.* In ant. *ut.* — *Nolintque.* C. G. m. *velintque*, mire. Idem in marg. Al. *nolint.*—*Utin'.* Potestne fieri, ut. Ἐμπαθῶς ab exclamatione incipit senex difficilis et iratus. — *Omn. mulieres*, etc. Bono argumento utitur. Læsisti nurum, quia socrus es: et nulla socrus diligit nurum. *Don.* — *Studeant*, cupiant, velint.

200. *Neque decl. q. ab al.* etc. Sic Menander, Γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει. — *Declinatam*, flexam, diversam. — *Quidquam*, i. e. in aliqua re.

201. Hunc versum Bentl. ponit in adulterinis.—*Socrus oder. nurus*, a socrubus detestantur.

203. *In eodem ludo*, in eadem schola.

204. *Hanc*, Sostratam, uxorem meam.

So. Me miseram! quæ nunc, quamobrem accuser, nescio.
La. Hem!
Tu nescis? So. Ita me Dî ament, mi Laches!
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. La. Dî mala prohibeant!
So. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodo rescisces. La. Scio.
Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest,
Quæ me et te et familiam dedecoras, filio luctum paras?
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis adfines, facis.
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.
Tu sola exorere, quæ perturbes hæc, tua impudentia.

206 sq. *Ita me*, etc. Vulg. *ita non me*. Quod West. in suis Mss. non vidit. — *Ita me Dî am. Lach. Itaq. una*, etc. Velim tam indubitanter me amatam a Diis, et tam indubitanter nos ætatem placidam inter nos acturos, quam verum est me nescire secundum quæ accuser.

207. *Dî mala proh.* Ut una inter nos agamus ætatem. Animadvertendum est secum hæc Lachetem in iracundia mussitare; non audiri ab uxore velle. Inter orationem enim Sostratæ murmuratur; quæ connectenda est: « Non, ita me Dii ament, mi Laches: itaque una inter nos agere ætatem liceat: meque abs te immerito esse accusatam postmodo rescisces. » *Bœcl.*

208. *Postmodo.* Al. *postmodum.* — *Scio.* Ironice.

209. *Te immerito?* Supple, *audesne contendere accusari te imm.* — *An quidquam pro istis*, etc. Nota ἐνέργειαν poetæ, et δεινότητα in augendo amplificandoque. Crimen erat: «offendisti nurum, atque ut abiret effecisti.» Hæc sunt facta ista, quæ nulla reprehensione satis exaggerari possunt: quæ *dedecus* et *luctum* in omnem familiam inferunt; quæ *inimicitias* in affines spargunt; quæ sacra necessitudinis exoptatæ violant ac perturbant. Considera singula verba, et exquire, si quid potuit comprehendi plenius, aut gravius incusari. *Bœcl.*

210. *Familiam.* Lib. Bemb. add. *omnem.* — *Dedecoras.* Donat. monet *dedecorari* quod honestum est in animo, *turpari* quod honestum est corporale. (*Emend. Zeun.*)

212. *Dignum.* Sic dixit *dignum*, ut honoris genus sit, accipere uxorem meruisse. Multum sonanter, et accusatorio strepitu, nec masculinum genus nec femininum posuit, nec unam, sed liberos. Sic Cicero, Famil. IV, 5: « En cui *tuos liberos* committas, » quum de uno ageret; et « habemus enim *liberos*, » de puella. *Don.*

213. *Exorere.* Var. apud West. *exhorrere*, *exorrere*, *exhorrore.* — *Impudentia.* Bent. *imprudentia.* — *Tu sola exorere*, pro emergeris, repere-

So. Egone? La. Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.
An, quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini,
Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat?
Multo melius hic quæ fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio.
Ideo, quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam;
Minimeque adeo mirum, et, ni id fecisset, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum.
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.

ris, exsistis. Verbum hoc impudentiam ibi notat. Cicer. pro Dejot. I: « *Exortus* est servus, qui eum accuset, etc. » Declinatur, *orior*, *oreris*, et *oriris*, media semper producta. *Perl.* — De hoc verbo adnotat *Lemonnier*, « On avoue que ce mot se prend souvent en mauvaise part, et que les exemples en sont fréquents dans Cicéron. Mais on n'accorde pas à Donat que ce mot n'ait jamais une acception favorable. *Exoriare aliquis*, etc. n'est pas employé en mauvaise part dans Virgile, Én. IV, 625; encore moins dans ce passage de Cicéron, « et virtutes omnes, et honestum quod ex his virtutibus *exoritur*. » On n'aurait pas cherché à réfuter ainsi Donat, si madame Dacier n'avait adopté son sentiment sans réserve. Elle pouvait induire en erreur. »

214. *Lapidem*, significat stupidum hominem et bardum.

215. *Nescire*. C. G. m. addit *me*. — *Ruri esse crebro soleo*. Convenit cum superiori, *rus abdidit se*, vs. 175. — *Nescire*, supple *me*.

216. *Hic*, in urbe, domi. — *Quisque vestrorum*, pro *quisq. vestrum*. Sic veteres. *Don.*

217. *Multo melius*, etc. Pari fere ὑπερβολῇ utitur Demea, in Adelph. 397: « Annon prius totis sex, etc. »

218. *Ideo, quia*, etc. *Ideo*, idcirco diligenter et caute vitam vestram in urbe commorantium rogo atque pertracto, *quia, proinde ut vos domi eritis*, ita me opinio et fama populi sermone celebrabit. *Eugr.* — *Mihi*. Notanda est illa vox; quia commoditas familiæ ad dominum redundatura est. — *Ego ero fama*, tali fama et æstimatione fruar. — *Foris*, h. e. rure, ubi ipse habitat.

219. *Equidem*. Particulæ huic respondet τὸ *sed*, in vs. 221.

220. *Min. ad. mir.* Satis amare dicit in uxorem: simul excusat nurum, quæ oderit talem socrum. *Donat.*

221. *Sed non cr. adeo*. Supp. adeo magnum tui odium illam invasisse, ut, etc. — *Domum*, familiam.

222. *Quod si scissem*, etc. Senili jurgio, quo magis iniquam nurui

At vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mi abs te, Sostrata.
Rus habitatum abii, concedens vobis, et rei serviens,
Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, præter æquum atque ætatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid ægre esset mihi?
So. Non mea opera, neque pol culpa evenit. La. Immo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis hæret culpa sola, Sostrata.
Quæ hic erant, curares; quum ego vos solvi curis cæteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum. So. Haud equidem dico, mi Laches.

socrum credit, tanto vehementius pro Philumena nititur; ut etiam officiorum ordinem pervertat. In quo suggeritur Sostratæ occasio ejus consilii, inf. vs. 557, sqq. simul, quod nimis a Lachete duriter hic dictum est, corrigitur a Poeta, tum statim, quando effuso iracundiæ impetu, ratiocinari incipit senex et honestius cum uxore loqui, tum accurata disputatione Pamphili, qua Sostrata vero officiorum ordine Philumenæ præfertur, vs. sup. citt. *Bœcler.*

224. *Concedens*, pro cedens, sc. locum. Melius est quam intelligere, «annuens, sinens, ut vos in urbe essetis», quod tamen sic explicat Donatus. — *Rei serviens.* Rei faciendæ et augendæ operam dans.

225. *Nostra res.* Facultates nostræ, quæ sunt mediocres.

226. *Præter æquum.* Quia fruimini, quum ego doluerim. — *Atque ætatem.* Quia sum senex et debilis.

227. *Pro his rebus.* Pro his meritis. Sensus est: nonne te oportuit, dum ego tantos labores sustinerem, curare saltem, *ne quid ægre*, etc. h. e. *ne quid* mihi doleret.

228. *Evenit.* Ed. Am. 1469, apud West. *venit.*—*Non mea opera*, etc. Explicat Donat. ut solet acute (et hic forsan nimis acute): «vellet dicere: Nurus culpa evenit; sed melius dixit, *non mea*, ne accusando confirmaret, quod dixit senex, *omnes socrus*, etc. vs. 201.» *Opera* differt a *culpa*, Donat. docente, hoc modo, ut illa scientis sit, hoc nescientis. — *Immo maxime.* Corrigentis, vel potius refutantis fortiter.

229. *Sol. hic f.* Supple, quæ familiam regeres.

230. *Curares.* Al. repetunt *sola.* — *Solvi curis.* Al. *solvi a curis.* — *Curares*, supple, oportebat. — *Curis cæteris*, quæ ad victum, vestitum aliave attinent.

231. *Cum puell.* etc. Blande *puellam* dixit: quasi concesserit Hecyram solam iniquam esse; cum amaritudine autem *anum.*

232. *Illius dices culp. fact.* Prævenit defensionem, et eam sic pro-

LA. Gaudeo, ita me Dî ament, gnati causa : nam de te quidem,
Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.
So. Quî scis, an ea causa, mi vir, me odisse assimulaverit
Ut cum matre plus una esset ? LA. Quid ais ? non signi hic sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere ?
So. Enim lassam oppido tum esse aibant; eo ad eam non admissa sum.
LA. Tuos esse ego illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem arbitror :
Et merito adeo; nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit

nuntiavit ut crimen. *Don.* — *Mi Laches.* Non blandientis hæc esse vult Donat. sed quasi gravissimum accusatorem arguentis. Non item omnino Nos.

233. *Gaudeo*, quod filius eam habeat uxorem, quam nec inimica socrus accusare possit. — *Me Dî am.* Quasi diceret, ut verum dicam.

234. *De te peccando detrim.* etc. Intellige, quantumcumque peccaveris, nihil de tua existimatione (quæ scilicet nulla est) minuitur. Quod ad explanandum prosunt illa Ciceronis, ad Herenn. 4 : « ubi enim iste vidisset scurram exhausto rubore, qui se putaret nihil habere quod de existimatione perderet, *ut omnia sine famæ detrimento facere posset* ». — Hic rationem longius petit Dacieria : « Cette expression *de te detrimenti nihil fieri potest*, est prise des laines qu'on lave ; quand elles ont été lavées jusqu'à un certain point, on a beau les relaver, il n'y a plus aucun déchet ».

235. *Odisse.* Ms. Reg. ap. Lindenbr. *se.*

236. *Plus una.* Lib. ant. *una plus.* — *Non signi hic sat est.* Abest *hic* a lib. antiq. — *Plus esset.* Diutius, amplius conversaretur. — *Non signi hic sat est.* Suppie, odium illius non esse simulatum.

237. *Intro admittere.* Al. *intromittere.* — *Heri nemo voluit.* Cf. vs. 189. — *Visentem.* Refer ad *te.*

238. *Enim.* Sic est in Guelf. 1, et aliis. — *Aibant.* Al. *aiebant.* — *Lassam.* Ægritudine defatigatam. — *Oppido.* Valde. Translatio, ut mirifice explicat Donatus, a rusticis qui interrogati quemadmodum fruges provenissent, respondebant *oppido*, i. e. quæ sibi et oppido sufficere potuissent. — *Eo ad eam non adm.* ideo, propterea.

239. *Ego*, abest a nonnullis. — *Mores*, tua erga ipsam agendi ratio. — *Morbum*, causam morbi.

240. *Et merito adeo.* Supp. *arbitror esse ita.* — *Vostrarum* pro *vestrum.*

Ducere uxorem; et quæ vobis placita est conditio, datur:
Ubi duxere impulsu vestro, vestro impulsu easdem exigunt.

SCENA SECUNDA.

PHIDIPPUS. LACHES. SOSTRATA.

PH. Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam,
Quæ ego imperem facere; ego tamen patrio animo victus faciam,
Ut tibi concedam; neque tuæ libidini advorsabor.
LA. Atque eccum Phidippum optume video: ex hoc jam scibo, quid sit.
Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem,

241. *Placita est conditio*, matrimonium, uxor.

242. *Duxere*, supple, filii. Enallage est personarum, ob iratum senis animum ferenda. Supra autem dixit *gnatum*. — *Impulsu*, hortatione. — *Easdem*, quas elegeritis. Hic pariter est enallage. — *Exigunt*. Expellunt domo.

Sc. II. In hac scena moralis allocutio Phidippi est ad filiam, mitissimi patris colorem ostendens: et pater, etsi ægre fert, filiam procul a marito domi suæ commorari, in suspicionem tamen et accusationem incidit, quod natam abduxerit viro absente, ac secum ægram esse patiatur. Patres disceptant. Sequitur Phidippi excusatio ac defensio. *Donat.* et *Perlet.*

243. *Etsi sc. ego, Phil.* Phidippus domo sua egrediens responsionem dat filiæ intus manenti mitiore animo patris. — *Meum jus esse*, etc. Hoc idem in Adelph. 51, 52: « Non necesse habeo omnia pro meo jure agere. » — *Ut te cogam*, scilic. redire ad socrum.

244. *Patr. an. victus.* Bene *victus*, quia non ratione facio.

245. *Faciam, Ut concedam*, pro simplici, *concedam*. — *Libidini*, voluntati. — *Libido* est quælibet voluntas temere suscepta. Et bene *libidini*: est enim non æquum domo mariti abesse nuptam. Etsi enim pro *voluntate* posuit *libidinem*, tamen subaccusavit hoc nomine. *Don.*

246. *Ex hoc.* Lib. Bemb. *hinc*. — *Quid sit.* Al. *quid siet*. — *Optime*, opportune. — *Scibo*, antique pro *sciam*. — *Quid sit*, supple quid sit rei, cur ejus filia a nobis discesserit.

247. *Etsi.* Bent. corrigit *et*, omisso *si*. — *Apprime.* Pierius vult legi

Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos.
Quod tu si idem faceres, magis in rem et nostram et
vostram id esset.
Nunc video in illarum esse te potestate. PH. Heia vero!
LA. Adii te heri de filia : ut veni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si perpetuam vis esse adfinitatem hanc,
Celare te iras : si quid est peccatum a nobis, profer :
Aut ea refellendo, aut purgando vobis corrigemus,
Te judice ipso : sin ea 'st retinendi causa apud vos,
Quia ægra est; te mî injuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.
At ita me Dî ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,

ad prima. — *Meis omn.* Scilic. meæ conjugi et meis liberis. — *Apprime*, vehementissime. — *Obsequentem*, facilem.

248. *Sed non ad. ut*, non tamen adeo sum obsequens. — *Corrumpat*, praviores reddat.

249. *Vostram*, tuî, et tuæ familiæ.

250. *Nunc*. Lib. antiq. *nam*. — *Nunc vid. in ill.* etc. Emphasis est acerba in vocibus *illarum* et *te*. Exprobrat enim Laches Phidippo contrariam vivendi rationem; quia absurdum est, patrem familias in potestate uxoris et filiæ esse, quæ contra debebant esse in potestate illius. *Perl.* — *Heia vero!* Formula corripientis, et fere per ironiam; quasi diceret : « perge expostulare. » — Arbitratur Dacieria verba hæc dici a sene ad Philumenam, quasi diceret : « *Heia vero!* nonne optime prædixeram fore ut socer de discessu tuo conquestum veniret. » Parum simpliciter hæc nobis videntur explicata; nec potuit præterea Philumena procul et a proscenio loquentem Phidippum audire.

251. *Amisti*. Var. apud West. *amisisti, dimisisti.* — *Ad. te heri*, etc. Cf. supra 190, sqq. — *Ut veni*, supp. *ad te*, *incertus*. — *Itidem*, æque. « Incertus, inquit, veni, incertus a te recessi. » De qua re sit incertus Laches, vid. vers. 246, in not. — *Amisti*, dimisisti.

252. *Perpetuam*. Bent. ex Plauto, *perpetem*. — *Perpet. esse*, persistere.

253, 254. *Si quid*. C. G. m. *si quod*. — *Iras*, causas iracundiæ. — *Profer*, edissere. — *Aut ea refell. aut purg. Refellit* qui negat : *purgat* qui fatetur, et sic defendit. — *Vobis*, in honorem familiæ tuæ; et plus dixit *vobis* quam *tibi*.

255. *Retinendi causa*. Vulg. *causa retinendi*.

257. *Ut curetur*, ne non curetur. — *Satis*, junge cum *diligenter*. — *Meæ domi*, locutio, ait Perletus, Ciceroni familiaris. — *Curetur*, verb. medicorum.

258. *Ita me Dî ament*. Addidit jusjurandum : vix enim credibile est tantumdem amare socerum quam patrem. *Donat.* — *Haud tibi hoc concedo*. Hac in re non feram posteriores. *West.*

Ut tu illam salvam magis velis, quam ego; id adeo gnati causa;
Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum, magnificare.
Neque adeo clam me est, quam esse eum laturum graviter credam,
Hoc si rescierit: eo domum studeo hæc prius, quam ille, ut redeat.
PH. Laches, et diligentiam vestram et benignitatem
Novi, et quæ dicis, omnia esse ut dicis, animum induco.
Et te hoc mihi cupio credere; illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. LA. Quæ res te facere id prohibet?
Eho, num quidnam accusat virum? PH. Minume: nam postquam attendi

259. *Id adeo gnati causa.* Honeste amori nurus rationem subjecit piam. Nam non continuo rectum est, nimis amari a socero nurum, nisi propter filium diligatur.

260. *Magnificare.* Bent. solus *magni facere.*—*Magnificare.* Magni facere, magni æstimare, valde diligere.

261. *Clam me,* Bent. *clam te.* — *Adeo*, ideo, ergo. — *Quam* junge cum *credam.* — *Esse eum laturum graviter.* Ingeniosissime poeta jam præparat causam simulaturo ob hanc rem iracundiam Pamphilo. *Donat.*

262. *Rescierit.* Al. *resciverit.*— *Ut redeat.* Lib. antiq. *huc redeat.* — *Hoc si rescierit*, i. e. uxorem suam a nobis recessisse. — *Eo domum*, etc. construe: Eo (ideo, propterea) studeo (cupio) ut hæc redeat domum, priusquam ille.

263. *Laches.* Cum affectu quodam et gemitu dixit *Laches*, quod ille ait *Phidippe.* Don. — *Dil. vestr.* Quod ille ait: « Si metuis satis ut meæ domi, etc. » — Et *vestram*, melius quam *tuam*, quum ille dixerit de se tantum: *et benignitatem*, quod ait, sup. vs. 258, sq. « haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es, Ut tu illam, etc. » *Don.*

264. *Animum induco*, mihi persuadeo.

265. *Hoc*, quod jam dicturus sum, scilicet: « studeo illam ad vos redire. »

266. *Si fac. poss. ullo modo.* Mollius dixit quam si: *nec facere possum* dixisset. Hoc enim vult intelligi: volo, at non possum facere. *Don.*

267. *Eho*, interjectio ponentis aurem propiorem. Nam illa quærit, quæ solent de maritis puellæ matribus queri. *Donat.* — *Virum*, maritum suum. — *Attendi*, institi, subaud. aut, animum, aut, oculos.

Magis, et vi cœpi cogere ut rediret, sancte adjurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse alii vitii est; ego sum animo leni natus.
Non possum advorsari meis. LA. Hem, Sostrata. SO. Heu me miseram!
LAC. Certumne est istuc? PH. Nunc quidem, ut videtur; sed num quid vis?
Nam est, quod me transire ad forum jam oportet. LA. Eo tecum una.

SCENA TERTIA.

SOSTRATA.

Ædepol næ nos sumus inique æque omnes invisæ viris,
Propter paucas, quæ omnes faciunt dignæ ut videamur malo.

268. *Sancte*, per quidquid sanctissimum est.

269. *Non posse apud vos*, etc. Hæc sunt verba ad quæ Phidippum vidimus respondentem, in scenæ initio, quum diceret: « Etsi scio, ego, Philumena, meum jus esse. » — *Perdurare*, permanere.

270. *Al. fort. alii.* In antiq. *al. fort. aliis.* — *Aliud fortasse*, etc. Aliis hominibus aliud vitium a natura insitum est. *Alii*, supple *homini*; et dativus est casus. — *Leni*, in vituperio magis est hic quam in laude.

271. *Non poss. adv. meis.* Hoc verum dicit. Cf. vs. 245. — *Hem! Sostrata.* Increpantis est, quasi diceret, « vide quid feceris. »

272. *Certumne est istuc*, quod tu dicis, scilicet, non redituram esse Philumenam ante adventum Pamphili? — *Nunc quidem*, supple certum est. — *Ut videtur*, quantum possum prospicere. — *Num quid vis?* Discedentis verbum.

273. *Oportet.* In Bemb. *oporteat.* — *Quod*, propter quod.

Sc. III. In hac scena est allocutio, qua inducitur secum loquens anus: per quam orationem mores ejus et animus mitis intelligi possint. *Donat.*

274. *Nos sumus.* Lib. ant. addunt *mulieres.* — *Inique.* C. G. m. non habet hanc vocem. — *Næ*, certe. — *Inique æque*, sc. nullo discrimine, sive bona adsit, sive mala causa.

275. *Quæ omn.* etc. Ordo est, *quæ fac. ut omnes*, etc. Adnotat Dacieria Apollodorum, Hecyræ græcæ auctorem, locum hunc desumpsisse ex Homero, apud quem Agamemnon dicit mulieres omnes, vel etiam sapientia morum specta-

Nam ita me Dî ament! quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu : ita animum induxerunt, socrus
Omnes esse iniquas : haud pol me quidem : nam nunquam secus

tissimas, dedecore affici, si una solummodo turpe quiddam admiserit. —*Malo*, calamitatibus et infortuniis.

276. *Noxiam.* Mss. Pall. duo *noxam.* — *Nam ita me Dî ament!* Jurat iterum, et bene, si audias Donatum. Adnotat autem hic singulariter, vereor ut juste, *Lemonnier:* « Sostrata jure quatre fois dans ce monologue qui n'est pas long. Donat remarque qu'elle avait besoin de jurer pour persuader qu'elle est belle-mère tendre. Donat n'a pas fait attention que Sostrata n'a pour lors qui que ce soit à persuader, puisqu'elle est seule. Elle jure par habitude. Et d'ailleurs, il est facile de s'apercevoir que Térence fait jurer toutes les femmes qu'il met sur la scène. Il y a quelque apparence que les Romaines de son temps employaient leurs *pol*, *ædepol*, aussi fréquemment que nos femmes du commun font entrer le mot *parbléu*, et autres, dans leurs discours. » — *Quod me acc.* Pro, in eo secundum quod me accusat, etc. — *Extra noxiam*, culpæ expers.

277. *Expurgatu.* Mss. Pall. 5, *excusatu.* — *Non facile est.* Sume pro nominativo, *illud de quo me accusant.* Non possumus quin referamus iterum hic verba gallici interpretis *Lemonnier;* et absit exprobratio, si vernaculam scribentis linguam malimus retinere, quam adnotationes illius Terentiana, non dicam luciditate, sed saltem lingua exprimere : « Toutes les apparences sont contre Sostrata. Il n'est aucun, je ne dis pas des personnages de la pièce, mais encore des spectateurs, qui ne soit en droit de croire que sa mauvaise humeur a forcé Philumène à se retirer. Lorsqu'elles demeuraient ensemble, la jeune femme fuyait ses visites et sa compagnie. Depuis qu'elle est sortie de la maison de son époux, Sostrata n'a pas été admise à la voir. Philumène jure qu'elle ne peut rentrer chez sa belle-mère qu'après le retour de Pamphile. Térence a si bien conduit son intrigue, que le spectateur ne peut encore apercevoir le nœud. Il lui est aussi caché qu'à tous les personnages. Peut-être cette adresse de Térence a-t-elle causé la chute de sa pièce aux deux premières représentations. Le spectateur aime à jouir de l'embarras des personnages; il n'aime pas qu'on le tienne trop long-temps en suspens. L'auteur fait quelquefois très-sagement de le mettre dans la confidence, au moins en partie. » — *Ita*, dictum per epiphonema.

278. *Iniquas*, et hic est, *nuribus.* — *Haud pol me quidem.* Subaud. *scio esse*, aut, *novi esse*, aut tale quid, secundum ἔλλειψιν, quæ familiaris est his, qui secum loquuntur. *Don.*

Habui illam, ac si ex me esset nata; nec, quî hoc mî eveniat, scio,
Nisi pol filium multimodis jam expeto, ut redeat domum.

279. *Eveniat.* Codd. quid. We. *eveniet.* Itidem C. G. m. — *Quî*, positum pro *unde.*

280. *Multimodis.* C. G. m. et al. plur. *multis modis.* — *Expeto.* Vulg. *exspecto.* Nos Bentl. sequimur. — *Nisi*, sed, ut vidimus sæpe.— *Multimodis jam expeto*, id est, propter plurimas rationes. Ista scilicet expetebat filium, et quia mater, et quia coram eo crimen objectum diluere cupiebat.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

PAMPHILUS. PARMENO. MYRRHINA.

PAM. NEMINI plura ego acerba esse credo ex amore homini unquam oblata,
Quam mihi: heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere?
Haccine causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat præstabilius ubivis gentium agere ætatem,
Quam huc redire, atque hæc ita esse, miserum me resciscere! 285

ACT. III. Sc. 1. Hic allocutio est per conquestionem. Et bene non se amatoribus modo, sed infelicibus amatoribus comparavit: et principium est a summa totius mali. *Donat.*

281. *Nemini.* Bentl. δισυλλαβῶς pronuntiari jubet, quasi sit *nemni.* — *Ex amore.* Scil. tum meretricis, in præterito, tum uxoris, in præsente. — *Homini*, cuilibet.

282. *Hanccine.* Alii *hancine*, non geminato *c.* — *Hanccine vitam.* Dicit *hanccine* quasi de re vili et contemnenda. — *Parsi perdere*, abstinui perdere. — *Parco* (conservo), *parsi* fecit: *parco* (veniam do), *peperci.*

283. Post *domum*, in fine versus, addit Bentl. *ah!* — *Haccine causa.* An propter hanc causam, sc. ut hæc experirer adversa. — *Redeundi*, sc. ab Imbro. Cf. supr. vs. 173.

284. *Cui quanto*, etc. Bent. tollit *cui.* — *Cui*, sc. mihi.

285. *Atque hæc.* Repete, *atque quam me miserum resc. hæc ita esse.* — Similiter inducitur Theseus, heros tragicus, quem servatæ vitæ pœnitet ubi advenienti nihil nisi mœstum occurrit. RACINE, *Phèdre*, act. III, sc. v:

Que vois-je? quelle horreur dans ces lieux répandue
Fait fuir devant mes yeux ma famille éperdue?
Si je reviens si craint et si peu desiré,
O ciel, de ma prison pourquoi m'as-tu tiré?
.....
.....
Je n'ai pour tout accueil que des frémissements
Tout fuit: tout se refuse à mes embrassements.

Nam omnibus nobis, quibus est alicunde aliquis objectus labos,
Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum 'st, lucro 'st.
PAR. At sic citius, quî te expedias his ærumnis, reperias.
Si non rediisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores;
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras.
Rem cognosees, iram expedies, rursum in gratiam restitues.

Et moi-même, éprouvant la terreur que j'inspire,
Je voudrais être encor dans les prisons d'Épire.

Non minus grandi fere stylo utitur amans juvenis, in comœdia. Et ideo dicit Donatus nimis *cothurnatos* et *tragicos* in hac scena dolores futuros esse, nisi adderetur *ex amore*. Quam quidem nolumus amplecti sententiam. In eo scilicet rerum articulo versatur Pamphilus, ut possit *vocem in comœdia tollere*, nulla etiam excusatione adhibita. Ex itinere quo pater ipsum extrusit, tandem redit, nec nisi post periculosam navigationem. Audit uxorem amatam discessisse ab hecyra, nec velle apud eam diutius durare. Satis hæc sunt, ut *vocem* hic *comœdia tollat*; et oportet non *dicentis fortunis* esse *absona dicta*, Horatiano præcepto.

286. *Nam omnibus nobis.* Sic Nos, Bentleium ex Perleto secuti. Vulgo, *nos omnes.* — *Nam omn. nob.* etc. Construe: nam omne tempus quod est interea priusquam id rescitum sit, est lucro omnibus nobis, quibus aliquis labor est objectus alicunde. — *Labos*, infortunium. — *Interea*, *priusquam*, pro simplici, *antequam*. — *Id*, scilicet, laborem objici. — *Lucro 'st.* Minuit infelicitatem ipsam. Gallice verteremus: *c'est autant de gagné.* — Totum hoc esse Apollodori adnotat Donatus; sed edax vetustas textum græcum fere abolevit: ΟΙΓΑΡ ΑCΙCΟΥΝΙΕCΤΟΝ ΧΡω CΝΟΥ ΔιεΝΚΙΤΙΚΗΚΟΤΗC. Locus vere deploratus! Restituendum proponit Zeu Οἱ πόνοι γὰρ μέλλοντες τὸ τοῦ χρόνου τοῦ νῦν κέρδος κομίζουσιν. Bothius, multo melius, et cum sagacitate non satis laudanda: Οἱ γὰρ ἀτυχοῦντες τὸν χρόνον δοκοῦσί τι Κέρδος κακότητος. «Nam qui laborant, miseriæ in lucro solent Tempus putare.» Usque ad δοκοῦσι, vera lectio redditur, ut arbitramur. Sed desiderari aliquid in reliquo versu putamus, frustraque tamen detegere quid desideretur, conati fuimus. Ignoscat fatentibus post irritum tentamen, lector.

288. *At.* Vim habet hic τοῦ *e contrario.* — *Sic*, hoc modo, sc. quia rediisti. — *Quî*, qua ratione. — *Reperias*, reperire poteris.

289. *Hæ iræ*, inter matrem et uxorem tuam.

290. *Reverituras.* In respectu habituras.

291. *In gratiam restitues*, suppl. *eas ambas.* Τρίκωλος sententia, sit Donatus; et bono ordine usus est.

Levia sunt hæc, quæ tu pergravia esse in animum induxti tuum.

PAM. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium 'st æque miser?

Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum;

Jam in hac re ut taceam, cuivis facile est scitu, quam fuerim miser.

Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mî obtrudit pater.

Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum,

Vixque huc contuleram, hem! nova res orta 'st, porro ab hac quæ me abstrahat.

Tum matrem ex ea re, aut uxorem in culpa inventurum, arbitror.

Quod quum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?

Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.

Prius enim fit querela, deinde ponitur iracundia, postremo reditur in consilium.

293. *An quisq. usquam.* Abest *usquam* a C. G. m. et Hal. — *Quid*, cur. — *Consolare me.* Ut solet in vero angore, ipsa consolatione ægrescit dolor. — *Æque*, ac ego.

294. *Hanc*, Philumenam. — *Alibi*, in alio amore.

295. *Facile est scitu.* In lib. antiq. *facile scitu*, omisso *est*. — *In hac re*, in eo scilicet, quod *alibi habebat anim.* seu in meretricio amore. — *Ut taceam*, quamvis ipse non dicam. — *Q. f. miser.* I. e. quam male meus erga Bacchidem amor verterit, quum aliam coactus fuerim ducere.

296. *Obtrudit.* Recte, quia invito.

297. *Vix.* Vel μόλις, ut proponit Donatus, vel *statim* significat. Posterius præstat. — *Illinc*, a Bacchide. — *Atque impeditum*, etc. Amatoris curæ vincula dicuntur. Virg. Æneid. IV, 479: « Quæ mihi reddat eum, vel eo me *solvat* amantem. »

298. *Vixque huc contuleram.* Sc. animum, i. e. amorem. — *Porro*, deinde. — *Ab hac*, a Philumena.

299. *Matrem*, sc. meam. — *Ex ea re*, ex ea dissensione.

300. *Quod.* Pro *quod* Exemp. Ven. Rivio teste, *quæ*. — *Porro*, postea.

301. *Matris ferre inj. me piet. jub.* Pia sententia, quæ pluribus a Platone tractatur in lib. IV de Legibus; Meric. Casaubonus fuse plura ipsius philosophi verba refert.

Tum uxori obnoxius sum : ita olim suo me ingenio pertulit,
Tot meas injurias, quæ nunquam nullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.
PAR. Haud quidem hercle parvum; si vis vero veram rationem exsequi,
Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injurias
Faciunt: nam sæpe, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Quum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.
Pueri inter sese quas pro levibus noxiis iras gerunt!
Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus infirmum gerunt.

302. *Obnoxius*, addictus, obligatus. — *Olim*, dum in alieno amore detinerer. — *Suo ingenio*, sua mansueta natura.

303. *Nullo patef. loco.* Lib. antiq. *in ullo*, pro *nullo*. — *Tot meas injurias.* Cf. sup. 136, sqq. — *Quæ*, intellige : « ea quæ nunquam patefecit meas injur. » Nec, cum Donato, perperam credas *quæ* regimen esse τοῦ *patefecit*, et ad *omnia* sub. referri.

306. *Haud.* Paris. ed. *At*, pro *Haud.* Bent. *Aut.* Al. script. *Haut.* Locum omnem mutat Bothius. — *Parvum.* Donat. *parum.* Al. addunt *est.* Quidam, pessime, *magnum.* — *Haud quidem hercle parvum.* « Equidem fateor necesse esse ut nescio quid magnum evenerit. » Hanc interpretationem loci tam diu et varie vexati pro omnibus aliis offerimus, quas ideo reticebimus. — *Vero*, autem. — *Rationem*, causam. — *Exsequi*, inquirere, pervestigare.

307. Bentleii et Bothii mire mutata præterimus. — *Non maxumas, quæ*, etc. Injuriæ faciunt iras, non iræ injurias; sed est hic hypallage. Restitue : « nam injuriæ quæ sunt maximæ non faciunt maximas iras. » Quum autem maximæ sint inter ambas iræ, facile admitti potest non maximas esse injurias. Junge hæc versui præcedenti.

308. *Faciunt*, gignunt, vel ex quibusdam, probant, ostendunt. — *Sæpe, quum*, sæpe accidit, ut. — *Iracundus*, homo natura ad iram propensus. Quatuor hos versus, ne quid desiderari possit, soluto sic sermone offerimus : « Ut dicis, here, haud parvum quiddam evenisse potest inter eas. Si tamen rectam rationem volueris consulere, animadvertes non eas esse maximas iras, quæ nascantur e maximis injuriis. Nam sæpe res quæ alium non offendunt, maximum furorem injiciunt homini iracundo. » Supplendum insuper, ut sententia absolvatur : « Ergo istud quod dicis : (necesse est quid magnum evenisse,) potest non esse verum ».

310. *Quas.* Sic nos ex Bentl. post Perlet. pro *quam* vulg. — *Levibus.* Perl. *livibus*, errore, ut liquet, typographico. — *Noxiis.* Al. *noxis.*

311. *Animus*, pro *animum*, per attractionem. — *Eos*, pueros.

Itidem illæ mulieres sunt, ferme ut pueri, levi sententia.
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.
PAM. Abi, Parmeno, intro, ac me venisse nuntia. PAR. Hem, quid hoc est? PAM. Tace.
Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum. PAR. Agedum, ad fores
Accede propius: hem! sensistin'? PAM. Noli fabularier.
Pro Jupiter! clamorem audio. PAR. Tute loqueris, me vetas.
MYR. Tace, obsecro, mea gnata. PAM. Matris vox visa 'st Philumenæ.
Nullus sum. PAR. Quî dum? PAM. Perii! PAR. Quamobrem? PAM. Nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celas. PAR. Uxorem Philumenam
Pavitare nescio quid dixerunt: id si forte est nescio.

312. *Levi sententia*, mutabili consilio.

313. *Conciverit*. Donat. monet legi quoque *conscivisse*. Addit in fine Bent. *ere* (here) quo versui consulere opinatur. — *Conciverit*, commoverit, excitaverit.

314. *Me venisse nuntia*. Peregre redeuntes uxori nuntios de suo adventu præmittebant. — *Quid hoc est*, quod audivi?

315. *Trepidari*, cum tumultu quodam pavitari ab iis qui sunt intro. — *Rursum prorsum*, retro et ante.

316. *Accede*. Lib. Bemb. et alii *accedo*. — *Sensistin'*. Audivistine? — *Fabularier*, garrire.

317. *Audio*. Lib. Bemb. *audivi*. — *Me vetas*, loqui. Mire expressus est mos auscultantium, et vivide adumbrantur personæ.

318. *Tace, obsecr.* etc. Hæc intus Myrrhina; et taceat monet, quia conceptum furtivum furtim convenit nasci.

319. *Perii*. C. G. m. et lib. antiq. *quia Perii*. — *Nullus sum*. Hæc sequentia explicant. — *Quî dum*, cur de te actum est?

320. *Me celas*. Ms. Lindenbr. *cælant*. Al. *cælat*.

321. *Pavitare*. Proprie, frigere ac febri jactari; id quod veteres ad corporis, sicut *timere* ad animi perturbationem referebant. Proponit Casaubon. ingeniosam satis et certe novam explicationem τοῦ *pavitare*. « Fortasse, inquit, audierat servus ancillas mussitantes Philumenam *paritare* parere: i. e. ad partum properare; quod ille per errorem *pavitare* retulit. » — *Dixerunt*. Significantur hæc forsitan, quæ supra, vs. 238, Sostrata Lacheti retulit: *lass. opp. esse aib.* et quæ ad aures servi quoque pervenerant. *Perlet.* — *Si*, an.

PAM. Interii! cur mihi id non dixti? PAR. Quia non poteram una omnia.
PAM. Quid morbi est? PAR. Nescio. PAM. Quid? nemon' medicum adduxit? PAR. Nescio.
PAM. Cesso hinc ire intro, ut hoc quam primum, quidquid est, certum sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam adfectam?
Nam si periclum in te ullum inest, perisse me una haud dubium 'st.
PAR. Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi.
Nam invisos omnes nos esse illis sentio.
Heri nemo voluit Sostratam intromittere.
Si forte morbus amplior factus siet,
(Quod sane nolim, maxume heri causa mei;)
Servum illico introiisse dicent Sostratæ,
Aliquid tulisse comminiscentur mali,
Capiti atque ætati illorum morbus quî auctus sit.

322. *Non poteram*, scilic. dicere.

323. *Nemon'*. Lib. antiq. *Nemone*, expressius.

324. *Certum*. Alii *certo*.

325. *Quonam modo, Philumena mea*. Amatoria ἀποστροφή. — *Adfectam*, lassam possessamque morbo.

326. *In te ullum*. C. G. m. colloc. *ullum in te*. — *Inest*. Al. *est*. — *Perisse*, pro *periturum esse*.

327. *Non usus facto*. Opus facto; i. e. non expedit, non est ex re mea. Hæc Parmeno ante ostium remanens secum loquitur.

328. *Invisos omnes nos*. C. G. m. *omnes nos invisos*. — *Omnes nos*, qui sumus e familia Sostratæ. — *Illis*, Myrrhinæ ac filiæ ejus.

329. *Heri*. Mss. Pall. *here*, quod Festo placet, pro *heri*. — *Intromittere*. Vulg. *admittere*. — *Heri nemo voluit*, etc. Cf. supr. vs. 189.

330. *Fact. siet*. Bent. *f. sit*. — *Morbus*, Philumenæ.

332. *Introiisse*. Al. *introisse*. — *Illico*, statim.

333. *Comminiscentur*, confingent.

334. *Capiti atque ætati illorum*, etc. Sensus et ordo est: Comminiscentur, *Sostratæ servum introiisse* et *aliquid mali secum tulisse*, sive intulisse in domum, *quî*, seu unde, *morbus auctus siet capiti atque ætati illorum*, i. e. quare morbus Philumenæ major atque capitalior factus sit. Αὐξητικῶς *illorum*; quum de Philumena sermo sit, ad totam domum retulit. *Capiti* ejus augetur morbus, i. e. ipsi, eodem figuræ genere. Additur amplius *atque ætati*; non ineleganti increm-

Hera in crimen veniet, ego vero in magnum malum. 335

SCENA SECUNDA.

SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILUS.

So. Nescio quid jam dudum audio hic tumultuari misera.
Male metuo, ne Philumenæ magis morbus adgravescat;
Quod te, Æsculapi, et te Salus, ne quid sit hujus, oro.
Nunc ad eam visam. PAR. Heus, Sostrata. So. Ehem! PAR.
Iterum istinc excludere.
So. Ehem, Parmeno, tun' hic eras? perii! quid faciam misera? 340
Non visam uxorem Pamphili, quum in proximo hic sit ægra?
PAR. Non visas; ne mittas quidem visendi causa quemquam.

mento... An malis, *Tulisse aliquid mali capiti atque ætati illorum*, i. e. intulisse aliquid veneficii, vel imprecationis in caput atque ætatem illorum, unde *morbus auctus siet*.— Ita non quidem imprecatio fuerit, sed imitatio tamen φράσεως imprecantibus usitatæ. *Bœcler.*

335. *Her. in crim. ven.* Sostrata veneficii accusabitur. — *Vero*, affirmantis. — *Magnum malum*, innuit tormenta quæstionis.

Sc. II. In hac scena quasi quædam deliberatio est, continens suasionis dissuasionisque partes, quas in subditis considerabimus. *Donat.*

336. *Audio hic.* Lib. antiq. *hic audio.* — *Hic*, in hac domo Phidippi. — *Misera.* Vocem explicat vs. sq.

337. *Male metuo*, pro simplici *metuo.*

338. *Quod te*, propter quod. — *Æsculapi.* Medicinæ præses, Apollinis filius. — *Salus*, dea sanitatis et incolumitatis præses. Invocat autem una et Æsculapium et Salutem, quia eorum semper jungebantur statuæ; ita ut qui uni Deo preces admovisset, alterum vero neglexisset, injurie in alterutrum egisset. De quibus statuis Lucianus loquitur in Hippia: Καὶ εἰκόνες ἐν αὐτῷ λίθου λευκοῦ τῆς ἀρχαίας ἐργασίας, ἡ μὲν Ὑγιείας, ἡ δὲ Ἀσκληπιοῦ. — *Ne quid sit hujus*, ne quid istius generis eveniat; i. e. ne morbus adgravescat.

339. *Ad eam.* C. G. m. *ad eam*, quasi unum esset verbum. — *Excludere.* Bentl. legit per interrogationem.—*Heus, Sostrata.* Admonitio Parmenonis, qui nihilo magis introire audet quam Sostrata. — *Iterum.* Cf. sup. vs. 189. — *Excludere*, prohibebere. Futur. temp.

341. *Pamphili*, emphatice, quasi diceret, filii mei.

342. *Non visas;* interrogat hic

Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco.
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam adfert.
Tum filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat.
So. Quid ais? an venit Pamphilus? PAR. Venit. So. Dîs gratiam habeo.
Hem, istoc verbo animus mi rediit, et cura ex corde excessit.
PAR. Jam ea de causa maxume nunc huc introire nolo.
Nam si remittent quippiam Philumenam dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quæ inter vos intervenit, unde ortum est initium iræ.
Atque eccum video ipsum egredi: quam tristis est! So. O mi gnate!
PAM. Mea mater, salve. So. Gaudeo venisse salvum: salvan' Philumena est? PAM. Meliuscula est. So. Utinam istuc ita Dî faxint!
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? PAM. Recte, mater.
So. Quid fuit tumulti? dic mihi, an dolor repente invasit?

Perl. non satis videmus qua ratione. — *Non* est ut *visas*. Interroganti respondet, utens eodem tempore.

343. *Duco*. C. G. m. et Pall. tres apud Par. *dico*. — *Qui amat*, adde, *eum* aut *eam*. — *Bis facere stulte*, dupliciter peccare; et explicat versus sequens.

344. *Illi*, quem amat.

345. *Tum*. Lib. antiq. *autem*. — *Tum*, præterea. — *Ut venit*, statim ut rediit.

346. *Gratiam*. Vulg. *gratias*.

347. *Istoc verbo*, quod tu dixisti.

348. *Introire*, supple *te*. Nec velis, ut primum apparet, intelligere, *nolo ipse introire*.

349. *Philumenam*. Donatus legit *Philumenæ*, juxta ac si *remittent* sit verbum neutrum. — *Remittent quippiam*. Respirare sinent.

350. *Omnem rem narrabit*. Illa narrabit cuncta, quæ vis iracundiæ fuerit inter eas, unde exordium lites inceperint. — *Sola soli*. Gall. *en tête-à-tête*.

351. *Intervenit*. Lib. Bemb. *intervenerit*.

354. *Meliuscula est*. Paulo melius se habet.

355. *Recte, mater*. Sic dicimus, quum sine injuria interrogantis reticemus aliquid.

356. *Quid fuit tum*. Cf. supra vs. 336. — *Tumulti*. Antiqui sic declinarunt, *tumulti, senati;* ut Sallust. « Decretum *senati* fit. » *Donat*. — *Invasit*, Philumenam.

PAM. Ita factum 'st. So. Quid morbi est? PAM. Febris. So. Quotidiana? PAM. Ita aiunt.

I, sodes, intro; consequar jam te, mea mater. So. Fiat.

PAM. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque eis onera adjuta.

PAR. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? PAM. Cessas?

SCENA TERTIA.

PAMPHILUS.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt:
Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus,
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.

357. *Quotidiana.* C. G. m. scribit *cotidiana.*

358. *I, sodes, intro.* Metuit ne ingrediatur mater ad *Philumenam*, et ideo dicit, *I, sodes, intro;* et apparet intro dicentem, manu innuere ut domum redeat. — *Consequar jam*, i. e. mox. — *Fiat.* Abiens dixit hoc mater.

359. *Tu pueris curre obviam.* Parmenonem jubet, simulata causa, discedere. — *Eis onera adjuta.* Locutio antiqua figurata. Et est hypallage pro ipsos onera portantes velis adjutare.

360. *Quid? non*, etc. Ægre fert, ut solet servus, jussum; et hæc ironice dicit, quia novæ rei cupidus mallet manere quam discedere. — *Cessas?* Stomachante Pamphilo abit demum servus.

Sc. III. In hac sc. conquestio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans, amatoria magis, quam maritalis est. Nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum, nisi adolescens furtivum conceptum uxoris et partum, aliquanto lenius quam conjugalis dolor expetit, toleravisset. *Don.*

361. *Nequeo mear. rer. init.* etc. Hæc est illa διαπόρησις Homerica: Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; *Donat.* — Hic locus ipse est Odyss. IX, 14. — *Rerum*, ærumnarum.

362. *Nec opinanti.* Supp. *mihi.*

363. *His.* Al. *hisce.* — *His oculis*, quasi simpliciter diceret, *meis ocul.*

364. *Citius.* Var. *ocius.* — *Qua me propter.* Restitue, *quapropter me.* — *Exanimatum*, perterritum et consternatum. — *Me eduxi*, me extuli.

Nam modo intro ut me corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum adfectam ac sensi uxorem esse : hei mihi !
Postquam me adspexere ancillæ advenisse, illico omnes simul
Lætæ exclamant: « Venit; » id quod derepente adspexerant.
Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere præcurrit, nuntians
Me venisse; ego ejus videndi cupidus recta consequor.
Postquam intro adveni, extemplo ejus morbum cognovi miser.
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat,
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam adspexi, « o facinus indignum! » inquam, et corripui illico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.

365. *Intro ut me.* Sic Bent. codd. In lib. antiq. coll. *me intro ut.*— *Intro*, in domum uxoris. — *Ut*, postquam. — *Me corripui*, raptim ingressus sum. Cf. supr. 345. — *Timidus*, plenus timoris.

366. *Morbo me visurum*, etc. Ordo est: « suspicans me visurum uxorem affectam alio morbo ac sensi eam affectam esse. » Alium scilicet morbum suspicabatur quam partum. — *Hei mihi!* Interjectio dolentis est de re inopinata.

368. *Derepente.* Fa. ed. *me rep.*— *Id quod derep. adsp.* Causa cur lætæ exclamaverint. *Id* ergo, ob id. *Donat.*

369. *Sensi*, animadverti.

370. *Incommode*, intempestive.

371. *Una illarum.* Lib. ant. add. *forte.* — *Nuntians*, sc. Philumenæ.

372. *Ego.* Perlet. solus *ergo*, nescimus an consulto. *Ejus videndi.* Sc. Philumenæ. Notetur hic *videndi*, non participium esse, sed gerundium in *di*; quippe quod etiam Cicero frequenter jungit cum genitivo ipso plurali, ut *legendi librorum.* Nec minus genitivus singul. numer. in usu est. *Perl.*—*Recta*, non additur *via.*

373. *Adveni.* Bru. cod. *introii.* — *Intro*, in cubiculum. — *Cognovi.* Scilicet ex instantissimo partu, vs. 374, et ex gemitibus quos non poterat non edere, vs. 375.

374. *Ut celari posset.* Add. ejus partitudo. — *Spatium*, moram.

375. *Neque voce alia*, etc. Vox nempe parturientis prodit vitium.

376. *O facinus indignum.* Hoc ad semetipsum refert, vel ad auctorem vitii, non ad Philumenam.

Mater consequitur : jam ut limen exirem, ad genua accidit
Lacrumans misera : miseritum est : profecto hoc sic est, ut puto.
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum principio institit :
« O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, causam vides.
Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum. »
Sed quum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrumem miser.
« Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obsecramus ambæ, si jus, si fas est, uti

378. *Mater*, Myrrhina scilicet. — *Jam ut l. ex.* Sententia absoluta est : « Jam in eo eram ut limen exirem. »

379. *Miseritum*. Alii, *misertum*. — *Miseritum est*. Ut recte supra dictum sit de illo, vs. 152 : « Pium et pudicum ingenium narras Pamphili. »

380. *Ut*, prout. — Apollodorus : οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα ταπεινὸς ἦν καὶ τεμνὸς. — *Magni*, elati. In eam autem cogitationem incidit hic, ex Myrrhinæ, nobilis matronæ, miseranda specie, quæ dignitatis suæ oblita, ad pedes ejus se abjecerat. *Casaub.* — Non male forsan intelligeretur de se ipso loqui juvenem. « Me qui *percitus* eram, *res* subito, miserescentem, *humilem*, placidum reddidit. »

381. *Principio*. Al. *a princ.* — *Institit*. Var. ap. We. *instituit*, *instruit*.

382. *Causam*. His partum innuit.

384. *Huc*, in domo ubi sum, apud me ipsius matrem.

385. *Nequeo*. C. G. m. addit *abstinere*. — *Orata*, preces. — *Nequeo*, deest *continere*. — *Quin lacrumem miser*. Videtur fletus detergere.

386. *Fortuna*. We. ex Mss. Leid. *pro illa*. — *Quæque fors fortuna*. Τφέν ; id est, habita fortuna. Et *fortuna*, in incerto : *fors fortuna*, in bono ponitur. Virg. IX, 41 : « Si qua in te fortuna fuisset, » et ipse : « o fors fortuna. » *Don.* — Cæterum sub hac utraque denominatione dea Romanis interdum putabatur, quæ templum trans Tiberim habebat, colebaturque ab iis qui sine arte aliqua vitam tolerabant, et ideo ab ea omnia exspectare malebant.

387. *Per eam*, scil. fortunam. — *Si jus*, ad humanum jus pertinet. — *Si fas*, ad divinum.

Advorsa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensti eam, mi Pamphile;
Sine labore hanc gratiam te, ut sibi des, illa nunc rogat.
Cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque gravidam esse ex te solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.
Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus;
Quod te scire, ipsa indicat res: nunc si potis est, Pamphile,
Maxume volo doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnes: sed si id fieri non potest, quin sentiant,
Dicam, abortum esse; scio, nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nihil est quidquam incommodi,

388. *Advorsa ejus.* Innuit stuprum virgini oblatum ac partum jam instantem. — *Tecta*, ne videantur; *tacita*, ne dicantur. *Don.*

389. *Si unquam erga te*, etc. Andr. vs. 293, sq. « sive hæc te solum semper fecit maximi. » *Don.*

390. *Sine labore*, quod facile fieri potest.

391. *De reducenda*, quod attinet ad receptionem aut exclusionem uxoris. Vide infra, vs. 654.—*Quod in rem sit tuam.* Quod tibi commodum videbitur.

392. *Parturire*, laborare dolore partus. — *Solus conscius*, supp. *tu es.* Per hæc dextere insinuat posse eum (si ita velit) uxorem sine mala fama retinere, ut qui solus id sciat.

393. *Aiunt.* Honestius dicit pro *ait*, sc. Philumena. — *Post duobus mensibus.* Est ἀντιστροφὴ, pro *duobus mensib. post*, et supple, *post nuptias.*

394. *Postquam ad te venit.* Ex quo tibi ducta est uxor.

395. *Quod te scire, ipsa indicat res.* Quia contristatus, corripuisti te foras. — *Si potis est.* Si fieri possit.

396. *Clam*, junge cum *patrem.* — *Partus*, Philumenæ.

397. *Atque adeo omnes*, et igitur clam omnes. — *Quin sentiant*, eam peperisse.

398. *Abortum esse.* Non est latinum *aborsa est;* sed *abortum fecit.* Deest loco *natum* vel *factum;* vel absolute. *Don.* —*Scio nemini*, etc. Construe, scio fore suspectum nemini aliter, quin (quam quod), putent eum nat. rect. ex te, quod est verisimile.

399. *Recte natum*, e legitimis nuptiis natum.

400. *Continuo exponetur;* ad mortem scilicet. De quo more apud Romanos usitato jam non semel loquendi occasionem fuimus nacti.

Et illi miseræ indigne factam injuriam contexeris. »
Pollicitus sum, et servare in eo certum 'st, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror,
Nec faciam, etsi amor me graviter consuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quæ posthac futura 'st vita, quum in mentem venit,
Solitudoque: o fortuna, ut nunquam perpetua es data.
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit.
Quem ego tum consilio missum feci, idem nunc huic operam dabo.
Adest Parmeno cum pueris : hunc minime 'st opus

— *Hic*, in hac re celandi partus.— *Tibi nihil est quidq. incomm.* Quum scil. alienus exponitur, et non tollitur pro tuo. *Don.*

401. *Et illi miseræ.* Ms. We. *Ut* pro *Et.* — *Et illi miseræ*, et illi infelici, indignæ quæ injuriam factam acciperet, honorem integrum servaveris. — *Indigne fact. injuriam.* Cf. supr. 383. — *Contexeris.* Hoc verbo *contegere* monemur, Pamphilum par pari Philumenæ referre videri, quippe quæ contexerat contumelias mariti. Cf. vs. 166.

402. *Pollicitus sum.* Donatus vult esse plus quam *promisi.* — *Certum 'st;* stat fixum atque immotum mihi.

403. *De reducenda.* Quod attinere potest ad eam reducendam in domum patris. — *Neutiquam honestum*, non valde conveniens et decorum.

404. *Amor me.* In antiq. l. ordo est *me amor.* — *Nec faciam.* Non reducam eam. — *Amor consuetudoque ejus.* Videtur per ἓν διὰ δυοῖν dictum, pro *amor consuetus*, uti Andr. vs. 135. *West.*

405. *Futura 'st.* Lib. ant. *futura sit.* Don. *futura est.* — *Quæ posthac*, etc. Ordina: « quum venit in ment. quæ posth. f. est vita solitudoque. »

406. *Data.* Alii, *bona.* — *O fortuna*, etc. Horat. Sat. II, 8 : « heu Fortuna, quis est crudelior in nos Te Deus? ut semper gaudes illudere rebus Humanis? »

407. *Sed jam prior amor*, etc. Id vult, didicisse se jam usu et exemplo Bacchidis, amorem a corde suo amovere, atque adeo facilius divortium cum Philumena esse laturum. *West.* — *Ad hanc rem*, scilicet ad deserendam mulierem quam amo.

408. *Idem.* Al. *eidem.* Al. *item.* — *Quem ego*, etc. Priorem amorem ratione et prudentia tunc dimisi; idem ille ego hodie, de amore meæ uxoris, parem operam, parem prudentiam adhibebo, ut ab eo vacem.

409. *Adest Parmeno cum pueris.* Vid. supr. vs. 359.

In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, quum data est.
Vereor, si clamorem ejus hic crebro exaudiat,
Ne parturire intelligat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

410. *In hac re.* In hoc Philumenæ partu. — *Soli*, huic uni. — *Credidi*, hoc arcanum commisi. Supra vs. 143, sq. « Diebus sane pauculis Post Pamphilus me solum seducit Foras, etc. »

411. *Q. d. est*, supp. *mihi in uxorem.*

412. *Exaudiat.* Lib. Bemb. *aud.* — *Hic*, pronomen est personæ, non adverbium temporis, etsi velit ita Perletus.

413. *Ne parturire intell.* Ne agnoscat eam partu laborare. — *Aliquo mihi est*, etc. Id totà comœdia non cessabit, quum sit piger; nec rescisset aliquid, quum sit curiosus, Parmeno. *Don.*

414. *Ablegandus.* Ita solent de iis, quorum præsentia molesta est.

De tota hac scena adnotat *Lemonnier* : « Cette scène est le plus long de tous les monologues qui se trouvent dans Térence. Pamphile est dans une terrible situation. Il n'est pas contre la vraisemblance qu'il se livre aux réflexions qui naissent de son état; mais il est contre toute vraisemblance qu'agité de diverses passions qui se combattent dans son cœur, il fasse une histoire suivie de ses malheurs : qu'il répète mot à mot un long discours qui vient de lui être débité dans l'instant où il était le plus agité, et que ce discours bien raisonné soit celui d'une femme troublée. Il est inconcevable que Térence, qui peint si bien la nature dans toutes les circonstances, soit aussi froid dans ses monologues. Cela ne viendrait-il point de ce que, généralement parlant, les monologues sont contre nature; et que Térence était forcé d'en faire, parce qu'ils étaient d'usage. Plaute en avait fait. Il en était peut-être alors des monologues comme des stances sur notre théâtre dans le siècle dernier. Ce monologue-ci, malgré sa longueur, n'est pas ennuyeux, parce qu'il est le commencement de toute l'intrigue. Jusqu'à présent la pièce a roulé sur une tracasserie de ménage, qui n'est pas fort intéressante. Il s'agit seulement de savoir si l'on réconciliera ou non une belle-mère avec sa bru. Mais ici le spectateur commence à être mis dans la confidence. L'embarras augmente, la position cruelle de Pamphile est annoncée, la curiosité s'éveille, on veut et on ne peut prévoir le dénouement. »

SCENA QUARTA.

PARMENO. SOSIA. PAMPHILUS.

PAR. Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?
So. Non hercle verbis, Parmeno, dici potest
Tantum, quam re ipsa navigare incommodum 'st.
PAR. Itane est? So. O fortunate! nescis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut omittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta aut plus eo in navi fui,
Quum interea semper mortem exspectabam miser,
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum! So. Haud clam me est: denique hercle aufugerim
Potius quam redeam, si eo mî redeundum sciam.
PAR. Olim quidem te causæ impellebant leves,

Sc. IV. In hac scena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc ῥῆμα inducitur, ut scilicet fiat mentio de periculo navigationis. « Alia enim, ait Donatus, ratio est currentis ad argumenta : alia actuum comicorum. Sed perfecti poetæ est ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus teneatur. »

415. *Ain' tu.* Pro *aisne tu.* Et sic jam aliquid dixisse magni in præcedenti oratione ex respondentis sermone demonstratur. *Don.*—*Iter*, navigationem.

417. *Tantum*, *quam*. Pro *tantum quantum*. — *Re ipsa*, opponitur τῷ *verbis*, vers. præced.

419. *Præterieris*, evitaveris. Sumptum illud, ut adnotat Dacieria, ex Posidippo : ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν ἑώρακεν κακόν.

420. *Nam al. ut omitt. mis.* Παράληψις oratoria. Et *miserias*, navigationis scilicet. *Don.*

421. *Plus eo.* Pro *eo* Prisc. citat *ego*. — *Plus eo*, scil. hoc spatio dierum.

422. *Ita*, pro *adeo*, et dictum per epiphonema.

424. *Odiosum!* Res hæc incommoda est et molesta.—So. *Haud clam me est.* Λιτότης, pro ego maxime intelligo, si quis potest intelligere. — *Aufugerim*, pro simplici, *aufugiam*.

425. *Sciam.* Vulg. *siet.* — *Potius quam red eam*, sc. Imbrum.

Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.
Ite intro; ego hunc adibo, si quid me velit.
Here, etiam tu nunc hic stas? PAM. Et quidem te exspecto.
PAR. Quid est?
PAM. In arcem transcurso opus est. PAR. Cui homini?
PAM. Tibi.
PAR. In arcem? quid eo? PAM. Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum una vectu 'st, conveni.
PAR. Perii! vovisse hunc dicam, si salvus domum
Redisset unquam, ut me ambulando rumperet.
PAM. Quid cessas? PAR. Quid vis dicam? an conveniam modo?
PAM. Immo, quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse, ne me frustra illi exspectet. Vola.

427. *Minitare.* C. G. m. expl. *minitaris.* — *Quod nunc minitare,* etc. Ordina, « ut faceres, quod minitare nunc facere gravioribus de causis. » Ita jocose ut servum nequam et fugitivum perstringit. — *Facere,* h. e. fugere. Dixerat enim *aufugerim,* vs. 424.

429. *Ite intro.* Guyet. *I tu intro.* Alii, *ito intro.* — *Si quid me velit.* Supp. *facere.*

430. *Etiam nunc,* pro *adhuc.*

431. *In arcem.* Videtur intelligere ἀκρόπολιν in medio urbis sitam. *West.* — *Transcurso,* pro *transcurrere.* Obvenit autem *opus esse* cum participio centies.

432. *Callidemidem.* Prisc. *Callimedem.* — *In arcem?* Hæc dicens Parmeno præ se fert ingenium servi imperatum ægre ferentis. — *Quid eo?* Cur in hunc locum oportet ascendam.

433. *Myconium.* Ex Mycone insula, Cycladum una in mari Ægæo.

434. *Vovisse hunc,* etc. Facete dixit. More enim hoc fit eorum, qui longis itineribus maris periclitati, vovent aliquid si pervenerint. Et convenit hoc Pamphilo, quem supra male navigasse audierat. *Don.*

435. *Rumperet,* enecaret.

436. *Quid vis dicam?* Mss. quid. *nunciem.* — *Quid vis dicam?* Non enim mandaverat quidquam, qui sine causa mittebat, oblitus bene dissimulare. Et sic pronuntiandum, *an conv. modo?* ut reprehendere dominum Parmeno videatur. *Don.*

437. *Immo.* Ne convenias solummodo, sed dicas insuper. — *Quod,* de ea re quod, etc.

438. *Non posse.* C. G. m. *me.* — *Illi.* Lib. ant. *illic.* Sed versum exigere *illi* pronuntiant Fa. Bentl. Both. Perl. intelligendum quidem pariter, pro adv. loci. Vict. *ille.*—*N. p.* Sup. *me.*—*Vola,* hyperbolice dictum.

PAR. At non novi hominis faciem. PAM. At faciam, ut noveris :
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius,
Cadaverosa facie. PAR. Dî illum perduint!
Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?
PAM. Maneto; curre. PAR. Non queo : ita defessus sum.
PAM. Ille abiit: quid agam infelix? prorsus nescio,
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suæ gnatæ partum : nam me miseret mulieris.
Quod potero, faciam tamen, ut pietatem colam.
Nam me parenti potius, quam amori obsequi

439. *At non novi*, etc. Particula *at* in occupationibus et dubitationibus frequens est. Accedit pigritia servi ægre obsequentis. — *At fac. ut*, etc. Stomachose repetit *at*.

440. *Crispus*. Quanquam Myconii ut plurimum fuissent calvi (unde proverbium Μυκώνιος φαλακρός, et unde arguebatur olim, teste Don. Terentius imperite *Myconium* illum fecisse *crispum*, quem Apollodorus fecerit calvum), nihil obstat tamen quin inter illos etiam crispi nonnulli potuissent reperiri. Aut fortasse poeta ita consulto maluit, ut Myconium istum non hominem verum, sed merum Pamphili commentum, ad eludendum servum intelligeremus. *Mer. Casaub.* — *Cæsius*, glaucis oculis.

441. *Facie*. In C. G. m. *facies*. — *Perduint*. Al. *perdant*. — *Cadaverosa facie*, vultu ad cadaveris similitudinem facto. Gallice sic dicimus, *avec la mine d'un déterré*. Non immorabimur in repræsentando quidquid de hac voce multipliciter et contradictorie congesserint interpretes. Cæterum cf. Thesaurus Rob. Stephani, ubi plura invenies. — *Dî illum perduint!* Hæc Parmeno murmurans; et *perduint* est pro *perdant*.

442. *Quid*, sup. faciam. — *Si non veniet*. Omnia dicit, ne eat.

443. *Maneto*, dum ille veniat. — *Ita defessus sum*. Abit tamen servus, sed non nisi mussitando.

444. *Ille abiit*. Quasi dicat : « licet jam loqui. »

445. *Quod me oravit... part.* Hæc Guy. pro spuriis habet. — *Quod me oravit*. Secundum illud quod, etc.

446. *Mulieris*. Agitur de Myrrhina.

447. *Quod potero, faciam*, etc. Totum illud ex Boeclero intellige, quasi diceret Pamphilus : « Licet amor ab incusanda Philumena me retineat, pietas tamen in matrem fortius urget; meritoque præferri a me debet. Igitur sic mihi versandum in hoc negotio esse intelligo, ut primam pietatis rationem habeam, et eatenus Philumenæ parcam, quatenus innocentia matris omnibus modis defendenda patitur. »

448. *Parenti*. Sostratæ videlicet matri.

Oportet: atat, eccum Phidippum et patrem
Video: horsum pergunt: quid dicam hisce, incertus sum.

SCENA QUINTA.

LACHES. PHIDIPPUS. PAMPHILUS.

La. Dixtin' dudum, illam dixisse, se exspectare filium?
Ph. Factum. La. Venisse aiunt: redeat. Pam. Quam causam dicam patri,
Quamobrem non reducam, nescio. La. Quem ego hic audivi loqui?
Pam. Certum, offirmare, est, viam me, quam decrevi persequi.
La. Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. Pam. Salve, mi pater.
La. Gnate mi, salve. Ph. Bene factum te advenisse, Pamphile,
Et adeo, quod maxumum 'st, salvum atque validum. Pam. Creditur.

449. *Atat.* Interjectio est conterriti et conturbati.

450. *Horsum.* Versus hanc partem.

Sc. v. Hæc scena utriusque parentis continet verba, quemadmodum cogunt Pamphilum reducere uxorem. Simplex hic oratio est. *Eugraphius.*

451. *Se exspect.* In Mss. Reg. non est *se.* — *Dudum*, junge cum *exspectare.* — *Illam*, Philumenam.— *Filium*, meum.

452. *Quam causam.* Bent. *causæ quid.*—*Factum*, i. e. *dixi.* — *Redeat.* Ergo redeat Philumena ad nos. — *Quam causam.* Habet causam; sed non vult veram dicere. Hæc autem secum seorsumque loquitur.

454. *Offirmare viam.* Firmiter et pertinaciter insistere viam, i. e. rationem, consilium, quam mihi insistendam sive persequendam proposui: nempe, ut dimittam uxorem, et dimittendæ causam veram celem. *Casaub.*

455. *Agebam.* In C. G. m. *aiebam.* — *Ipsus est*, sc. Pamphilus.

456. *Bene factum.* Valet hæc formula, ut *gaudeo.*

457. *Creditur*, i. e. credo te id gaudere. Putat Guyetus hæc dici submisse a Pamphilo ad spectatores converso.

LA. Advenis modo? PAM. Admodum. LA. Cedo, quid reliquit Phania,
Consobrinus noster? PAM. Sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit : et qui sic sunt, haud multum heredem juvant.
Sibi vero hanc laudem relinquunt : « vixit, dum vixit, bene. »
LA. Tum tu igitur nihil attulisti huc una plus sententia?
PAM. Quidquid est, quod reliquit, profuit. LA. Immo obfuit.
Nam illum vivum et salvum vellem. PH. Impune optare istuc licet :
Ille reviviscet jam nunquam; et tamen, utrum malis, scio.
LA. Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit : dic jussisse te.

458. *Admodum*, propemodum, nuperrime. Et excusatio est cur non adhuc viderit patrem.

460. *Qui sic sunt*. Id est, qui voluptatibus obsequuntur. — *Juvant*, locupletant, ditant.

461. *Relinquunt*. Lib. ant. *reliquit*. Id. lib. *relinquent*. Recte; nam ad univers. genus voluptariorum hoc refertur. — *Sibi vero*, etc. Bene et facete : nihil heredi relinquunt, sibi vero relinquunt. — Junge *bene vixit*. Diversa significatione utitur τῷ *vixit*. Est enim *bene vixit*, genio suo indulsit. Similiter nos diceremus : *ce fut, de son vivant, un bon vivant*.

462. *Tum tu igitur nih. at.* Sic enim avarus interrogat. — *Plus*, amplius. — *Una sententia*, illa sc. sententia, quæ continetur vs. præcedenti; et quæ est hortantis ad delicate vivendum.

463. *Profuit*. Al. *præfuit*, *obfuit*. Utriusque verbi syllaba *it* ob eumd. sonum producenda; siquidem Fa. contendit, postremas in *t* desinentes Veteribus produci. — *Quidquid est*, *quod*, etc. Quantulumcumque nobis reliquit utile nobis est, lucro apponendum est. — *Immo obfuit*, id est, attulit damnum, quia mortuus est.

464. *Nam illum viv. et salv.* etc. Lachetem non ex animo loqui patet ex v. 458, 462a, ubi inhiare se ostendit hereditati. — *Impune*, jocatur hoc dicendo, quia heredi pœna esset mortuos reviviscere. Sed *impune optare licet*, quod tu optatum nunquam eventurum certo scis.

465. *Utrum malis*, *scio*. Mortuum illum magis, quam ut reviviscat denuo. *Don*.

466. *Heri Philumenam*, etc. Post

PH. Noli fodere : jussi. LA. Sed eam jam remittet. PH. Scilicet.
PAM. Omnem rem scio, ut sit gesta : adveniens audivi modo.
LA. At istos invidos Dî perdant, qui hæc libenter nuntiant.
PAM. Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset ; idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui,
Vere possum, ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere.
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Quum illa, quæ in me nunc iniqua est, æqua de me dixerit.
Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor Deos.
Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ
Quæ concedat, quæque ejus mores toleret sua modestia ;
Neque alio pacto componi potest inter eas gratia :
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena.

ambages venit ad rem quam a principio intendebat. — *Ad se arcessi.* Hoc mendacio utitur, ut tegat uxorem sponte sua abiisse. — *Hic*, Phidippus. — *Dic jussisse te.* Dicit hoc, Phidippum fodiens, submissa voce.

467. *Noli fodere.* Videbatur vero Laches Phidippum durius tundere, seu digito, seu cubito, idque monendi gratia. *West.* — *Jussi.* Admonitus, clara voce hoc dicit. — *Scilicet*, certe ego remittam.

468. *Scio*, sc. ex Parmenone.

469. *At.* Hæc particula, initio sententiæ abrupte posita, indignationis et commoti animum signum est. — *Istos invidos*, qui scilicet matrimonio invideant.

470. *Ego me scio.* Hæc et quæ sequuntur ad Phidippum conversus dicit juvenis.

471. *Fieri*, suppl. *mihi.*

473. *Possum.* Alii, *possim*, male. — *Vere possum*, sc. memorare, ex vs. 471.

474. *Eo pacto*, eo modo. — *Maxume apud te meo erit*, etc. Magis credes me tali esse ingenio.

476. *Discidium.* Al. *dissid.*

477. *Sed quando sese esse.* Fa. ex omnibus libris suis, *esse.* Non hab. lib. antiq.

478. *Quæ... quæq. ejus.* Sic mutata Bentl. probantur et mihi. Vulg. *cui... cujusque.* L. Bemb. *Quæ conced.* a manu secunda, Gu. et Gron. probantibus. Altera mutatio Bentl. *Perl.* — *Quæque ejus*, æque mihi placet præ vulg. lectione, *cujusque.* Al. leg. *cujus* omisso *que.* Hoc modo Be. nodum solvit, quo vulgata lectio impeditur. *Perl.* — *Concedat*, se submittat. — *Ejus*, matris meæ. — *Mores.* Maluit hoc dicere, quam *injurias.* — *Modestia*, moderatione.

480. *Segreganda est.* Hic impletur deliberatio illa, scena superiore, vs.

Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
La. Pamphile, haud invito ad aures sermo mi accessit tuus,
Quum te postputasse omnes res præ parente intelligo.
Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile.
Pam. Quibus iris impulsus nunc in illam iniquus siem?
Quæ nunquam quidquam erga me commerita 'st, pater,
Quod nollem; et sæpe meritam quod vellem scio,
Amoque, et laudo, et vehementer desidero.
Nam fuisse erga me miro ingenio expertus sum;
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat

447, 448. Accusando excusavit Philumenam, quod summæ humanitatis erat. Postea pietatis antiquiorem esse rationem duxit. *Bæcl.*

481. *Nunc me pietas*, etc. Cf. supr. 447, 448. — *Me suadet.* Verbum *suadere* cum infinitivo invenitur item apud Phædr. I, 15, 6, ubi vid. Nos, hujus edit. vol. I, pag. 389. — *Matris comm. seq.* Quam mollibus verbis repudium nuntiatum est a Pamphilo!

482. *Haud.* Par. *aut;* prave. — *Haud invito mihi.* Quia nimirum placet tua pietas erga parentem.— Adnotat Dacieria: « Il y a une bienséance merveilleuse dans cette réponse de Lachès. Il ne veut pas louer entièrement ce que son fils vient de dire, ni témoigner qu'il lui a fait un très-grand plaisir, de peur d'approuver par là le dessein qu'il a fait de quitter sa femme; il se contente donc de lui dire que cela ne lui a pas déplu. »

483. *Postputasse*, posthabuisse. — *Omnes res*, eleganter plus dixit *omnes res* quam si diceret *uxorem.*

484. *Vide*, cave. Et hoc leniter suadenterque dictum. — *Prave.* Contrarium *recte.* — *Insistas*, in tua sententia permaneas, in proposito perseveres.

485. *Quibus iris.* Quibus iræ causis. Placet eo sensu adhiberi *iris*, potiusquam credere cum Donato, Lachetem *iram* singulariter, hunc *iras* pluraliter, ne videretur unius iræ causa mittere uxorem.

486. *Commerita 'st.* Item *commereri* in malam partem accipitur, Andr. 139.

487. *Quod nollem*, etc. Antithesis vide, *quod nollem, quod vellem; commerita est* et *meritam.* Unde vero ornatus prodit orationis. *Perl.* — *Meritam*, sic bono sensu, Andr. 139.

488. *Amoque et laudo*, etc. Non statim qui amantur, iidem laudantur: nec qui laudantur etiam continuo desiderantur. Multa ergo dixit *amoque, et laudo, et vehem. des.* et vide quam amoris impulsus nimius hic sit circa uxorem: et quasi oblitus suæ matris, et vitiatæ loquitur. Sed tali opus est Pamphilo ad ejus modi argumentum, donec perveniat ad καταστροφήν, in qua uxorem reduci necesse est. *Don.*

489. *Fuisse*, supp. *eam.* — *Miro ingenio.* Singulari et mirifica ingenii mansuetudine.

Cum eo viro, me qui sit fortunatior:
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
PH. Tibi in manu est, ne fiat. LA. Si sanus sies,
Jube illam redire. PAM. Non est consilium, pater.
Matris servibo commodis. LA. Quo abis? mane,
Mane, inquam: quo abis? PH. Quæ hæc est pertinacia!
LA. Dixin', Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres.
PH. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore.
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem, licet;
Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat!
LA. Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.

491. *Cum eo viro.* Non invidere, jam non est mariti. — *Me fortunatior.* Hæc versu seq. explicantur.

492. *Distrahit.* Perl. solus *distrahat*, tacite, et errore indubitanter typographico.—*Necessitas.* Excusatio in necessitate quæ est inexorabilis, et *necessitas*, partus scil. quam necessitatem domi offendit: quod ex alio scil. peperit. Sed modo vult necessitatem matris videri iracundiam, quæ a nuru offensa sit. *Don.*

493. *Si sanus.* Al. *satis.* — *Tibi in manu est*, etc. In tua potestate est ut non divellatur.

494. *Non est consilium.* Non sic mea stat sententia.

495. *Matris servibo comm.* Hoc verbo *necessitatem*, vers. 492, qua cogatur ostendit. — *Quo abis.* Abibat scilicet juvenis, ne ulterius præsente patre resisteret.

496. *Quæ hæc est pertinacia!* Sicut socerum decuit loquitur Phidippus; et subindignatur, quia coram sibi fit contumelia. *Don.*

497. *Dixin', Phidippe.* Dixerat enim supra, vers. 261: «neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam.»

498. *Filiam ut rem.* Lib. ant. coll. *ut fil. remitt.* — *Quamobrem te*, etc. Fere cum invidia dictum adversus Phidippum, tanquam in illo sit unde se purget, et non accuset Pamphilum, quum Laches dicat id a se prædictum esse supra, vs. 261. Cf. loc. citat. — *Ut remitteres*, supp. ad nos, antequam Pamphilus rediisset.

499. *Adeo inh.* Acerbe addit *adeo*, quia iratus. — *Fore*, supple, generum meum.

500. *Ita*, pro *Itane.*

501. *Si est, ut velit.* Pro simplici, *si velit.*

502. *Sin alio est an.* Si nolit reducere. — *Renumeret dotem huc.* Terrorem dotis repetendæ ostendit; simul cum injuria *huc*, ubi nunc sum: et iracunde *eat*, valeat.

503. *Tu quoq.* eodem modo quo

PH. Percontumax rediſti huc nobis, Pamphile.
LA. Decedet ira hæc; etsi merito iratus eſt.
PH. Quia paulum vobis accessit pecuniæ,
Sublati animi sunt. LA. Etiam mecum litigas?
PH. Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, an non; ut alii, si huic non est, siet.
LA. Phidippe, ades, audi paucis: abiit: quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quidquam obtemperant,
Quæ dico, parvi pendunt: porto hoc jurgium
Ad uxorem, cujus hæc fiunt consilio omnia,

Pamphilus. — *Proterve*, insolenter. —*Protervus* ideo significat *superbus*, ait Donat. quod *proterat* alium ille qui protervus est.

504. *Percontumax*. Proprie, contemptor potiorum. — Pergit ergo Phidippus in irascendo, quamvis moneat Laches. Et magnæ est indignationis absentes alloqui. Abiit enim Pamphilus inde a vs. 496. — *Nobis*. Τῷ ἀττικισμῷ. Nam aut abundat, aut significatu adjuvat pronuntiationem.

505. *Decedet*. Alii, *dec. jam*.

506. *Paulum*. Alii, *paululum*. — *Paulum pecuniæ*, quod scil. Phania reliquit. Cf. vs. 463, et inde innuere videtur: « quia habetis unde dotem reddatis. » Minus bene, «quia nullam causam habeatis repudii, sed ditiorem quæratis conjunctionem.»

507. *Sublati animi sunt*. Elatiores animo et ferociores facti estis. — *Etiam mecum*. Invidiose, quasi jam cum Pamphilo satis litigaverit. *Donat*.

508. *Deliberet, renuntietque*. Pergit Phidippus in instituta oratione, nec attendit ad verba Lachetis.

509. *Velitne, an non*, sc. reducere uxorem. Cf. vs. 501. — *Ut alii siet*. Subaudi, uxor viro, i. e. ut alium habeat maritum.

510. *Phidippe, ades*. Revocat abeuntem. — *Audi paucis*. Sententia plena esset, « *audi* me loquentem *paucis* verbis. »—*Abiit*. Subaud. Phidippus; non autem, filius, ut vult Perletus. — *Quid mea?* Sc. refert, et supp. tales inter eos esse discordias. Gallice diceremus : « après tout, que m'importe? qu'ils s'arrangent comme ils l'entendront. »

512. Hic versus et qui sequuntur Guyeto insititii videntur. *West*. — *Quando*, quoniam, siquidem. — *Neque hic*, Phidippus. —*Quidquam*, secundum quidquam, ullo modo. — *Obtemperant*, auscultare volunt.

513. *Porto hoc jurgium*. Eo nuntiatum hanc rixam uxori meæ.

514. *Cuj. hæc fiunt*. C. G. ch. miro ordine hoc, *hæc fiunt c.* — *Ad uxorem*, etc. Ita postulat οἰκονομία deferri jurgium ad uxorem, ut innocentis matronæ miseria ostendatur, in quam morosi senis suspicio et inhumanitas magnam turbarum

Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre 'st, evomam. 515

partem rejicit. *Bœcler.* — *Hæc omnia*, sc. ut Pamphilus nolit uxorem reducere.

515. *Quod mihi ægre 'st.* Quo afflictus sum et exacerbatus. — *Evomam*, effundam. Et bene dictum, quia ægritudinem solet vomitus relevare.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

MYRRHINA. PHIDIPPUS.

MY. PERII! quid agam? quo me vertam? quid viro meo respondebo
Misera? nam audivisse vocem pueri visu 'st vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.
Quod si rescierit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse
Dicam, non ædepol scio.

ACT. IV. Sc. I. « Mire in hac scena iterum rixa est senis atque anus: et tamen varie et alio modo, ut mores inter se diversos, et tamen notos possimus agnoscere. » Ita Do. Sed ab altera parte Eu. hæc: Ingressus Phidippus invenit filiam parturientem, primum adulterii crimen intendens. Sed hoc breviter frangit, quia ex illo parit, cui nuper data est. Post inducit crimen injuriarum, quod partum celaverit. Egressa igitur mulier, quærit consilium, quemadmodum respondeat; quod pater cognoverit partum. Et consilium utique ad hoc quærit. »— Adnotat Bœclerus: « In hac scena alteram matronam senex maritus jurgio adoritur: sed illa plus constantiæ habet quam Sostrata. Itaque patientiam Sostratæ cum Lachetis iracundia, Myrrhinæ fiduciam cum lenibus Phidippi moribus, apposite Poeta comparavit. »

516. *Agam.* C. G. m. *dicam.* — *Perii*, etc. Hæc proloqui oportet Myrrhinam, ut ex ejus persona reminiscatur spectator gestæ rei, simulque ex hujus personæ verbis, quid agat altera persona monstretur. Nam perscrutari Phidippum universa conclavia, et ire per totam domum cognito partu filiæ suæ, apparet ex præsentibus dictis. *Don.*

517. *Visu 'st.* Sic per apostroph. ed. Fa. Mu. Par. al. At Erasm. explicite, *visus est.*

518. *Ita*, dictum per epiphonema. Scil. quia *corr. tac. sese*, inde patet eum *audivisse vocem vagientis.*

519. *Quod si.* Vult Donat. *quod* esse pro *nam*, aut *itaque*. Sed male, ut ait Perl. *quod* est ad dictionem *resc. pep. eam* referendum; cui respondeat *id* proxime postpositum. *Quod si* sæpissime pro simpl. *si. Scimus* manifesta, *rescimus* occulta. *Don.*—*Id q. causa*, etc. Nescio quam

Sed ostium concrepuit: credo ipsum ad me exire: nulla sum.
PH. Uxor, ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras,
Atque eccam video: quid ais, Myrrhina? heus, tibi dico.
MY. Mihine, mi vir?
PH. Vir ego tuus sim? tu virum me, aut hominem deputas adeo esse?
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. MY. Quibus?
PH. At rogitas?
Peperit filia: hem, taces? Ex quo? MY. Istuc patrem rogare est æquum?
Perii! Ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?
PH. Credo; neque adeo arbitrari patris est aliter: sed demiror,

possim afferre causam, excusatura me quod hunc partum celaverim.

521. *Ad me.* Bene *ad me*, quasi litigaturum.—*Nulla sum*, perii. Hæc Myrrhina, viso Phidippo.

522. *Uxor*, etc. Hæc usque ad *quid ais*, secum loquitur Phidippus. — *Se duxit*, abiit.

523. *Ais.* Al. *agis* pro *ais*. Commode. Neque enim locuta esse videtur Myrrhina quidquam.—*Heus, tibi dico.* Heus, te ipsam appello. Ostendit Myrrhinam avertentem se; quasi nihil inveniat quod dicat de filia. *Don.*

524. *Sim.* Alii, *sum*, perperam. — *Vir ego tuus sim?* Per exprobrationem dictum. — *Virum, aut hominem.* Tune conjugem, immo hominem quemlibet existimas me esse. Aut *virum*, animo, voluntate; *hominem*, ratione, intelligentia. — *Adeo*, abundat.

525. *Nam si u. h.* Sc. vir aut homo.

526. *Ludibrio habitus*, derisus et delusus. — *Tuis factis*, per ea quæ fecisti. — *At rogitas?* at etiam quæris. Bene irascitur interroganti; nam interrogare quæ sciat, impudentiæ est. *Don.*

527. *Peperit filia.* Propositio criminis. — *Hem! taces?* Non *taces* nunc; sed *taces*, celas. *Don.* — *Ex quo*, scil. homine peperit? — *Istuc patrem*, etc. Ex sua interrogatione accusavit accusatorem. Quasi diceret: « Decetne te, patrem Philumenæ, suspicari castitatem filiæ, aut adulterium? »

528. *Perii!* Vox quasi omnino desperatæ mulieris, quod tam contumeliose percontari velit novæ nuptæ pater; et se satis callide fingit lædi Myrrhina.—*Nuptum*, cui nuberet. Et est supinum verbi *nubere*.

529. *Credo*, scil. filiam peperisse

Quid sit, quamobrem tantopere omnes nos celare volueris
Partum; præsertim quum et recte et tempore suo pepererit.
Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
Potius, quam advorsum animi tui libidinem esset cum illo nupta.
Ego etiam illorum esse culpam hanc credidi, quæ te est penes.
My. Misera sum. Ph. Utinam sciam ita esse istuc: sed nunc mî in mentem venit,
Ex hac re quod locuta es olim, quum illum generum cepimus.
Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.

ex marito suo. De partu quidem maritali persuasus est Laches a muliere, sed aliud crimen intendit, quod ista celaverit partum. *Perl.* — *Neque adeo*, neque enim.

530. *Volueris.* Codd. quid. We: *volueritis.*

531. *Pepererit.* Lindenbr. C. Reg, *peperit.* — *Recte et tempore suo.* Hæc duo ad legitimum partus spatium placet referre, potiusquam *recte* intelligere, *quod non monstrum peperit.* — *Temp. suo.* Ergo tum apud Græcos partus septimestris tempestivus habitus est. Nam post nuptias hic mensis agebatur septimus.

532. *Adeone perv. esse an.* Adde *potuisti.*

533. *Ex quo*, sc. puero, tanquam pignore caro matrimonii.

534. *Advorsum.* Par. p. var. *advorsus.* — *Potius*, junge cum *præoptares*, id est, præoptares, potius quam. — *Esset*, Philumena. — *Cum illo*, Pamphilo.

535. *Illorum esse.* C. G. m. invertit *esse illo.* Sup. script. *Pamphili et Sostratæ.* — *Ego etiam illor. esse*, etc. « Ego etiam adhuc culpam in illis residere credidi, quæ apud te est. » Nunc ergo peccatum totum credit esse Myrrhinæ.

536. *Ita.* In Ms. Lindenbr. *ita* abest. — *Utinam sc. ita esse istuc.* Utinam persuasum habeam te esse miseram. Quasi diceret : « Utinam certo sciam penes te non esse culpam. » Nam *miseros* non nisi innocentes dicimus. *Donat.* — *Sed nunc mî*, etc. Ordina : « sed quod locuta es olim de hac re venit nunc in mentem, etc. »

537. *Ex.* Be. ed. *de*, Donatum secutus ad Hec. ita citantem, vs. 711. — *Ex hac re.* De hujus matrimonii consequentiis.

538. *Nuptam fil. pati.* Consentire ut filia tua nuptui collocaretur.

539. *Qui pernoct.* Propter illud quod dixerat, vs. 157 : « quid interea ? Ibatne ad Bacchidem ? »

Mr. Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo.
Ph. Multo prius, quam tu, illum scivi habere amicam, Myrrhina;
Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiæ:
Nam id omnibus innatum 'st: at pol jam aderit, se quoque etiam quum oderit.
Sed ut olim te ostendisti, nil cessavisti eadem esse usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres; neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
Mr. Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siem,

540. *Mavolo.* Hoc Plautin. verb. hab. aliq. Mss. Fa. ac Be. Cæteri *malo.*—*Quamvis*, pro, quamlibet.—*Ver. caus.* Cf. vs. 382, 383. Quod enim libere confessa erat Pamphilo, id celare conatur maritum. —*Mavolo.* Hoc ad spectatores versa dicit.

541. *Illum.* West. leg. *illam* post *illum.* — *Habere amicam.* Meretricio amore detineri.

542. *Id.* Scilicet, *amicam habere.* Caveas autem *id* jungere cum *vitium.* —*Decrevi*, censui.

543. *Jam aderit.* Ms. Lips. *tempus.* Itidem. C. G. m. et Bru. C. e. cum nota, *præ senectute.* —*Id.* Amare.— *Innatum 'st.* Revocant hæc quæ Voltarius noster Cupidinis signo cuidam inscribenda sic reddidit:

Qui que tu sois, voici ton maître,
Il l'est, le fut, ou le doit être.

—Exemplum disciplinæ atticæ non uno loco poeta ostendit. Quod propterea observandum est, quia ad rationem argumenti non raro inde aliqua petuntur. *Bæcl.* — *Quoque etiam.* Guyetus existimat *quoque* glossam esse, *etiam* genuinum. At utrumque hoc item est, inf. vs. 734. — *Jam aderit*, supple, tempus. — *Se etiam quum oderit.* Quasi dicat: « Non solum odio habebit alienas mulieres et uxorem, sed etiam se ipsum. »—Vult Casaubonus per *oderit*, innui facti sui, i. e. amoris meretricii, odium.

544. *Nil cess. eadem.* We. p. var. *eand.* Sic et Mu. qui ordinat, *te ost. eamd. esse, nihil cess. usque. adh.* — *Nil*, pro *non.*

545. *Neu.* C. G. m. et Hal. *ne*, idque verius videtur, quum *neu* non sequatur, nisi *ne* præcedente. Infra vs. 587. Nisi forte τὸ *nihil*, vs. 544, locum τοῦ *ne* obtinere putetur. — *Neu*, pro *neve*, quod ipsum, pro *et ne.*—*Quod ego egissem*, i. e. nuptiæ, quas instituerant.

546. *Id ind. facit.* Indicat.—*Hæc res*, quod celavisti partum. — *Quo pacto*, qua sententia. — *Id factum*, sc. ut filia ab illo abduceretur.

547. *Censes cui.* Ed. 1469, *ei* ante *cui.* — *Cui mat. siem, Ut eo essem an.*

Ut eo essem animo, si esset nostro ex usu hoc matrimonium ?

PH. Tun' prospicere aut judicare nostram in rem quod sit potes ?

Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret

Exeuntem aut introeuntem ad amicam : quid tum postea?

Si modeste ac raro fecit, nonne ea dissimulare nos

Magis humanum est, quam dare operam, id scire, quî nos oderit ?

Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,

Quacum tot consuesset annos, non eum hominem ducerem

Nec virum satis firmum gnatæ. MYR. Mitte adolescentem, obsecro,

Ut eum animum haberem adversus eam, cui mater sim.

548. *Ex usu.* Sic Be. ut *usu* in arsi esset, non in thesi. Vulg. *ex usu esset nost.* — *Esset nostro ex usu.* Utile esset nobis, et nostræ filiæ.

549. In C. G. m. et Hal. hunc versum Myrrhina continuat; sequens demum tribuitur Phidippo. — *Prospicere* futura. — *Judicare* præsentia. — *Nostram in rem*, in utilitatem nostram.

550. *Aliquo.* Non a certa persona. Bene *aliquo :* ademit indicibus auctoritatem. — *Qui vid. eum dicer.* Non *qui vidisset.*

551. *Exeuntem aut introeuntem.* Posterius quidem verbum bene quadrat cum his, *ad amicam.* Prius autem nequaquam; nempe non dicitur *exire ad aliquem.* Σύλληψις est ergo διανοίας, ut ait Donatus, et comparat cum illo Ph. vs. 86, « in ludum ducere et reducere. » Homericum est, ait Bœcl. οἶτον καὶ οἶνον ἰδόντες. — *Quid tum postea?* quid inde conjiciendum est mali ?

552. *Nonne ea.* Be. *ea*, num. plurali offensus, ex auctoritate codd. suor. emittit. At vero item plurali poeta utitur infra vs. 561. *Perlet.* — *Modeste.* Adhibito modo : vel certe cum pudore et modestia, ut celatum voluerit. — *Dissimulare*, fingere ignorare.

553. *Quî nos oderit.* Sensus est, ut eo detecto magis odium Pamphili mereamus.

554. *Is.* C. G. m. *ipse.* — *Nam si is posset.* Oratorie. Non contentus defendisse Pamphilum, hoc ipso illum, quo accusatus est, laudat. *Donat.*

555. *Quacum.* Al. *quicum.* — *Non eum hom.* etc. Non solum, inquit, homo non esset, id quod forsitan nihil nostra intererat; sed quod nobis maximum est, vir stabilis filiæ esse non posset. *Don.*

556. *Mitte adol.* etc. Omitte, pre-

Et quæ me peccasse ais : abi, solum solus conveni.
Roga, velitne uxorem, an non : si est, ut dicat velle se,
Redde : sin est autem ut nolit, recte ego consului meæ.
PH. Si quidem ille ipse non volt, et tu sensti esse in eo,
Myrrhina,
Peccatum; aderam, cujus consilio fuerat ea par prospici.
Quamobrem incendor ira, te ausam facere hæc injussu meo.
Interdico, ne extulisse extra ædes puerum usquam velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem.
Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant.
MYR. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere.
Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,

cor, loqui de adolescente, et de iis in quibus ais me peccasse.

557. *Abi.* Be. ingerit *eum* frigide; cf. Eun. vs. 578. — *Conveni.* Imperativum est. « Sine arbitris cum Pamphilo colloquere. » Callide autem ablegat maritum ad Pamphilum, qui fidem dederat, se rem celaturum; adeoque solus, si reducere amplius nollet, culpam laturus erat.

558. *Si est ut dicat.* Periphrasis nostro familiaris, pro, quod si dicat. — *Vellet se*, sc. uxorem.

559. *Redde*, remitte eam. — *Recte ego cons. meæ*, fateberis recte a me prospectum esse filiæ nostræ.

560. *Sensti.* Ita legend. putab. Fa. Durum est quidem *sensti*, sed durius quod Cicero adfert, « extinxsti, » de Orat. II, 46. Vulg. *sensisti*, contra trochaici leges. — *Si quidem.* Si vere. Ne autem intellige, *quoniam.* — *Ille ipse.* Pamphilus, sua sponte. — *Non volt*, supp. uxorem recipere. — *Et tu sensti*, et si animadvertisti. — *Esse in eo peccatum.* Illum esse in culpa; in eo inhærere culpam divortii.

561. *Aderam*, etc. Ante hæc, supple, « Te etiam nocentem existimo; nam, *aderam*, etc. » — *Cujus*, ego cujus. — *Consilio*, sententia. — *Fuerat par*, decebat, æquum erat. — *Ea prospici*, omnia hæc provideri, disponi.

562. *Te.* Alii *esse.* — *Facere hæc*, abducere filiam, celare partum, exponere puerum.

563. *Ext. velis*, pro *efferas.*

564. *Stultior*, supp. sum. — *Hanc*, quasi, tam contumacem.

565. *Efferri*, sc. puerum. — His dictis, abit Phidippus.

567, 568. *Nam ut hic laturus hoc sit.* Junge, cum *non clam me est.* Vs. sq. — *Hic.* C. G. m. sup. script. *Pamphilus.* Errat interpres, et magis audiatur Bru. C. e. gl. *Phidippus.* — — *Ipsam rem*, *ut siet.* Si resciverit, ut sit ipsa res, id est, veritatem. Hoc nimirum, ex adulterio filiam peperisse. Supra, vers. 392. — *Levius.* Alii legunt, *leve.* — *Hoc*, *quod lævius est.* Scilicet, partum celasse.

Non ædepol clam me est, quum hoc, quod levius est, tam animo iracundo tulit;
Nec, qua via sententia ejus possit mutari, scio.
Hoc mî unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum,
Si puerum ut tollam cogit, cujus nos qui sit nescimus pater.
Nam quum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est,
Neque detractum ei est quidquam, quî posset post nosci, qui siet.
Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum.
Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, quum sciet alienum puerum tolli pro suo.

569. *Sent. ejus.* De puero non exponendo.

570. *Reliquum.* Script. Be. *reliquum.* Par. *relliq.* Mu. *relliquom.* — *Hoc un. rel. fue. malum.* Hoc mihi unum extremum malum restiterat.

571. *Si cogit.* Si vir meus me cogit. — *Puerum ut tollam*, i. e. ut educem. Infantes olim, simul ac nati erant, humi deponebantur. Ab humo vero pater tollebat, et in sinum recipiebat. Stat. «meus ille, meus; tellure cadentem Excepi.» Qui autem non tollebatur, pro abdicato, et abjectitio erat: quo respicit frequenter Terentius, ut sæpe adnotavimus.

572. *Non quita.* Quidam addunt, *ab ea.* — *Compressa*, vitiata. — *Forma*, compri mentis. — *Non quita est.* Ab activo *queo* passivum fecit, *queor*, retinendo participium *quita est*, sed antique dixit. *Don.*

573. *Detr. ei.* Lib. antiq. *tum.* — *Detractum ei est.* A Philumena reluctante contra vim stupri. — *Quidquam*, seu vestis, seu indicium certius. Lindembr. ex Pacuvio apud Fest. affert. « Repugnanti ego porro hunc vi detraxi annulum. » — *Quî*, ut. — *Nosci.* C. G. m. *noscier.*

574. *Annulum.* In libb. quos vidi fere omnibus script. est *anulus*, per unum *n*, non *annulus*, per duo. Duplum tamen, quod obvium fit ex consuetudine nostratium, cum pronuntiatione veterum potest conciliari; vid. Andr. vs. 123. — *Ipse erip.* E contrario, inquit, factum est, ipsa ut non eriperet, sed ipsi eriperetur. — Huic compara, quod Bacchis dicit infra, vs. 822. — *Annulum.* Hic ad exitum spectat παρασκευὴ, quia per annulum fiet cognitio. *Don.*

575. *Orata nostra*, quæ oravimus tacenda. Innuit sine dubio superiora. Cf. vs. 384, 385.

576. *Alienum puerum.* Proprie de notho. — Cum ratione timet Myrrhina eventum, quem virtus Pamphili discutit infra, vs. 649. — *Tolli*, educari.

SCENA SECUNDA.

SOSTRATA, PAMPHILUS.

So. Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abisse, etsi ea dissimulas sedulo.
Verum, ita me Dî ament! itaque obtingant ex te quæ exopto mihi,
Ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam meî; 580
Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem.

Sc. II. Mater Sostrata comperit Pamphilum idcirco nolle reducere uxorem, quod vellet matris injurias vindicare. Credit enim jurgio matris puellam discessisse. Et hoc igitur proprie agit Sostrata, uti rus ipsa discedat, si propter præsentiam uxor redire non vult. (*Perl.*) Sed alia causa est, cur Pamphilus non reducit, qui parere puellam vidit, et suspicatur ex alio: verum hoc celat. (*Eugr.*) In hac ergo scena velut qualitas negotialis in disputationem venit: justumne sit repudiari conjugem causa matris, et omnino quid fieri debeat. *Don.*

577. *Gnate mi.* Lib. ant. *mi gnate.* Dac. hic demum facit initium act. IV, propterea quod scena vacua sit a personis. — *Tibi me esse susp.* I. e. me in suspicionem venisse.

578. *Propt. meos mores*, supp. si libet, forsitan injucundos. — *Mores* autem proprie senum dicuntur: unde senectus *morosa*. Don. — *Ea.* Neutro genere utitur pro, *eam rem.* — *Dissimulas.* Bonum et honestum ingenium Pamphili demonstrat mater hac sententia. *Bœcl.*

579. *Exopto.* L. Bemb. *exoptem.* — *Verum, ita me Dî ament*, etc. Hæc integra constructio verborum, *ita me Dî ament, et ita obtingant ex te mihi quæ exopto, ut nunquam commerui sciens ut odium meî caperet illam.*

580. *Illam.* Ita Fa. recte; cf. supra vs. 219. Vulg. *illa.*—*Sciens.* Bona exceptio: quia possumus aliquem inscienter lædere; quæ res ad veniam pertinet. *Don.*

581. *Quam.* Be. ex vett. *quod* pro *quam.* — *Teq. ante quam*, etc. Ordo et sensus hic est, « et quod ante rebar, ei rei firmasti fidem meam: neque me fefellit, quod ante rebar, me a te amari; nam ei rei hodie firmasti fidem, i. e. probationem attulisti. » *Don.* — *Quam*, accipiendum est pro *quantum.* Obscuritatis causa hunc versum ejecit Guyetus. Bœclerus duram locutionem pronuntiat, vel postquam ita expedivit Donatus. Non ita Nobis videtur.

Nam mî intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Præpositam amori tuo : nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me præmium esse positum pietati scias.
Mi Pamphile, hoc et vobis et meæ commodum famæ arbitror.
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre,
Ne mea præsentia obstet, neu causa ulla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. PAM. Quæso, quid istuc consilî est?
Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?
Non facies; neque sinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.
Tum tuas amicas te et cognatas deserere, et festos dies

582. *Nam mî intus*, etc. Innuit nimirum superiora, vs. 515; dixit enim Laches supra, « Atque in eam hoc omne quod mihi ægre est evomam. » Potuit enim evomendo narrasse, quod matrem filius præposuisset uxori. *Donat.*

583. *Am. tuo.* Plus dixit quam si, *uxori tuæ* diceret. — *Me certum est referre.* Stat mihi deliberatum et constitutum, etc.—*Contra*, vicissim. — *Gratiam*, beneficium.

584. *Pietati.* Sic l. Vict. In antiq. *pietatis.* — *Ut ap. me præm. esse*, etc. Locus fere expressus ex Plaut. Pœn. V, 4, 17. *Perl.*

585. *Mi Pamphile, hoc et vobis*, etc. Rem duram dictura, vide quantis præblandiatur verbis, remque præmolliat.

586. *Certo.* Al. *certe.*—*Certo decr.* Sic affirmat, ne sit dissuadendi locus. Ordo est : « Ego certe decrevi me esse abituram rus, ne mea, etc. »

589. *Illius*, Philumenæ. — *Stultitia*, imprudentia. — *Victa*, adacta.

590. *Non fac.* Blande dissuadentis. —*Qui nobis mal. vel.* quicumque nobis obtrectare cupiunt.

591. *Esse factum*, scilicet cur habitatum rus iveris. — *Modestia*, moderatione, facilitate.

592. *Tum tuas amic.* etc. In dissuadendo commiscuit et honestatem et utilitatem. — *Festos dies.* Vult Paris. in marg. dici hæc festa χαριστία, quibus præter cognatos et affines nemo interponebatur. Val. Max. II, 1, 8. — Fortius hanc φαντασίαν Catullus movet carmine LXIII, vs. 58 : « Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo? Patria, bonis, amicis, genitoribus abero? Abero foro, palæstra, stadio et gymnasiis? » Vid. ed. nostr. Catull. pag. 220.

Mea causa nolo. So. Nil pol jam istæc mihi res voluptatis ferunt.
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum: satias jam tenet
Studiorum istorum : hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam.
Hic video me esse invisam immerito : tempus est concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnes causas præcidam omnibus,
Et me hac suspicione exsolvam, et illis morem gessero.
Sine me, obsecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
PAM. Quam fortunatus cæteris sum rebus, absque una hac foret,

593. *Pol.* Alii omittunt *pol.* — *Jam istæc.* Lib. antiq. *istæ;* quamvis et *istæc,* Fa. narrante, gen. fem. nominativo plur. efferebat antiquitas. — *Istæc res,* quas tu dicis, amicæ, cognatæ, dies festi.

594. *Ætat. tempus.* We. ed. *ætas, tempus,* nescio unde. Sed Par. *ætas,* exhib. pro glossa. — *Satias.* C. G. m. *satietas.* — Idem et al. *me.* — *Dum ætat. temp. tulit.* Cf. Andr. vs. 188. — *Ætatis,* adolescentiæ. — *Tulit,* permisit. — *Satias,* satietas. — *Jam tenet,* supp. *me.*

595. *Meæ.* Be. ed. ex antiq. *mea.* At minus latine videtur *mea Longinquitas,* quam *meæ Longinquitas ætatis.* — *Studiorum ist.* Harum amœnitatum.

596. *Exspectet.* Lib. ant. *exoptet.* — *Mort. exsp. meam.* Sub. *quis.* Per zeugma verborum.

597. *Immerito.* C. G. m. *immeritam.* — *Hic,* in hac domo. His conf. Menandr. πικρόν ἐστι θρέμμα γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων. — *Invisam;* leniter non addit, cui se putet invisam esse. — *Temp. est conced.* Similiter, si tam discrepantia conferre licebit, *Tartuffe,* in comœdia cui titulus idem est, act. III, sc. VII:

Rompons, rompons le cours de ces fâcheux débats.
Je regarde céans quels grands troubles j'apporte,
Et crois qu'il est besoin, mon frère, que j'en sorte.

598. *Præcidam,* adimam. — *Omnibus.* Bene omnibus, ne specialiter lædat nurum.

599. *Hac suspic.* Cf. infr. 821. — *Morem gessero,* obsequens, indulgens fuero.

600. *Hoc quod.* Hoc propter quod. — *Male audit,* vituperatur. Et *hoc* est, a socrubus male tolerari nurus.

601. *Absque una hac.* Sic West. Par. Itid. in Ms. Lips. sc. *re,* adeo ut *absque* sit præpositio. At libb. s. et e. maxim. part. c. Do. hab. *hæc,* ut *absq.* adverb. valeat pro *absque foret,* i. e. abesset. — *Absq. una hac foret.* Si hæc una res abesset, si hæc una res extra foret, i. e. hac una re excepta, nempe injuria quæ illata est Philumenæ.

Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem! So. Obsecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum induces pati.
Si cætera ita sunt, ut vis, itaque ut esse ego illa existumo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam. PAM. Væ misero mihi! 605
So. Et mihi quidem! nam hæc res non minus me male habet quam te, gnate mi.

SCENA TERTIA.

LACHES. SOSTRATA. PAMPHILUS.

LA. Quem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor.

603. Hunc versum Gu. male expungit. — *Obsecro, mi Pamph.* Adnotat *Lemonnier :* « Sostrata interrompt son fils, lorsqu'il veut parler de Philumène. Elle s'imagine qu'il va déclamer contre sa mauvaise humeur. Elle lui représente que ce défaut n'est rien en comparaison de la conduite des autres femmes, etc. Faute d'avoir fait attention que Sostrata et Pamphile ne s'entendent point, la plupart des commentateurs n'ont rien compris à ce passage. »

603. *Induces.* C. G. m. *inducas.* — *Non tute incomm. rem,* etc. Construe: « ut quæque uxor est, non tute inducas in animum te pati rem valde incommodam. » I. e. reputanti tibi quæ sit indoles vulgi uxorum, apparebit non intoleranda esse quæ deploras. Sententia autem verborum in eo vertitur, quod sæpe homines rebus ipsis multo minus vexentur, quam earum opinionibus.

604. *Ut vis.* Codd. Be. *tu.* — *Si cætera,* etc. Pamphilus scilicet cætera laudabat uxorem, ut optimam: hoc unum erat quod illi vitio verteret, quod ad mores socrus suæ mores suos componere non poterat. *Casaubon.*

605. *Reduc.* C. G. m. *reduce.* Itid. codd. Be. — *Da veniam hanc mihi.* Scilicet ut reducas illam. — *Væ misero mihi!* Exclamatio ingemiscentis Pamphili. Nec negat, nec promittit, ait Donatus. Sed intumescit, utpote qui penitus dolore commotus, æstum animi dissimulare jam non potest.

606. *Nam hæc res,* etc. Hic in lacrymas solvitur Sostrata, quæ orationem absorbent. *Bœcl.*

Sc. III. In hoc colloquio reconciliatio senum est post jurgium, mixta disputatione Pamphili de non reducenda uxore. *Don.*

607. *Hinc.* Codd. Be. *Hic.* — *Istoc.* Filio nostro Pamphilo. — *Procul.*

Istuc est sapere, quî ubicumque opus sit, animum possis flectere,
Quod sit faciendum fortasse post, idem hoc nunc si feceris.
So. Fors fuat pol. La. Abi rus ergo hinc : ibi ego te, et tu me feres.
So. Spero ecastor. La. I ergo intro, et compone, quæ tecum simul
Ferantur. Dixi. So. Ita ut jubes, faciam. Pam. Pater.
La. Quid vis, Pamphile? Pam. Hinc abire matrem? minume.
La. Quid ita istuc vis?
Pam. Quia de uxore incertus sum etiam, quid sim facturus.
La. Quid est?
Quid vis facere, nisi reducere? Pam. Equidem cupio, et vix contineor.

Non ita longum spatium significatur, quin sermo alterius audiatur. De hoc sensu vero notabili notant grammatici. Vid. Perizon ad Sanct. Minerv. — *Accepi*, scil. auribus.

608. *Opus sit.* C. G. m. gl. interl. *aut ad manendum in urbe, aut commigrandum rus.* — *Ist. est sapere, quî ubicumq.* etc. *quî* sume pro *quomodo*, vel *ut*. Post *flectere* credimus cum Casaubono novam incipere sententiam. Duo enim videtur dicere, quæ tamen eodem recidunt : nempe in eo veram sapientiam versari præcipue, ut ubicumque opus sit, animum possis flectere, et quod faciendum tibi fortasse sit postea ingratiis, id si voluntate tua (ut alibi loquitur) prius quam cogat necessitas, feceris.

610. *Fors fuat.* C. G. m. *faveat*, sed a manu posteriore. Al. *fiat.* Ms. Par. itid. absque *fors ;* i. q. εἴη, sit, fiat. — *Fors fuat pol.* Si tantum fortuna æqua faveat, et *fuat* significat *sit* a gr. φύω, unde superest *fui* et *futurus.* — *Ibi ego te, et tu me feres.* Oblique hic senex nurum suam et Pamphilum objurgat, quasi diceret: quoniam hic nolunt nos pati, eamus rus, ubi nosmet invicem nos feremus.

611. *Spero ecastor*, scilicet fore ut tu me laturus sis, et ego te. — *Compone, quæ*, etc. Innuit vel mundum muliebrem, vel alias sarcinas.

612. *Dixi.* Cum vi asseverandi. — *Ita ut jubes, faciam.* Abit, modeste semper viro obsequens. — *Pater.* Vox supplicantis.

613. *Hinc abire matrem?* Subaud. *sinesne* — *Minume*, sc. hoc fiat.

615. *Contineor.* Lib. ant. *contineo.* — *Equid. cup.* Hæc Pamphilus seorsum. — *Cupio*, uxorem reducere. — *Vix contineor*, quin reducam, ex Donato; vel post Guyetum : vix contineo me, quin partum Philumenæ aperiam. Priorem sensum melius erit accipere, utpote qui Pamphilo sit honestior, et melius congruat cum indole nota juvenis.

Sed non minuam meum consilium : ex usu quod est, id
persequar.
Credo ea gratia concordes magis, si non reducam, fore.
LA. Nescias : verum id tua refert nihil, utrum illæ fuerint,
Quando hæc abierit : odiosa hæc est ætas adolescentulis.
E medio æquum excedere est : postremo nos jam fabulæ
Sumus, Pamphile, « Senex atque Anus. »
Sed video Phidippum egredi per tempus : accedamus.

616. *Minuam.* Mutabo. Gallice diceremus, *je n'en rabattrai rien.* — *Meum consilium*, non reducendi. — *Ex usu quod est*, id quod expedit et utile est.

617. *Magis.* Fa. *magis* delevit, quod Be. retinendum putat. — Nec Be. nec Bo. *non* eliminantibus assentior. Nam mihi quidem e sermone pensatō Pamphilus videtur *non reducendam* satius putare, quam *reducend.* Philumenam ; cf. infra vs. 634. *Perl.* — *Cr. ea gr.* etc. Sententiose dixit, tunc posse inter se congruere et concordare mulieres, quum et illa esse desierit socrus, et illa nurus. Hæc enim inter alias est dissidiosa conjunctio. Et satis ingeniose dictum. Tolle enim inter mulieres proximitatem, et nulla causa discordiæ est. *Don.* — Aliter explicat Casaubon. « Credo si non ostendam me cupidum, et exspectem dum illa cupiat, et parentes offerant; eo magis in posterum fore obsequentem matri, etc. »

618. *Nescias.* C. G. u. et Hal. add. *nequeas.* Speciem glossæ habet. — *Nescias*, suppl. utrum eventurum sit, concordesne futuræ sint, an discordes. — *Utrum*, consentientes aut dissentientes.

619. *Abierit.* L. Bemb. *aberit.* — *Hæc abier.* mater tua. — *Od. hæc est ætas adol.* H. e. ætas senilis Sostratæ. Nunc mitigatior culpam discordiæ a persona ad ætatem transfert Sostratæ.

620. *Æq. exc. est.* Al. *æq. est exc.* — *E medio*, ex cœtu hominum.

621. *Postr.... « Senex atque Anus. »* Donatus putat alludi ad veterem fabulam, quam narraturi ut plurimum ab his verbis, « Senex atque Anus », incipiebant. Ita certe etiam in Plauto, nescio quis exordiatur apologum : « fuit olim quasi ego sum senex, etc. » *Mer. Casaub.* Vertit gallice in notis Faber : «Nous ne sommes plus tous deux bons qu'à faire la matière d'une fable, d'un conte : il y avait un jour un bon homme et une bonne femme. »

622. *Per tempus*, opportune.

SCENA QUARTA.

PHIDIPPUS. LACHES. PAMPHILUS.

PH. Tibi quoque ædepol iratus sum, Philumena,
Graviter quidem : nam hercle abs te est factum turpiter;
Etsi tibi causa est de hac re : mater te impulit;
Huic vero nulla est. LA. Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis. PH. Quid est ?
PAM. Quid respondebo his ? aut quo pacto hoc operiam ?
LA. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam,
Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. PH. Ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua.
A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.
PAM. Mutatio fit. PH. Ea nos perturbat, Lache.

Sc. IV. In hac scena ad remotionem ultimi erroris Bacchide advocanda acceditur, ac deinde, turbis cæterarum rerum sedatis, catastrophe paratur.

623. *Iratus sum.* Lib. ant. invert. *sum irat.* — *Tibi quoque.* Quasi dicat : « non solum matri tuæ, aut etiam socrui tuæ. Notandum est insuper, Phidippum a puerpera modo egressum, quo paulo ante vs. 563 intraverat. *Perl.*

624. *Est factum.* Sic codd. Be. Vulg. *fact. est.* — *Abs te fact. turp.* Scilicet quod abscesseris domo mariti.

625. *Mater.* Don. leg. pariter *mater;* at codd. Be. add. *quæ.* — *Mater te impulit.* Hæc parenthesi non male includerentur.

626. *Nulla est,* suppl. *causa,* i. e. defensio.

627. *In ipso temp.* Absolvi potest sententia : «quo optab. te ostendi. »

628. *Operiam.* Al. *aperiam.* Itid. C. G. m. c. gl. *propt. quod Phil. nolo reducere.* — *Quid resp. his.* Patri et socero. —*Hoc,* quod promisi me taciturum. — *Operiam,* celabo. — Si legis *aperiam*, intellige *hoc,* scilicet propter quod Philumenam nolo reducere.

629. *Rus concess.* Quod scil. jusserat Laches. Cf. supra vs. 610.

630. *Ne revereatur.* Quasi socrus meruerit non odium, sed reverentiam. — *Minus jam quo.* Τμῆσις cum ἀναστροφῇ, ut sit ordo, *quo minus redeat.*

631. *De his reb.* in eis quæ attinent ad hunc discessum. — *Tua,* uxor.

633. *Mutatio fit.* Guyet. dictiones *mut. fit* non capiens delevit. Rectius Be. tribuit Pamphilo, quod is secreti conscius a senib. se avertens loquatur. — PAM. *Mut. fit.* Scilicet criminis et culpæ. Hæc secum

PAM. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.
PH. Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Adfinitatem hanc sane perpetuam volo;
Sin est, ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum. PAM. Sensit peperisse; occidi!
LA. Puerum? quem puerum? PH. Natus est nobis nepos:
Nam abducta a vobis prægnans fuerat filia,
Neque fuisse prægnantem unquam ante hunc scivi diem.
LA. Bene, ita me Dî ament! nuntias, et gaudeo
Natum illum, et illam salvam: sed quid mulieris
Uxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Nosne hoc celatos tamdiu? nequeo satis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.
PH. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Lache.

Pamphilus (ut legimus), qui gaudet primo ita dimoveri a matre suspicionem, tum sperat inde effugium sibi parari. — *Ea*, Myrrhina. —*Nos pert.* est causa perturbationis nostræ.

634. *Dum ne*, dummodo non. — *Reducam* Philumenam. — *Turbent, quam velint.* Tumultuentur, et contendant Laches et Phidippus, quantum eis placeat.

636. *Perpetuam.* Jam enim est confirmata: sed perpetuam cupit. *Donat.*

637. *Sin est, ut aliter tua siet*, etc. pro simplici, *sin aliter siet*, etc.

638. *Accip. puerum.* Jure, quia liberi patrem sequuntur. Et mire hoc maxime adjecit, quod maxime recusat Pamphilus: et propter quod uxor quoque non reducitur. Et *accipias* pro *accipe*. Donat. — *Sensit peperisse.* Comperit Phidippus Philumenam peperisse. — *Occidi.* Desperantis est. Nihil enim habet Pamphilus quod socero opponat. Scilicet ne dicat se recusari uxorem, Myrrhinæ data impedit fides. *Perl.*

639. *Puerum? quem puerum?* Bene cum consternatione animi: quod nunquam fando acceperat. — *Nobis*, utpote avis.

640. *Prægnans.* L. Bemb. et Vat. teste Fa. *prægnas.* — *Prægnans*, gravida.

642. *Bene nuntias.* Jucundam rem mihi nuntias. — *Ita me Dî ament!* Formula affirmandi.

643. *Illum*, nepotem. — *Illam*, Philumenam.

644. *Quid mulieris Uxor. h.* Cum contemptu quodam dicit, pro *quam* uxorem. — *Moratam*, instructam.

645. *Hoc.* C. G. *hic.* Ibidem gl. *decuit.* — *Nos ne hoc celat. tam diu?* Supple, *decebat*, vel quiddam simile. —*Nequeo satis*, junge cum *proloqui*, in vs. seq.

646. *Hoc*, celavisse partum.

647. Hunc locum apud Be. pro licentia ejus plane mutatum videbis. — *Lache.* Al. *Laches.* — *Non tibi il-*

PAM. Etiam si dudum fuerat ambiguum hoc mihi,
Nunc non est, quum eam sequitur alienus puer.
LA. Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio 'st.
PAM. Perii. LA. Hunc videre sæpe optabamus diem,
Quum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit: habeo gratiam Dîs. PAM. Nullus sum.
LA. Reduc uxorem, ac noli advorsari mihi.
PAM. Pater, si ex me illa liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam; satis certo scio,
Non clam me haberet, quod celasse intelligo.
Nunc, quum ejus alienum a me esse animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac arbitror:
Quamobrem reducam? LA. Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit: mirandumne id est?

lud, etc. Tibi factum illud minus non placet quam mihi, æque ambobus displicet. Et *minus placet* facile accipi potest pro *magis displicet*.

648. *Hoc*, reducerem necne uxorem.

649. *Quum eam sequitur*. Metaphora a pecoribus, quæ ut mox nata fuerint, matres sequuntur. *Don.* — Est hoc seorsim dictum a Pamphilo: «quum Philumenæ sit natus ex alio filius, est cur abhorream magis ab ea reducenda.»

650. *Consultatio*, ratio objicienda.

651. *Sæpe*. Mss. quid. *semper*. — *Perii*. Hoc secum Pamphilus.

652. *Aliquis*. C. G. m. sup. script. *natus*.

654. *Reduc uxorem*. Hoc idem suaserat, immo jusserat mater, supr. vs. 605.

655. *Pater, si ex me illa*. Nactus est Pamphilus ex verbis senis aliam causam dissidii. — *Ex me*, scilicet natos.

657. *Quod*. Sic leg. Bemb. recte. Do. *quæ*. Alii demum legunt *quem*, scilicet partum. — *Non clam me haberet*, etc. Non mihi tacuisset partum quem sentio me ignoravisse.

659. *Arbitror*. Be. cum Mu. *arbitrer*, idque ob *sentiam*, et *nec* partic. copulativam subsequent. Recte. At hic quoque maxime Be. ut fere solet ubique, Terentium ex norma magis oratoris quam pro quotidiani sermonis licentia mutaturus mihi videtur; atque in eo mecum etiam We. consentit ad vs. 646 dicens, more comico indicativum usurpare Nostrum pro subjunctivo, quod idem Plauto sit familiare. Supra vero vs. 646 item erat dicend. *videatur* pro *videtur*. — *Conventurum*, impersonaliter dictum.

660. *Quamobrem red*. Firmior facta est conclusio per interrogationem. — *Sua*, pro ipsius, quod melius ad leges grammaticæ reponeretur.

661. *Fecit*, i. e. partum celavit. — Supra «Etsi tibi, Philumena, (ado-

Censen' te posse reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa ? an quia non delinquunt viri ?
PH. Vosmet videte jam, Lache, et tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, reductan' domum.
Uxor quid faciat, in manu non est mea.
Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero ? LA. Ridicule rogas.
Quidquid futurum 'st, huic suum reddas scilicet,
Ut alamus nostrum. PAM. Quem ipse neglexit pater,
Ego alam ? LA. Quid dixti ? eho, an non alemus, Pamphile ?
Prodemus quæso potius ? quæ hæc amentia est !
Enim vero prorsus jam tacere non queo.
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me ?

lescenti mulieri) causa est de hac re, mater te impulit. »

662. *Ullam mulierem.* Quasi dicat, si hanc repudiaveris.

663. *An quia non del. vir.* Gallice ad litteram verteres : « est-ce à dire que les hommes n'ont jamais de torts? » Si autem nec ipsi viri sunt immunes a culpa, quanto magis ferendæ mulieres.

665. *Remissan'.* Lib. ant. *remissam.* — *Reductan'. Reductam.* In al. libb. per *n* in fine, ut sit, Do. narrante, *remissane, reductane.* Quod utrumque quidam edid. per apostroph. *remissan', reductan'.* — *Remissa,* ad suos. — *Reducta,* ad vos, supple, Philumena.

666. *Uxor q. faciat.* In quam nimirum omnem contulerat culpam. Cf. vs. 632.—*In manu,* in potestate.

667. *Neutra in re,* hoc est, sive remittatur, sive reducatur Philumena, promittit suam facilitatem.

668. *Ridicule,* sane per risum.

669. *Quidq. fut. est.* Sive nempe reducturus sit domum uxorem, sive non. — *Huic,* Pamphilo.

670. *Ipse.* Don. *ipse* et *ipsa* legit, quorum utrique suam add. explicationem.—*Nostrum.* Pamphili filium, nepotem meum, utrumque *nostrum.* — *Pater.* Is, nescimus quis, a quo Philumena fuerat compressa; vid. supr. 571. Hæc verba obmurmurat Pamphilus, scilicet vix ausus fidem silentii datam solvere.

671. *Ego alam ?* Hoc erumpit ex animo affectu fortius; et causæ est cur pater invehatur in Pamphilum.

674. *Ut præs. hoc loq.* Ostendit poeta, affectu ulterius, quam decet, provehi senem, sed cum confessione morata, quæ patris officium in tegendis apud alios filiorum erratis declararet. Add. vs. 712. *Bœcl.*

675. *Tuarum lacr.* quas non ipse, sed Sostrata deprehenderat. — Et ex his lacrymis conjicit amari meretricem a Pamphilo.

Præsertim in ea re quum sit mi adjutrix socrus.
LA. Fugis? hem, nec quiquam certi respondes mihi?
Num tibi videtur esse apud sese? sine.
Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam. PH. Maxume.
Non mirum fecit uxor, si hoc ægre tulit.
Amaræ mulieres sunt, non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira 'st: nam ipsa narravit mihi.
Id ego hoc præsente tibi nolueram dicere,
Neque illi credebam primo; nunc verum palam est.
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
LA. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consili?
PH. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo.
Oremus, accusemus gravius; denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
LA. Faciam, ut mones: eho, curre, puer, ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram, huc evoca verbis meis.

705. *Socrus*, quæ scilicet hunc exponendum censeat. — Post hæc, abit Pamphilus.

707. *Num tibi vid.* etc. Hæc loquitur Laches ad Phidippum, defugiente Pamphilo. — *Apud sese*, animi bene compos. — *Sine*, supp. *me facere*. Formula comminantis.

708. *Mihi cedo*, mihi trade. — *Maxume*, tradam libentissime.

709. *Uxor*. Al. *mea*. Quod alii omittunt. — *Non mir. fec. uxor*, etc. Non rem mirandam et vituperandam fecit uxor mea, Myrrhina, si a moribus Pamphili, ut sese habent, abhorruit.

710. *Amaræ*. Asperæ. — *Hæc*, pellicatum, et furtivos maritorum amores.

711. *Ipsa narr. mihi*, supr. vs. 538, 539.

712. *Hoc præsente*, scil. Pamphilo.

713. *Verum*. Lib. antiq. *vero*. — *Neq. illi cred. primo*. Neque ego uxori id narranti primo fidem habebam. — *Nunc ver. palam est*. Verum nunc res est in plano.

715. *Consili*. C. G. m. et al. *consilii*. *Quid das cons*. Mire conturbatur pater.

716. *Hanc*, quasi dicat, quæ nos perturbat. — *Primum*. Bene *primum*, ut intelligamus deinde Pamphilum.

717. *Oremus*. Eloquamur. Potest intelligi et *rogemus*; sed non convenit personæ potiori, et causæ, et ipsi verborum ordini. *Don*.

718. *Rem*. Consuetudinem amatoriam.

720. *Verbis meis*, meo nomine.

At te oro porro in hac re adjutor sis mihi. PH. Ah,
Jamdudum dixi, itidemque nunc dico, Lache,
Manere adfinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo est, ut possit; quod spero fore.
Sed vin' adesse me una, dum istam convenis?
LA. Immo vero abi, aliquam puero nutricem para.

721. *At.* Sic lib. Bemb. pro *Et* vulg. — *Porro*, deinde. — *In hac re.* In restituenda concordia.

722. *Itidemque.* C. G. m. *idemq.* — *Itid. nunc dico.* Idemque nunc verbis confirmo.

723. *Manere*, perpetuam esse. Supr. vs. 619.

724. *Si est ut possit*, pro simplici *si possit*; et subaudi, *manere.*

725. *Vin'.* C. G. m. et Hal. *visne.* — *Vin'.* Visne. — *Adesse una.* Tecum præsentem esse. — *Convenis*, alloqueris.

726. *Vero.* Abest *vero* a C. G. m. et Hal. — *Immo vero.* Quasi diceret, *potius.* — *Para*, quære, adducendam cura. — *Nutricem.* Paupertatis nota erat Athenis, si ipsæ matres alerent liberos.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

BACCHIS. LACHES.

BAC. NON hoc de nihilo 'st, quod Laches me nunc conventam esse expetit;
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit, quod velit.
LA. Videndum est, ne minus propter iram hinc impetrem, quam possiem;
Aut ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.
Aggrediar. Bacchis, salve.

ACT. V. Sc. I. Rarus vitæ color in hac locutione miscetur a Poeta. Nam meretrix loquitur, et senex; et quod est mirabilius, bona meretrix. Quæ cæterum de se, quod verum dicat, argumenta fidei proponit cujuscumque generis, imprimis jusjurandum, deinde fidem tormentorum. Nam servus promittitur in tormenta. Quibus rebus quum purgata meretrix fuerit, persuadetur ei, ut ad matrem pergat, jurandi gratia. Hæc secund. *Don.* et *Eugr.*

727. *Nunc conv.* Sic l. Bemb. et Vatic. *nunc me conv.* minus numerose. — *Non hoc*, etc. Construe: hoc, propter quod Laches expetit me conventam, non est de nihilo, non est sine causa.

728. *Nec pol me mult. fall. quin*, etc. Parum abest quin habeam pro comperto, causam esse hanc quam suspicor. Ordo est: *quin quod velit, sit quod susp.* Hæc Bacchis secum.

729. *Hinc.* Ita Be. pro *hunc* vulg. Est autem *hinc* Terent. more, et significat h. l. ab hac Bacchide. Ad. 363. — *Videndum*, cavendum. — *Propter iram*, si iracundius agam. — *Quam poss.* scilicet impetrare absque ira.

730. *Aut ne quid*, etc. Repete *videndum est*; et nota, *plus*, *minus*, opponi sibi invicem concinne. Illud

BAC. Salve, Lache. LA. Ædepol credo te non nil mirari, Bacchis,
Quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi.
BAC. Ego pol quoque etiam timida sum, quum venit mihi in mentem, quæ sim,
Ne nomen quæsti mî obsiet; nam mores facile tutor.
LA. Si vera dicis, nil tibi est a me pericli, mulier:
Nam jam ætate ea sum, ut non siet peccato mî ignosci æquum.
Quo magis omnes res cautius, ne temere faciam, adcuro.
Nam si id nunc facis facturave es, bonas quod par est facere,

intellige: « Ne quid violentius faciam, quod postea infectum esse melius sit. ».

731. *Aggrediar*, accedam.

732. *Ædepol.* C. G. m. scrib. *edepol.* — *Non nil.* Aliquantulum. — Ipsum autem proœmium mollius et lenius est, ut ostendat, se non jurgaturum senex.

733. *Evocare.* C. G. m. *evocari.*

734. *Mihi.* Fa. putavit *mihi* esse addititicium, sed non ausus est ejicere. Be. ejecit. Habent l. s. et edit. — *Quoque*, quod ad me attinet. — *Etiam*, non mirari solum, sed etiam timere se dicit. — *Quæ*, qua conditione.

735. *Quæsti.* Sic legit Bemb. vetusta declinatione. Vulg. *quæstus.* — *Mí obsiet.* Lib. ant. *obstet apud te.* — *Ne*, junge cum *timida sum*, vel *timeo.* — *Ne nom. quæsti mi obs.* Ne nomen meretricis, propter quæstum quem exerceo, mihi apud te noceat. — *Nam mores f. tut.* Sensus: « etsi nomen meretricis fero, mores tamen publicos amo probare atque defendere. » Adnotat hoc loco Dacieria: « En notre langue, une courtisane qui dirait, *mores facile tutor*, nous paraîtrait ridicule; nous sommes accoutumés à prendre une femme débauchée pour une créature qui a toutes sortes de défauts. Dans ce caractère de Bacchis, Térence n'a pourtant rien fait contre la vraisemblance. Toutes les courtisanes ne sont pas également méchantes; et il peut y en avoir, etc. »

737. *Pecc. mí.* De hac voce explicanda multi frustra sudarunt. Sunt qui putent adhiberi pro ἡμαρτηκότι, ut participium præteritum sit, significatione activa. Sic Heins. ad Prudent. Apoth. vers. 816, huc respiciens. Par. explic. « si quid peccatum fuerit. » Tunc enim *peccato* esset ablativus absolutus. Cujus exempla sunt Liv. IX, 30: « Impetrato, ut manerent. » Itidem Vell. Paterc. II, 107. — Sensus: ut, ubi ego peccaverim, non debeat mihi ignosci. *Schol.*

738. *Quo mag. caut.* abundat *magis* propter *cautius.* — *Omnes res ne tem. fac. acc.* Ne imprudenter et inconsiderate quidquam faciam.

739. *Fact. es.* Etiamsi non sit locus ut facias. — *Bonas.* Bene, ait

Inscitum offerre injuriam tibi immerenti, iniquum est.
BAC. Est magna ecastor gratia de istac re, quam tibi habeam.
Nam qui post factam injuriam se expurget, parum mî prosit.
Sed quid istuc est? LA. Meum receptas filium ad te Pamphilum. BAC. Ah!
LA. Sine dicam: uxorem hanc prius quam duxit, vestrum amorem pertuli.
Mane, nondum etiam dixi quod te volui: hic nunc uxorem habet.
Quære alium tibi firmiorem, dum tibi tempus consulendi est.

Perletus : ne odiose dicat meretrices, ne amicas quidem.

740. *Tibi.* Lib. ant. *me.* Non hab. Do. et l. Bemb. Distinctionem sequor vulgatam. Fa. jungit *immer.* cum *iniq. est*, colo posito ante. — *Inscitum.* Inelegans et inhonestum est; vel, me inelegantem.

741. *Est magna*, etc. Ordo est: ecastor gratia, quam habeam (debeo habere) t. de h. re, est magna. — Ad hunc versum adnotat Donatus: « Imitatur hic et senile et femineum tardiloquium. » Sed cur, refellit Bœclerus, ad sexum et ætatem referimus, quod habet propiores in ipsa οἰκονομίᾳ causas? Nam et Laches decreverat, accurate agere ac comiter; et Bacchis blandæ orationis subsidio ad senem, quem sibi adversum jam suspicabatur, uti constituerat. Unde postea senex, vs. 760: « facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit. »

742. *Mî prosit.* Mihi commodum attulerit. His innuit malle se excusationes ante injuriam quam post injuriam fieri.

743. *Sed q. ist. est?* supp. propter quod me compellatam voluisti? — *Receptas*, frequentius recipis. — *Ah.* Quod falsum est, reclamavit meretrix statim; et voluit contradicere, si permitteret senex. *Don.*

744. *Sine dicam.* Interpellat senex. — *Hanc*, quam nunc habet. — *Vestrum.* Non ipsius Pamphili. Ergo blande et honorifice. Non enim illius amorem et tuum quæstum; sed amorem vestrum. Nihil potuit dici familiarius. *Pertuli* autem, quantam vim patientiæ habet, quantumque ponderis, ne lædi mereatur ulterius! *Donat.*

745. *Mane, nond. etiam*, etc. Interpellabat enim Bacchis, non sustinens audire, quæ sibi falso objici sciebat. *Casaub.* — *Quod te volui*, supp. audire. — *Hic n. uxor. habet.* Cum denuntiatione pronuntiandum est: quasi dicat: « Alia res est. »

746. *Tibi.* Lib. ant. *amicum.* Alii non hab. — *Firmiorem*, stabiliorem amatorem. — *Dum tibi temp. cons. est.* Sensus, dum ætas in flore posita est, facies vendibilis etiam nunc est. Et est ordo: « *Dum temp. cons. est tibi.* » Don.

Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem istac ætate.

BAC. Quis id ait? LA. Socrus. BAC. Mene? LA. Te ipsam : et filiam abduxit suam,

Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, exstinguere.

BAC. Aliud si scirem, quî firmare meam apud vos possem fidem,

Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Lache,

Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.

LA. Lepida es : sed scin', quid volo potius, sodes, facias? BAC. Quid vis? cedo.

LA. Eas ad mulieres hinc intro, atque istuc jusjurandum idem

Polliceare illis; exple animum iis, teque hoc crimine expedi.

747. *Ætatem.* Abest *ætatem* a C. G. m. et libb. Be. Explic. Nonius *diu.* Eun. — *Ille,* Pamphilus. — *Hoc an. erit,* supp. erga te; i. e. eodem amore te prosequetur. — *Ætatem,* per integram ætatem. — *Neq. pol tu ead. ist. æt.* supp. florebis, vigebis; vel quiddam aliud. Eadem fere (licet in finem longe alium scribit), J. J. ROUSSEAU, *Nouvelle Héloïse,* part. 1, lett. 26 : «Vois la rapidité de cet astre qui jamais n'arrête ; il vole, et le temps fuit, l'occasion s'échappe : ta beauté, ta beauté même aura son terme ; elle doit décliner et périr un jour, etc.»

748. *Quis id ait?* Scilicet me receptare tuum filium. — *Mene,* subaud. recept. fil. Vid. vs. 743. — *Abduxit.* Proprie. *Abduci* enim dicuntur, quæ a viris aut parentibus abstrahuntur, maxime tamen libidinis causa. *We.* — Sic item Suet. Aug. 69, et Just. 21, 2 : «Virgines (Dionysius) ante nuptias abducebat.» *Perl.*

749. *Voluit... exsting.* Fingit hæc senex.

750. *Al. si scir.* etc. Ordo est, si scirem aliud sanctius quam jusjur. etc. — *Quî,* quomodo. — *Firmare fidem,* verbis auctoritatem dare.

751. *Lache.* C. G. m. *Laches.*

752. *Segr. hab.* pro *segregavisse.* — *Ut,* statim ac, quam primum.

753. *Vis.* Mu. ejecit τὸ *vis,* quo omisso faceret catalecticum ex acatalectico versum. — *Lep. es.* Amanda mihi es, quæ dicis talia. — *Potius,* amplius. — *Sodes,* si vis tu ipsa. — *Cedo,* dic.

754. *Eas.* Subjunct. ex *ire, eo.* — *Ad mulieres.* Philumenam et Myrrhinam. — *Istuc,* quod mihi pollicebaris.

755. *Iis.* C. G. m. *hiis.* — *Exple.* Hic *explere* accipiendum pro *satis-*

BAC. Faciam, quod pol, si esset alia ex quæstu hoc, haud faceret, scio,
Ut de tali causa nuptæ mulieri se ostenderet.
Sed nolo esse falsa fama gnatum suspectum tuum,
Nec leviorem vobis, quibus est minume æquum, viderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
LA. Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit.
Nam non sunt solæ arbitratæ hæ; ego quoque etiam hoc credidi.
Nunc quum ego te esse præter nostram opinionem comperi,
Fac eadem ut sis porro; nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facias..... sed reprimam me, ne ægre quidquam ex me audias.

facere; ut et Andr. vs. 188: « Sivi animum ut expleret suum.» Explicat West. « Exple mulieribus animum scire cupientibus receptesne etiam nunc Pamphilum, an minus.» — *Hoc cr.* Hujus criminis suspicione.

756. *Faciam q. pol.* etc. Ordina: faciam quod alia haud faceret, scio pol, si esset ex hoc quæstu quo sum, (i. e. hac conditione).

757. *Ut*, explicativum est τοῦ *faceret*, vs. præced. — *De tali causa*, propter talem causam, propter amorem mariti in pellicem.

758. *Falsa fama susp.* Venire in suspicionem culpæ, quæ falsa est, et ex qua falsus rumor differatur.

759. Var. ordo verborum in h. vs. — *Nec lev.* Supple *eum* et junge cum *viderier*. — *Leviorem*, minus constantem. — *Quibus est min. æq.* Sub. eum videri talem.

760. *Nam mer.* etc. Construe: *Nam mer. est de me ut commodem* (consulam) *illi*, secundum omne illud secundum *quod queam* commodare.

761. *Facilem benev.* Prius retulit Donatus ad peccatum, posterius ad iracundiam. Conf. supra, vs. 729, 738. — *Lingua tua*, h. e. oratio lepidæ mulieris. Notamus, quod comicum est, Bacchidem meretricem seni austero, etiam invito, placere atque probari. *Perl.*

762. *Hæ.* Tanaq. Fab. *hæc* ob metrum. Itid. libb. Be. Andr. 657. — *Arbitr.* te receptare Pamphilum. — *Hæ*, Myrrhina et Philumena.

763. *Te esse*, tuos mores se habere. — *Præter*, contra.

764. *Eadem*, hoc est, purgata. — *Porro*, postea. — *Amicitia.* Non jam amplius amore filii, sed *amicitia nostra.* — *Ut voles*, quantum tibi libebit.

765. *Aliter si facias...* Plura dicturus abrumpit sermonem. Bene: ne inscite agat cum scita et bona. — *Ægre quidq. aud.* Hoc est, ne quidq. aud. quod ægre tibi sit.

Verum te hoc moneo unum, qualis sim amicus, aut quid possiem,
Potius, quam inimicus, periclum facias.

SCENA SECUNDA.

PHIDIPPUS. LACHES. BACCHIS.

PH. Nil apud me tibi
Defieri patiar, quin, quod opus sit, benigne præbeatur.
Sed tu quum satura atque ebria eris, et puer ut satur sit, facito.
LA. Noster socer, video, venit; nutricem puero adducit.
Phidippe, Bacchis dejerat persancte. PH. Hæccine ea 'st?
LA. Hæc est.
PH. Nec pol istæ metuunt Deos, neque has respicere Deos opinor.

766. *Moneo*, junge cum *periclum facias*, vs. seq.

767. *Periclum fac.* Lib. ant. add. *B. faciam sedulo.* Sed hanc responsionem Bacchidis non hab. l. Bemb. nec est mihi in C. G. m. nec vidisse se in suis Be. testatur, nisi in uno. *Perl.* — *Quam inim.* Quam periclum facias (experiaris) qualis sim inimicus. Hoc genus comminationis, ut ait Donatus, minus habet amaritudinis, sed plurimum gravitatis.

Sc. II. Verba nutricis fuisse Poeta demonstrat petentis longo ordine, quæ sibi præbenda sint. Unde quasi tædio singulorum generaliter hæc respondit. *D.* — Sequitur pars superioris controversiæ postrema, acrior. Pater enim puellæ negat juranti credi oportere meretrici. *Eugr.* — *Tibi*, nutricem alloquitur.

769. *Defieri*, deesse. — *Benigne*, large.

770. *Tu quum.* Sic veriorem Be. ordinem laudabis præ vulg. *quum tu;* siquidem ex adverso adspexeris *puer ut.* — *Et.* Be. *et* bene.—*Ebria*, affatim pasta. Ne autem vocem hanc vulgari sensu h. l. accipias.

771. *Adducit.* Lib. antiq. *addux.* — *Socer*, h. l. consocer. Proprie enim Pamphili quidem socer, Lachetis vero affinis erat Phidippus.

772. *Dejerat.* Si correpte *dejerat*, Deos jurat; si producte *dejerat*, valde jurat. *Don.* — *Persancte*, religiose. — *Hæccine ea est?* Quasi dicat: «hæc, quam uxori Pamphilus anteponit.»

773. *Istæ*, quarum in numero tu es. Dicit hæc Phidippus cum vultu despicientis. — *Has respicere*, harum respectum habere. Est in verbi

Bac. Ancillas dedo: quolubet cruciatu per me exquire.
Hæc res hic agitur: Pamphilo me facere ut redeat uxor
Oportet: quod si effecero, non pœnitet me famæ,
Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
La. Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso
Nobis, in re ipsa invenimus: porro hanc nunc experiamur.
Nam si compererit crimini tua se uxor credidisse,
Missam iram faciet; sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leve 'st: cito ab eo hæc ira abscedet.

ἀμφιβολία, quæ sensu manifesta est. —Ad hoc exquisite subjungit in notis Dacieria : « Il faut bien remarquer la différence qu'il y a entre le caractère de Laches et celui de Phidippe. Le père de la femme doit être plus emporté contre une courtisane que le père du mari. Térence connaissait parfaitement la nature.»

774. *Dedo.* In tuam potestatem trado. Dixit autem δειχτικῶς de ambabus ancillis ; infra, vs. 794.— *Per me*, h. e. me permittente.— *Exquire.* Hoc ad Phidippum loquitur, qui jusjurandum oblatum repudiavit. Cæterum dominis in causa sua licebat, de servis quæstionem habere. Cicer. p. Rosc. Am. 28. *Perl.*

775. Vulgo præmitt. *licet*, quod vero Fa. monente non est in l. Be. nec Vict. et a versu respuitur. — *Hæc res hic ag.* quam scilicet explicat statim, *oportet me facere ut*, etc. — *Pamphilo redeat*, reducatur ad Pamphilum.

776. *Effecero.* Ita Be. ex more Terent. In lib. ant. *perficio.* Do. in edd. vett. vid. *perfecero.* — *Non pœn. me fam. Sol, fecisse*, etc. Sensus est, « famam et æstimationem hanc me acquisivisse non pœnitebit, scilicet, solam sine exemplo fecisse, quod aliæ meretrices facere recusant, id est, reconciliare uxores maritis. —Hoc loco felicitatem Terentii felicissime etiam explicat Donat. « Multa Terentius feliciter ausus est, arte fretus : nam et socrus bonas, et meretrices honesti cupidas, præter quam pervulgatum est, facit: sed tanta vigilantia causarum et rationum momenta subjungit, ut ei soli merito videantur omnia licere. Nam hoc contra illud est, quod alibi ait, communę esse jam omnibus comicis bonas matronas facere, meretrices vero malas. »

778. *Nostr. mul. susp.* etc. Sensus: « Nos immerito suspectas habuisse mulieres nostras. » *West.* — *Suspectas*, scilicet ob id, quasi nove nuptis impedimento essent.

779. *In re ipsa.* In rei veritate. — *Porro*, postea. — *Hanc exp.* Hujus periculum faciamus.

780. Vulg. additur *falso* post *uxor*, quod delet Be. recte judicans, crimen per se habere notionem falsitatis. Et ego opinor, *falso* superius ex versu 778 huc aberrasse. — *Crimini*, nescio cui falsæ accusationi.

782. *Quod pep. ux. clam.* De clandestino tantum, sed de adulterino partu omnino nihil suspicatur pa-

Profecto in hac re nil mali est, quod sit discidio dignum.
PH. Velim quidem hercle. LA. Exquire: adest: quod satis sit, faciet ipsa.
PH. Quid mî istæc narras? an, quia non tute ipse dudum audisti,
De hac re animus meus ut sit, Laches? illis modo exple animum.
LA. Quæso ædepol, Bacchis, mihi quod es pollicita, tute ut serves.
BAC. Ob eam rem vin' ergo introeam? LA. I, atque exple iis animum, ut credant.
BAC. Eo, etsi scio pol his meum fore conspectum invisum hodie:
Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.
LA. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem adveneris, resciscent.
PH. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint.

ter. — *Id leve 'st.* Non grave delictum est.

783. *Discidio.* Alii *dissid.* pro *disc.* — *In hac re*, in hac partus celatione.

784. *Faciet ipsa.* Lib. antiq. add. BA. *Faciam.* At not. Fa. « In contextu libri Bemb. non est hoc respons. Bacchidis, sed loco ejus pronom. *ipso.* »—*Velim quid. hercle.* Ut nihil sit dignum: hoc est, non peccaverit Pamphilus. — *Exquire.* Subaud. a Bacchide. — *Quod satis sit.* Sub. ad purgationem.

785. *Quid mî ist. narras?* Reprehensio est, quasi longorum verborum Lachetis. *Donat.* — *An, quia*, exple, *an narras, quia*, etc.

786. *Exple.* Alii, *explete.* — *De hac re an. meus ut sit.* Correptio est, nam audivit: « Manere affinitatem hanc inter nos perpetuam volo.» — *Illis*, quasi dicat, quæ amaræ sunt et molestæ. — *Exple anim.* sc. hæc persuadendo.

787. *Quod es poll.* i. e. jusjurandum apud mulieres.

788. *Vin'.* Lib. antiqui exhibent *vis*, sine interrogatione.

790. *Nam nupta*, etc. Hoc est, in mutua mariti et uxoris societate non est mala suspicio; sed in eorum discessione aut hæc meretrix, aut ille adulter judicatur. *Eugr.*

791. *Hæ*, Myrrhina et Philumena. — *Amicæ*, tibi. — *Quamobrem adv.* Videlicet ut rem impeditam expedias.

792. *Cognorint.* Lib. ant. *cognoverint.*—*At easd.* etc. Vide quam consona hæc Phidippi oratio Lachetis videatur præcedenti. Unde apparet nunc esse animo eodem utrosque. *Perl.*

Nam illas errore, et te simul suspicione exsolves.
Bac. Perii! pudet Philumenæ : sequimini me huc intro ambæ.
La. Quid est, quod mihi malim, quam quod huic intelligo evenire?
Ut gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit.
Nam si est, ut hæc nunc Pamphilum vere ab se segregarit,
Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam et gloriam esse,
Referet gratiam ei, unaque nos sibi opera amicos junget.

793. *Nam.* C. G. m. et Hal. pro *Nam* exhib. *Nullam* referend. ad *rem* superius. — *Illas err. exsolv.* Cf. supra, vs.

794. C. G. m. et al. *me.* — *Sequimini.* Ibidem gl. *o ancillæ.* — *Pudet Philumenæ.* Seu conscientia communis viri et pellicatus; seu quia impura meretrix (sed in hoc pudica) pudicæ mulieris conspectum non sustinet. — *Sequimini*, etc. Ancillis dicit, quæ sunt κωφὰ πρόσωπα. Meretrices autem egredientes domo ancillas trahebant secum pedissequas. Supra Thais, in Eunuch. vs. 815 : « Vos me sequimini. »

795. *Quid est, quod*, etc. Sic ordina atque intellige, *quid est quod mal. mihi even. quam quod huic int. event.* Hæc eadem vero absque interrogandi forma diceret, « nihil magis cupio quam, etc. » — Mirandum est enim evenire potuisse, ut idem et seni, et patri prosit, quod meretrici. *Don.* — *Et mihi prosit.* Lucide admodum Casaubonus adnotat hoc loco : « Gratulatur sibi senex ita rem commode cadere, ut, dum sibi studet, et suo ipsius obsequitur animo meretrix, eadem opera et quod seni et patri quoque gratissimum factura sit. Hoc autem dicens ideo inducitur a Poeta, ne alioquin præter morem et verisimilitudinem, bonam nimis et ingenuam meretricem fingeret, si totum hoc quod agit, studio commodandi aliis et gratificandi ageret. Quæ præcipua laus Terentii, et in quo palmam aliis comicis præcipue præripuit, quod nihil fingit, nisi quod credi facile possit, et ad naturam omnia solertissime exigat. »

797. *Si est, ut segreg.* pro simpliciori, *si segregavit.*

798. *Natam.* Be. ex uno c. *nactum*, recepit; et pro *sibi* reposuit *se.* — *Nobilitatem*, famam bonæ meretricis. — *Ex eo*, ex ea re. — *Rem natam*, rem familiarem tuam a me auctam iri.

799. *Referet.* Lib. ant. *Referetque.* Partic. *que* Fa. delevit, quam l. Bemb. non agnoscit. — *Referet grat. ei.* Pamphilo. Is enim in Bacchidem fecerat sumptus non exiguos. Supr. vs. 685. — *Una.* Pronomen est sexto casu, ad *opera* referendum.

SCENA TERTIA.

PARMENO. BACCHIS.

PAR. Ædepol næ meam herus esse operam deputat parvi pretii, 800

Sc. III. Nunc Parmeno redit, qui missus in arcem fuerat, ut amicum conveniret, qui nullus erat; sed vocem parturientis ne audiret. Videt autem de domo uxoris Pamphili meretricem exire. Quæ quum esset ingressa, ut se purgaret, in digito ejus annulus est cognitus, quem vitiator puellæ rapuerat, et meretrici dono dederat. Nunc igitur egressa, Parmenonem ad Pamphilum mittit. Ipsa autem quid actum sit ante menses decem narrat. Ex quo enim compressa est virgo, decem menses sunt; et jure hic partus factus sit decem mensium. *Eugr.* — Cæterum hoc soliloquium est gratia auditorum, ut inde comperiant renuntiata Parmenonis. Nota insuper in tota hac fabula servum pigrum et curiosum induci : neque quidquam illi evenire ex sententia sua. Etsi prolixiores forsan videantur adnotationes, liceat tamen per lectorem referre quas subjicit *Lemonnier* in notis luculentas, ut nobis videtur, animadversiones, et quæ reliquam fabulam peritissime explicant. «Parménon est curieux, inquit nempe, bavard, et paresseux; on lui cache tout, on ne l'écoute point, on le fait courir. Il n'arrive jamais que pour être envoyé en commission. Ce personnage ainsi ballotté est plaisant. Il est visible que Térence a voulu dans cette pièce s'écarter de la route ordinaire des poètes dramatiques, et ne pas se ressembler à lui-même. Tous ses personnages sont vertueux. Ils ont toujours des motifs honnêtes dans tout ce qu'ils font et disent. Nulle ruse du valet, qui n'est pas même au fait de l'intrigue. Cette intrigue n'est point double, comme dans les autres pièces. Un point encore dans lequel le Poète s'est éloigné de l'usage reçu, c'est que le dénouement reste caché à la plupart des personnages; et cette innovation, loin d'être un défaut, est d'une bienséance indispensable. On ne doit pas dissimuler que ce dénouement roule sur une combinaison d'événements qu'il est bien difficile de supposer réunis. Pamphile a épousé la même fille qu'il a insultée et volée (vol qui n'est pas trop vraisemblable); l'époque de cette insulte répond juste à l'arrivée de Pamphile, pour lui faire trouver sa femme en travail. Bacchis a conservé la bague volée, elle la porte à son doigt lorsqu'elle fait visite à Myrrhine et Philumène; ces deux femmes, qui ont tout autre chose à faire que d'examiner les joyaux de Bacchis, reconnaissent l'anneau, et l'intrigue finit. Il faut avouer que Térence a bien compté sur la crédulité complaisante du spectateur. Dans l'*Heautontimorumenos*, un anneau pareillement amène une reconnaissance; mais celle qui le porte, cet anneau, sa-

Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisquam venerat,
Accedebam : « adolescens ! dic dum quæso, tun' es Myconius ? » —
« Non sum. » — « At Callidemides ? » — « Non. » — « Hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes ? » Omnes negabant ; neque eum quemquam esse arbitror.
Denique hercle jam pudebat : abii. Sed quid Bacchidem
Ab nostro adfine exeuntem video ? quid huic hic est rei ?
Bac. Parmeno, opportune te offers : propere curre ad Pamphilum.

vait qu'il pouvait lui faire retrouver ses parents. Elle le donne à garder comme un effet précieux. Rien de cela ne se trouve dans l'*Hécyre*. Ce sont sans doute ces défauts de vraisemblance qui ont fait juger à Donat qu'elle était la plus faible des six comédies de Térence. En effet, à tous autres égards elle est admirable, et son peu d'action est bien racheté par le style et la conduite. »

800. *Meam.* C. G. *meus* in contextu. Id. *meam* sub. script. exhib. post *herus.* — *Pretii.* Sic lib. ant. Id. l. *preti.* « Sic et nostri, quod monet Anglus, *preti*, ut viti, gaudi, consili. » Andr. vs. 321.—*Meam op.* Meos labores. — *Esse parvi pretii*, in re nullius pretii consumendam.

801. *Ob rem null.* sine ulla utilitate. — *Ubi.* Deest ante hanc vocem *illuc.* — *Totum*, sub. *per.* — *Desedi*, otiosus fui.

802. *Myconium hospit.* etc. Cf. supra 432, 433.

803. *Illi.* C. G. m. *illic.*—*Quisquam* Lib. ant. *quisque.* Sed *quisquam* Be. ex codd. duob. præfert. — *Ineptus*, nulli rei seriæ utilis. — *Illi*, pro *illic.*

804. *Tun'es.* Sic Be. pro *es tu* vulg. Invertit autem ille, ne *quæso* synalœpham faciat cum *es.* — *Adolesc. dic dum quæso.* Vernaliter et comice se ipsum servus imitatur. Et est μίμησις. *Don.*

805. *Non sum*, respondebat ille. — *Hosp. ecquem*, etc. Nonne hospitem in hac urbe habes, qui vocatur Pamphilus, et ad quem diversatum venis ?

806. *Eum.* Lib. antiq. *enim* pro *eum.* — *Eum*, personam illam Callidemidis, fictitiam sane. — *Quemq. esse*, esse in mundo.

807. *Denique pud.* Sedere et interrogare.

808. *Ab nostro adf.* E domo Phidippi, soceri Pamphili. — *Huic*, meretrici. — *Hic*, in tali domo, quæ ingenua est et pudica.

809. *Te.* In C. G. m. omiss. est *te*, per negligentiam, ut opinor, librariorum. — *Prop. curre.* Attenden-

PAR. Quid eo? BAC. Dic me orare, ut veniat. PAR. Ad te? BAC. Immo ad Philumenam.
PAR. Quid rei est? BAC. Tua quod nil refert, percontari desinas.
PAR. Nil aliud dicam? BAC. Etiam : cognosse annulum illum Myrrhinam
Gnatæ suæ fuisse, quem ipsus olim mî dederat. PAR. Scio.
Tantumne est? BAC. Tantum : aderit continuo, hoc ubi ex te audiverit.
Sed cessas? PAR. Minume equidem : nam hodie mihi potestas haud data 'st :
Ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.
BAC. Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!
Gnatum ei restituo, qui pæne harum ipsiusque opera periit:
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo;
Qua re suspectus suo patri et Phidippo fuit, exsolvi.
Hic adeo his rebus annulus fuit initium inveniundis.

dum quod ab initio comœdiæ usque ad finem Parmeno mittitur ut curret : et celatur ut nesciat, quod curiose desiderat. *Don.*

810. *Quid*, propter quid. — *Eo'*, ad Pamphilum. Et *eo* dicit, pro *ibo*. — *Immo*, non vero ad me, sed ad Philumenam.

812. *Etiam : cogn.* etc. dic etiam Myrrhinam, etc.

813. *Olim mi.* Lib. antiq. *mihi ol.* — *Ipsus.* Pamphilus. — *Scio.* Audio te, intelligo, scio quid velis dicere.

814. *Tantumne est?* Solumne illud mandas mihi dicendum hero meo? — Anglica interpretatio exponit: « Tantine momenti hæc res est, ut statim veniat? » Quod satis ingeniose explicatur, pro pigritia et curiositate Parmenonis, manere peroptantis. — *Hoc.* Lib. ant. *hæc.* — *Audiverit.* C. G. m. *audierit.* Sup. scr. *de anullo cognito.*

815. *Cessas*, tardasne? — *Potestas*, cessandi.

816. *Cursando a. amb.* Cf. sup. vs. 436. Post hæc abit Parmeno, et Bacchis sola remanet; et reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur.

819. *Harum*, δειικτικῶς. Significat enim mulieres in ædibus unde egressa erat.—*Pæne periit.* Vs. 400, 749.

821. *Qua re susp. fuit, exs.* Expedivi eum criminis ob quod suspectus erat.

822. *Hic annulus.* Hæc dicens,

Nam memini abhinc menses decem fere ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum,
Cum hoc annulo : extimui illico : « mi Pamphile, inquam, amabo.
Quid exanimatu 's ? obsecro ; aut unde annulum istum nactu 's ?
Dic mî : » ille alias res agere se simulare. Postquam video,
Nescio quid suspicarier magis cœpi ; instare ut dicat.
Homo se fatetur vi in via nescio quam compressisse,
Dicitque sese illi annulum, dum luctat, detraxisse.
Eum cognovit Myrrhina hæc, in digito modo me habente.
Rogat, unde sit : narro omnia hæc : inde 'st cognitio facta,
Philumenam compressam esse ab eo, et filium inde hunc natum.
Hæc tot propter me gaudia illi contigisse lætor ;
Etsi hoc meretrices aliæ nolunt (neque enim in rem est nostram,

ostendit ipsum annulum, quem in digito habet, neque Myrrhinæ reliquit.

823. *Menses decem.* Recte. Ut de hoc peperisse demonstret. *Don.* — *Nocte prima.* Ineunte nocte, vel noctis prima parte.

824. *Confugere anhel.* etc. Ex his argumentis potest colligi hunc esse qui virginem vitiaverit. *Don.*

825. *Amabo.* Blandimenta sunt muliebria, ut loquatur.

826. Sic script. Be. vult pro *Exan. es nact. es.*

827. Pauci codd. *id.* Delev. Fa. Nec est in C. G. m. et Be. libb. — *Alias res ag. se sim.* Alias res agentem, animo volventem, fingere.

829. *Via.* Lib. antiq. add. *virginem.* Abest a Bemb. Vat. Bas. Nec hab. C. G. m. — *Nescio quam.* Ex quo omnis error est natus.

830. *Dum luct.* illa.—*Luctat.* Antique, pro *luctatur.*

831. *Habente.* Sic a Be. recepi. Ante eum etiam We. suspicabatur legendum esse *habente.* Vulg. *habentem* inepte. Nisi forte cum Wielingio disting. ita, *in dig. modo me habentem rogat unde sit.* Sed non placet. — *Myrrh. hæc.* Ἀτεχνῶς, hæc quæ in illisce habitat ædibus; et eas indicat digito.

834. *Propter me,* id est, propter meam declarationem. — *Illi,* Pamphilo.

835. *Hoc,* quod evenit hodie Pamphilo.

Ut quisquam amator nuptiis lætetur), verum ecastor,
Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.
Ego, dum illo licitum 'st, usa sum benigno, et lepido et comi.
Incommode mihi nuptiis evenit: factum fateor.
At, pol, me fecisse arbitror, ne id merito mihi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum 'st ferre.

SCENA QUARTA.

PAMPHILUS. PARMENO. BACCHIS.

PAM. Vide, mî Parmeno, etiam sodes, ut mî hæc certa et clara attuleris;
Ne me in breve conjicias tempus, gaudio hoc falso frui.
PAR. Visum est. PAM. Certen'? PAR. Certe. PAM. Deus sum, si hoc ita 'st. PAR. Verum reperies.

837. *Adducam.* Ita citat Priscian. In quibusd. libb. *induc.* — *Ad mal. add. partes*, ad malum applicabo.

838. *Dum illo licitum est, usa sum.* Ordo est, *dum lic. est, usa sum illo benigno.*

839. *Incommode evenit.* Quemadmodum dicitur *ei male evenit.* — *Nuptiis*, ex nuptiis. — *Factum fateor.* Confiteor id esse factum ita, scilic. ut hæ nuptiæ mihi sint molestæ.

840. *Id.* Abest *id* a C. G. m. Ibid. sup. script. *aliquid mali.* — *At pol me fec.* etc. Sed id nulla mea culpa factum arbitror, non puto me de Pamphilo male meritam fuisse.

841. *Incommoda ejus*, pro incommoda ex eo.

Sc. IV. Ea quæ vehementius cupimus parum credibilia videntur, dum metuimus. Sic se habet cum Pamphilo. Qui quum res confirmatas videt, quas ita fore vix sperarat, non solum ipse maximo gaudio afficitur, sed etiam cum aliis sibi occurrentibus lætitiam suam communicat.

842. *Vide*, cura, cave. — *Sodes*, quæso. — *Hæc.* Recordemur quæ supra Bacchis Parmenoni ad Pamphilum misso demandaverat denuntianda, vs. 812.

843. *Breve.* In lib. antiq. *hoc.* — *Conjicias.* Verb. *conj.* Terentianum Anglo non placet, qui *pellicias* præfert Plautinum. Haut. 352. — *Ne me conjic. frui.* Mirificus verborum ordo, ut constructio. Ne me conjicias ad fruendum, ut fruar. — *Gaudio hoc falso*, hoc gaudio, si debet esse falsum.

844. *Visum est.* Qua voce respondet ad Pamphili illud *vide*, v. 842. — *Deus sum.* Hoc est, beatissimus et felicissimus sum, sicut datur Diis ipsis esse.

PAM. Mane dum sodes : timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.
PAR. Maneo. PAM. Sic te dixisse opinor, invenisse Myrrhinam,
Bacchidem annulum suum habere. PAR. Factum. PAM. Eum quem olim ei dedi;
Eaque hoc mihi te nuntiare jussit ? itane est factum ? PAM. Ita, inquam.
PAM. Quis me est fortunatior? venustatisque adeo plenior?
Egone pro hoc te nuntio quid donem? quid? quid? nescio.
PAR. At ego scio. PAM. Quid ? PAR. Nihil enim.
Nam neque in nuntio, neque in me ipso tibi boni quid sit scio.
PAM. Egon' te, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire ? ah, nimium me ingratum putas.
Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium.
Me exspectat, credo : adibo. BAC. Salve, Pamphile.
PAM. O Bacchis ! o mea Bacchis ! servatrix mea.
BAC. Bene factum, et volupe 'st. PAM. Factis ut credam, facis,

845. *Ne aliud cred. atq. aliud nunt.* Ne læter de una re, dum tu nuntias alteram.

846. *Invenisse*, cognovisse.

847. *Suum* dicit Myrrhina annulum, quem virgini Pamphilus eripuit. — *Factum*, id est, dixi. — *Eum quem*, etc. Quod idem Bacchis modo narravit. Supra, vs. 574.

849. *Quis*. Lib. antiq. *Qui*. — *Venustatis plenior*. Jungitur felicitati *venustas ;* idque merito, quum Venus Pamphilum beaverit amore. Contra, Andr. vs. 245 : « Adeon' hominem invenustum esse, aut infelicem quemquam ut ego sum? » *Mer. Casaub.*

851. *At ego scio*. Hoc dicit, non secus ac si sibi quid in mentem venerit; sed reprimit se dicens, *nihil enim*.

852. *Me*. Lindenbr. ms. Reg. *memet*. — *Nam neque in nuntio*, etc. Magis scire vult quam munus accipere. *Don.*

853. *Te*. Al. non hab. *te*, quod edid. We. Be. et vert. Da. — *Egon' te*. Supple committam ut non remunerem te.

858. *Volupe est*. Gaudeo ita evenisse; et est *volupe* vox Plautina, pro *voluptas*. — *Factis ut credam, facis*. Ut credam tibi gratum id esse facis rebus ipsis non verbis tantum : *fa-*

Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris,
Semper sit. BAC. Ac tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines;
Ut unus hominum homo te vivat nusquam quisquam blandior.
PAM. Ha, ha, he, tun' mî istuc? BAC. Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam.
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa 'st. PAM. Dic verum. BAC. Ita me Dî ament! Pamphile.
PAM. Dic mî, harum rerum numquid dixti jam patri? BAC. Nihil. PAM. Neque opus est;
Adeo mutito: placet non fieri hoc itidem ut in comœdiis,

cta, id quod dicis verum esse tibi, tibi esse *volupe*, arguunt.

859. *Venustatem*, elegantiam morum.

860. *Ut*, ita ut. — *Obitum* inter et *adventum* hoc interest: quod *obitus* est, quem casus offert: *adventus*, quem voluntas et destinatus locus.

862. *Hominum*. Fa. ed. *omnium* ex lib. Bemb. In cæteris est *hominum*. — *Ut*, ita ut.

863. *Tun' mî istuc?* Tune ista tam urbana dicis? — *Mihi*, jam alius mulieris marito. — *Recte*. Jure.

864. *Nunquam*. Alii *nusq.* — *Quod nossem*. Quod alias dicitur, *quantum scio*. Sed levior atticismus adeo inesse huic blandimento meretricio videtur, ut magis placeat, *quod meminissem*, quam *quod scirem*. *Don*.

865. *Perliberalis*. Fere quasi diceret, pulchra et honesta, καλοκἀγαθή. — *Dic verum*. Bene instanter ex meretrice quærit, quid de forma uxoris sentiat. Scit enim hanc judicem esse pulchritudinis; vel quod femina, vel quod æmula. *Don*.

866. *Harum rerum*. Plus est in gestu quam in verbis. *West*. — Annulum haud dubie intuetur in digito Bacchidis, cum quo cætera patrem celanda recordetur. — *Numquid*, num aliquid. — *Neq. op. est*. Scilicet te quidquam dicere.

867. *Adeo*, quapropter. — *Mutitô*. Imperativus est *mutito*; non participium; ergo ne audiantur, qui *neque opus est mutito* jungunt. — *Ut in comœdiis*. Quasi hæc comœdia non sit. Constat enim in comœdiis in postrema parte personas plurimas poni. Est autem res valde comica, quod in comœdiis vera dissimuletur. « Lorsque Pamphile parle ainsi à Bacchis, c'est Térence qui se justifie avec adresse auprès du spectateur.

Omnia omnes ubi resciscunt: hic, quos fuerat par
sciscere,
Sciunt; quos non autem æquum 'st scire, neque rescisce
neque scient.
BAC. Immo etiam, quî hoc occultari facilius credas, da
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurijurando meo
Se fidem habuisse, et propterea te sibi purgatum. Fi
Optume 'st,
Speroque hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.
PAR. Here, licetne scire ex te, hodie quid sit, quod fe
boni?
Aut quid istuc est, quod vos agitis? PAM. Non licet. PA
Tamen suspicor.
« Egone hunc ab Orco mortuum? quo pacto? » PA
Nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, et me ex quanta ærum
extraxeris.

Ce poète viole l'usage qui était devenu une règle, d'instruire tous les personnages du dénouement. Cette nouveauté aurait pu choquer. Un mot d'apologie détournée prévient la critique. » *Lemonnier.*

868. *Hic.* Sic lib. ant. In Mss. quibusdam *hi.* C. G. m. *hii;* sup. 755. — *Fuerat.* Perlet. *fuerant;* errore, ut liquet, typogr. In l. Bemb. *fuerit.* — *Resciscere.* C. G. m, *sciscere.* — *Sciunt.* Quidam *sciscunt* a manu posteriore.

869. *Resciscent.* L. ant. *resciscunt.* — *Neque resc. neque scient.* Nempe *resciscimus* ex aliis, *scimus* per nostram opinationem. *Don.*

870. *Occultari.* Lib. antiq. *posse.* Non hab. Bemb. — *Quî,* quomodo. — *Dabo,* efficiam.

871. *Jurijurando.* Sic l. Bemb. In libb. Fa. *jurejurando.* Itid. C. G. m. — *Ita,* scilicet se fid. habuisse. — *Jurijur. meo.* Cf. supr. 754, 75

872. *Sibi,* apud se, suo judicio

873. *Speroque hanc rem,* etc. I nuit enim Pamphilus de reducen ac reconcilianda sibi uxore.

874. *Ne.* Lib. antiq. *me.* Nec Bemb. hab. nec Do.— PARM. *Her* etc. Redit servus, qui parum prof cit in expiscand.s quæ ipsum scir non æquum erat.—*Quid sit, quod f boni.* Cf. sup. vs. 852. Sic denuo ai servus, quum herus eum dono ali quo augere voluisset. *Perl.*

875. *Aut quid istuc est,* etc. Ridi cule instat scire, ignoraturus. — *Non licet.* Non permitto te cogno scere. — *Tamen,* etsi non licet m scire.

876. *Egone.* Lib. Bemb. *Ego.* — *Egone hunc,* etc. Hic Parmeno repeti verba Pamphili, et secum, quas hæc cogitans, loquitur.

t: hic, quos
o vero scio, neque hoc imprudens feci. PAM.
go istuc satis scio.
m 'st scire, n
emere quidquam Parmeno prætereat, quod
cto usus sit?
ultari facilius
re me intro, Parmeno. PAR. Sequor: equidem
urijurando
s hodie boni 880
a te sibi p
ens, quam sciens ante hunc diem unquam:
udite.

ram nobis
G. G. m. *nec.* — *Im-*
hodie quid
vs. 881. Recte dicit.
beneficii meritum,
is? PAM. N
e præstitum videa-
o ist. sat. scio. Pam-
lisdem fere verbis
n? quo p
ondet, quibus ille
. Lib. ant. *Parmeno-*
me ex qui
mb. vs. hic, ut Fa.
mphili attribuitur,
no legitur, non *Par-*
ur. meo. Cf.
et. omittat. Sibi ipsi
Sibi, apud
servorum. — *Quod*
Speroque h
m Pamphil
ncilianda s
Ne. Lib.
hab. nec D
dit servus,
xpiscanc
uum erat.
f. sup. vs. 8
quum her
gere volui
Aut quid ic
istat scire,
et. Non pe
— Tamen,

Egone. Li
hunc, etc. li
Pamphili,
gitans, loq

facto us. sit. Quod facere utile fuerit.

880. *Equidem plus hodie*, etc. Sententia Plautina ex Captivis Prolog. 44: « Plus *insciens* quis *fecit*, quam prudens, *boni*. » Egregie notat Farnab. « Bonum facere recte potest et imprudens. Bene facere nemo nisi prudens. »

881. *Plaudite.* C. G. ch. *vos valete.* Pro quibus dictionibus Bru. C. e. et C. G. m. exhibent signum ω. — C. G. m. in extremis, *Calliopius recensui.* Supra script. *recitavi.* — *Plaudite.* Plausum date. Vide Andr. fin.

PUBLII TERENTII AFRI

PHORMIO.

PHORMIO* TERENTII.

Acta ludis Romanis[1], L. Posthumio[2] Albino, L. Cornelio Merula, Ædilibus Curulibus. Egere[3] L. Ambivius[4] Turpio, L. Atilius Prænestinus. Modos[5] fecit Flaccus Claudi, tibiis imparibus[6]. Tota Græca Apollodoru Epidicazomenos[7]. Facta[8] est[9] IV[10], C. Fannio[11], M. Valerio Consulibus[12].

* Hæc comœdia vocatur Phormio, a Phormione parasito, qui primas in ea partes tenet, si non dignitate, at certe in agendis ac miscendis rebus.

1. *Lud. Rom.* Ludi Romani ab Anco rege instituti, celebrabantur mense septembri, Magnique appellati sunt, auctore Asconio Pediano in Actione prima in Verrem, quòd magnis impensis (ut erant tempora) dati sunt : tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummorum (hæc summa valet quindecim millia francarum librarum), ingentes pecuniæ tunc temporis. Quidam hic legendum censent, *ludis Megalensibus ;* et inter eos Donatus; errore admisso, ut ait Dacieria in notis.

2. *Posthumio.* Al. *Postumio*, sine *h.*

3. *Egeré.* Delph. *egerunt.* De his qui egerunt hanc fabul. vide Inscript. Andr.

4. *Ambivius.* Gov. Bip. *Attilius.*

5. *Modos fecit.* Vult Gov. *M. f. Claud. Flaccus, Claud. filius, tibiis paribus. Tota Gr. est Apollodoros*, Ἐπιδικαζομένη. *Acta quarto est. Edita C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala coss.*

6. *Tibiis imparibus.* Una scilicet dextra, altera sinistra : quæ tibiæ impares, vocatæ fuerunt Phrygiæ, quibus tunc canebatur, quum gravitas jocis miscebatur.

7. *Epidicazomenos.* Græca inscriptio est Ἐπιδικαζόμενος· quæ vox græca eum significat, qui in judicio cum altero contendit. Vide quæ fusius adnotantur infra, vs. 25.

8. *Facta.* Both. *Acta.*

9. Omittit Bip. *est.*

10. *IV* (*quarto*). Explicat Donat. *quarto loco*, quasi quarta omnium Terentii fuisset repræsentata. Refellit fusius Donatum Dacieria, et *facta* intelligit, pro *data*, *relata.* « *Elle fut représentée quatre fois.* »

11. *C. Fannio.* Farn. ex recens. Heinsii, add. *Strabone.*

12. *Consulibus.* Alii annum ab U. cond. 592 constituunt; alii 593, proxime sequentem.

C. SULPITII APOLLINARIS

PERIOCHA

IN

TERENTII PHORMIONEM.

Chremetis frater aberat peregre Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem et[1] filiam,
Athenis aliam conjugem, et amantem unice
Gnatum fidicinam : mater e Lemno advenit
Athenas : moritur[2] : virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat : ibi eam visam Antipho
Quum amaret[3], opera parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi fremere; dein minas
Triginta dant parasito, ut illam conjugem
Haberet ipse : argento hoc emitur fidicina.
Uxorem retinet Antipho, a patruo agnitam.

1. *Et.* Both. *Ac.*
2. *Athenas : moritur.* Br. *m. e L. advenit ; Athenis moritur.*
3. Dat Both. *quum Antipho amaret.*

DRAMATIS PERSONÆ.

PHORMIO, parasitus. A φορμὸς, quod est, corbis, storea, textum quid ex sparto, et junco, aut nexus vitilium. Vitile est omne lentum, ut flecti possit. Quasi diceretur *flexibili admodum ad obsequia mente* instrui parasitum (1).

DEMIPHO, senex, frater Chremetis. Quasi δήμου φῶς, id est, populi claritas.

CHREMES, senex, frater Demiphonis. A χρέμπτεσθαι, quod est *exire spuere*, ut est senum.

ANTIPHO, adolescens, filius Demiphonis. Ἀπὸ τοῦ ἀντιφαίνομαι, contra appareo; quasi qui opponi possit Phædriæ, filio Chremetis.

PHÆDRIA, adolescens, filius Chremetis. A φαιδρὸς, hilaris.

GETA, servus Demiphonis. Gentile nomen, a *Getis*.

DAVUS, servus incerti heri. Gentile nomen, a *Dacis*.

DORIO, leno, a *Doribus*. Gentile nomen.

SOPHRONA, nutrix Phanii. A σώφρων, casta, proba.

NAUSISTRATA, matrona, uxor Chremetis. Magnificum nomen a copiis navalibus, quarum gloria aliquando populus Atheniensis floruit.

CRATINUS, advocatus. A κράτος, robur. Qui valet in dicendo.

HEGIO, advocatus. Ab ἡγεῖσθαι, quod est ducere. Qui animos arbitrio suo regit et ducit.

CRITO, advocatus. A κριτὴς, judex; qui res severe et æqua lance judicat.

PERSONÆ MUTÆ.

PHANIUM, adolescentula, filia Chremetis. A φαίνομαι, appareo. Quam facit forma conspicuam.

DORCIUM, ancilla, conserva, ut apparet, et uxor Getæ. Vid. vs. 152. A δορκὰς, dama. Velox in ministerio.

STILPHO, alias nomen Chremetis (2). Vid. vs. 389, sq. A στιλβω, fulgere. Qui inter suos fulget.

Scena est Athenis.

(1) Φόρμιον, tegiculum, dicunt Græci, quo insternitur pavimentum. Et ex Hesiodo in Etymol. magno: οἵσεις δὲ ἐν φορμῷ. Inde Phormio diminutivum servile nomen, quod tunc significaret fere servilem omnino supellectilem, et ideo vilissimæ conditionis hominem.

(2) Personam illam, quæ in editionibus Batavicis pariter ponitur, ex personis mutis auferendam censet Faber.

PUBLII TERENTII AFRI

PHORMIO.

PROLOGUS*.

POSTQUAM poeta vetus poetam non potest
Retrahere ab studio, et transdere hominem in otium;
Maledictis deterrere, ne scribat, parat.
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione et scriptura levi,

* *Prologus.* Donati adnotationem in hunc prologum valde diligentem et eruditam proclamat Bœclerus; quam ergo totam fere desumimus.

1. *Poeta vetus.* C. G. m. invert. *vet. poeta.* Sup. script. *maledicens.*— *Postquam poeta vetus*, etc. Hoc initium a destructione personæ adversarii sumitur, conjunctum cum insinuatione personæ Terentianæ. Adde notatum, Terentium vix usum esse prologis, nisi quum habuerit adversarium. Vide vs. 13, 14. — *Poeta vetus.* Poeta senex; idem ille Luscius Lanuvinus. — *Poetam*, nostrum. Scilic. Terentium. — *Postq. non potest.* Nota *postquam* apud Veteres non præterito tantum, sed etiam præsenti tempori adjungi. Ut Virg. Eclog. I, 31: «Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.»

2. *Ab studio.* Additur in c. Hal. *componendi.* Glossam sapit. — *Ab studio* poetices comicæ. — *Transdere*, sic Veteres sonantius, ait Donatus, quod nos lenius dicimus *tradere;* et intellige, transferre, traducere. — *In otium*, in otiosam cessationem.

3. *Maledictis.* A rebus scilicet exclusus, ad verba delapsus est. *Don.* — *Ne scribat*, comœdias.

4. *Antehac.* Sic Do. In l. antiq. *ante*, quod recte refertur ad Terentium.— *Qui ita dictitat*, etc. Tò *ita* indicat quæ sequuntur, *quas antehac*, etc. usque in finem sententiæ. — *Dictitat.* Impudentiam ostendit per frequentativum verbum.

5. *Oratio*, in sensu est; *scriptura*, in verbis, et in genere scribendi. Imperitum inducit criminatorem, qui hoc objiciat, quod proprium debet esse comici styli. Revera autem hoc deterior Menandro Terentius judicabatur, quod minus sublimi oratione uteretur. Quod ipsum nunc purgat, dicens in tragœdia altiora transire posse. *Donat.* — *Te-*

Quia nusquam insanum fecit adolescentulum
Cervam videre fugere, et sectari canes,
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, olim quum stetit nova,
Actoris opera magis stetisse quam sua;
Minus multo audacter, quam nunc lædit, læderet.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet:
Vetus si poeta non lacessisset prior,

nui, infimo. — *Levi*, nimis humili.

6. *Nusquam*. Ien. et Venet. *nunquam*. — *Fecit*. Donat. ad loc. « *scripsit*. Legitur et *fecit*. » — *Quia nusquam*, etc. Hoc ab aliqua istius veteris poetæ comœdia sumit, et ut insulsum ac puerile Terentius irridet. — *Insanum*, ex amore insanientem.

7. *Cervam fugere*. Non est quod credas, *cervam* hic significare amicam ob quam multi depereant amatores. De fera simpliciter credimus mentionem fieri; ut fit, quum insani et furentes putant, se videre quod non vident, et sua arguunt deliria.

8. *Et eam plorare*, etc. De cerva quidem a canibus agitata, et auxilium hominum implorante memorat Ovid. ex Pont. II, 11, 39. Sed hæc omnis περίστασις tragica est, et ideo in comœdia vitiose inducitur. *Donat.*

9. *Olim quum stetit nova*. Recte *olim;* quasi dicat, quum adhuc Terentius non scriberet, penuria meliorum est probata. Deinde quod ait *nova*, hoc significat, omnia carmina novitate ipsa commendari, etiamsi nullius momenti sint. — Perletus hic, nescimus quo errore instinctus, vult sensum esse: «Quum Terentii admodum adolescentis nova placuit fabula. » Minime hic de Terentii, verum unice de Lanuvii fabula agitur.

10. *Actoris opera*, etc. Id magis factum esse, quia optimi erant actores, quam quod ipsa comœdia bona et bene scripta esset.—*Stetisse*. Dicitur *stare* fabula, quæ placet; *cadere*, quæ explodítur.

11. *Audacter*. Mu. ed. *audaciter*. Qui vulgó sequitur vs. *Et magis placerent quas fecisset fabulas* hunc Fa. probante Be. ejecit, ut nec a Don. positum, nec in tribus antiquiss. libb. Bembino, Vaticano et Victoriano scriptum, nec boni quidquam sensus afferentem. Petitus est, ut equidem opinor, ab Andr. Prol. 3. Etiam Lindenbr. observat, hunc v. a. plerisque Mss. abesse. *Perlet.* — *Minus multo audacter*. Transposit. est pro *multo min. aud.*

12. *Si quis est*. Scilic. de populo. — *Hoc dicat, aut sic cogitet*. Quod nempe continent tres versus qui sequuntur.

13. *Vetus si poeta*, etc. Hic sensus est: Nunc si quis est, qui hoc dicat aut censeat: « Improbus est Terentius, qui omnes prologos de maledictis facit »: habeat is hoc responsum sibi, adversarium coegisse, qui provocaverit. Nam quid faceret Terentius, quum de palma

Nullum invenire prologum posset novus,
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret.
Is sibi responsum hoc habeat: in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere;
Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene.
Quod ab illo adlatum est, sibi esse id relatum putet.
De illo tum finem faciam dicundi mihi,
Peccandi quum ipse de se finem fecerit.

artis musicæ certandum videat esse sibi. *Donat.*

14. *Posset.* L. antiq. *potuisset.*

16. *In medio.* C. G. m. in marg. « in publico; quoniam poetæ boni indifferenter ducuntur, utrum laudentur an vituperentur. » Quam glossam fere eamdem Bru. cum suo cod. edidit. — *Is sibi resp. hoc habeat.* A me ille responsum hoc accipiat. — *In medio omnibus*, etc. Gloriam poeseos omnibus ex æquo propositam esse; omnes ad eam aspirare posse.

17. *Qui artem tractant mus.* Qui comœdias scribunt. Non vitium refellit hic aperte Terentius, quo se admittit impetitum; et concinne tamen admodum procedit, redactis ad silentium adversariis. Est nempe, quasi diceret: « Prologos equidem scriberem, unde noscerentur fabularum mearum argumenta; quum autem meam laudem apud vos deterere conetur semper veteris poetæ invidia, et sit hoc famæ nominisque propositum certamen, minime æquum est me ipsum a me defici; et necesse est obtrectatoribus respondeam. »

18. *Reicere.* C. G. m. et Bru. C. e. sicut antiquiss. libb. *reicere* per unum *i.* Andr. 383. Adde Drakenb. ad Liv. IV, 52, qui de lectione *adicere* pro *adjicere* testatur, hæc et similia verba in optimis codd. ita exarari solita fuisse. Etiam versus emissum *j* requirit, ut Virgil. Ecl. III, 96. — *Ad famem.* Ad inopiam redigere, abducendo illum a studio et poesi. Is ordo verborum est: « studuit rejicere ab studio ad famem. » Nempe, ut cessante studio et industria, fame periret et inopia.

19. *Hic.* Terentius.

20. *Benedictis si certasset.* Si vetus poeta humanis verbis certamen nobile iniisset. — *Audisset bene.* Dicta illi fuissent bona.

21. *Relatum.* In l. Bemb. *rellat.* ob primam, ut Be. opinatur, productam syllab. Vide Heautont. 339, not. — *Quod*, quæ maledicta. — *Putet*, agnoscat.

22. *Finem faciam mihi*, pro simplici *cessabo.*

23. *Finem.* Perl. *fidem;* rursus err. typ. — *Fecerit.* Vulg. *non facit.* C. G. m. *non faciat.* At Be. omisso *non*, repon. *finem fecerit* recte. Nam merito illi τὸ *non* suspectum est, ut a sententia exortum, quam Donati

Nunc quid velim, animum attendite: apporto novam
Epidicazomenon, quam vocant comœdiam
Græce; latine hic Phormionem nominat:
Quia primas partes qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxume.
Voluntas vostra si ad poetam acoesserit,
Date operam, adeste æquo animo per silentium;
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,

esse prædicant dicentis, «Quoniam ille non desinit mihi maledicere, ego desinam ei maledicere.» Qua tamen sententia opinor nihil bono Christiano dignius. Improbabis autem illud *non*, si, quod supra est, respexeris, «adlatum est, relatum»; improbabis etiam ex Andr. Prolog. 22, 23, ubi similiter Poeta adversario lacessenti par pari referre minatur. *Perl.* — *De se.* Ἀφ' ἑαυτοῦ, propria voluntate et motu. Variant cæterum super hoc loco sensus et lectiones.

24, seq. *Apporto novam*, etc. Totum illud construe: «Apporto novam comœdiam, quam vocant græce Epidicazomenon, et quam hic nominat latine Phormionem.»

25. *Epidicazomenon*. Bentl. edit. *Epidicazomenen*, idq. ex Do. Is enim ad locum ita: Hic manifesto errat Terentius; nam hæc fabula quam transtulit, Epidicazomene, seu Ἐπιδικαζομένη, dicta est a puella, de qua judicium est: quum sit alia Epidicazomenos ejusd. Apollodori. Debuit ergo dicere Epidicazomenen græce. Quo tamen crimine erroris Donatus Terentium gravat, hoc id. Be. a Poeta ad ipsius criminantis mendosum, quo is usus sit, retorquet exemplar. — *Epidicazomenon*. Ab Apollodoro vocatur ἐπιδικαζόμενος Antipho, quia illi fictam litem intendit Phormio, ut eum cogat Phanium uxorem ducere. Aut si græcum illud vocabulum Phormioni adscripseris, is erit ille qui jure aliquid obtinet ipsi adjudicatum; secundum eum nempe fertur sententia.

26. *Gr. lat.* Vulg. *Græci*, *Latini*. Sed vetustiss. Bentl. Cod. *græce*, *latine*. Recte. At vero dubium restat, cur latine *Phormio?* quum ipsa vox *Phormio* græca est. Quod quidem, prætermissis alior. commentis ita explicand. antumo, ut sit comœdia hæc *latine*, h. e. latino auctore composita; si quidem suæ quisq. fabularum scriptor nomen indere solebat ipse, non *Græci*, non *Latini* homines. — *Nominat*. In l. antiq. «Græci, Latini Phorm. nominant.»

27. *Primas*. Hoc est, potissimas, primarias.

28. *Geretur*. Sic Be. Codd. Itid. C. G. m. et Hal. In antiq. *agetur*. — *Res*, fabula.

29. *Voluntas*, benignitas, favor. — *Ad poetam accesserit*. Poetam protexerit.

30. *Date operam*. Sedulo attendite. — *Per silentium*. Favor est nempe in comœdia silentium.

31. *Fortuna*. Ne populum læde-

Quum per tumultum noster grex motus loco 'st,
Quem actoris virtus nobis restituit locum
Bonitasque vostra adjutans atque æquanimitas.

ret, maluit fortunam accusare. *Don.*

32. *Per tumultum.* Videtur respicere fata Hecyræ, cujus vid. Prol. Atque hoc in causa est, cur in editt. non quidem omnibus postponatur huic fabulæ Phormio. Quod vero ita esse debere, hinc etiam Donat. præcipue conjiciebat. — *Per tumult.* Qui acciderat, quum spectatores de sedilibus disceptarent, aut aliam, ut fit, ejusmodi rixam movissent: id autem advenit quum exhiberetur Hecyra, et ista Phormio fortasse, quæ sæpius fuit facta, ut indicat titul. pag. 230, not. 10. Hic tamen agi de Hecyra repugnat Dacieria. — *Noster grex.* Actorum turma. — *Motus loco 'st.* Theatrum deserere coactus est.

33. *Actoris.* Qui exclusus toties, animum non abjecerit, sed perseveraverit agere; ideo virtus. — *Quem loc.* Bene repetivit locum, ut ἀμφιβολίαν vitaret: ne quem tumultum dicere videretur. *Don.*

34. *Bonitasque.* In omnibus generaliter rebus. — *Æquanimitas.* In spectando.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

DAVUS.

Amicus summus meus et popularis Geta
Heri ad me venit : erat ei de ratiuncula
Jam pridem apud me reliquum pauxillulum
Nummorum, id ut conficerem : confeci : adfero.
Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem : ei, credo, munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum est, hi qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus!

Sc. I. In hac scena Davus pecuniam Getæ debitam afferens de servorum conditione misera conqueritur.

35. *Amicus sum. meus et pop.* etc. Insinuatio personæ ejus, quæ inducitur ad audiendum argumentum. Et vide servum ostendi Davum : et non ostendi cujus servus sit. — *Popularis.* Ne intelligas hic, « ejusdem populi, oppidi, pagi », quod falso sic explicari indicat cujusque nomen; verum ejusdem conditionis et fortunæ. Sic Sallust. « Popularis sui sceleris. »

36. *Heri.* Apparet heri fuisse nuptias. — *De ratiuncula.* Opportuna diminutio in re servili, *ratiuncula* et *pauxillulum.* Et est *ratiuncula*, exigua pecuniæ summa Getæ a Davo debita.

37. *Pauxillulum.* Quartus casus diminutionis, « paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum. »

38. *Id ut conficerem.* Suppl. rogans. Et *conficerem*, pro colligerem, mihi hanc summam alicunde reperirem.

39. *Heril. fil. ej.* Pro, heri ejus filium, scil. Antiphonem, Demiphonis filium. — *Dux. uxorem.* Is enim, absente patre, fictam sibi litem a Phormione intendi passus, Phanium ducere cogebatur; vid. inf. 135, 136. Et in hoc præcipue versatur fabula.

40. *Ei m. hoc corr.* Ei hæc pecunia in munus colligitur.

41. *Comp. est.* Institutum est.

42. *Divitioribus.* L. antiq. *ditioribus.* — *Addant.* Bene *addant*, scilic. acervo divitum.

Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existumans,
Quanto labore partum: porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet.

43. *Ille*, Geta.—*De demenso suo.* De quotidiano cibo, de mensura frumenti sibi per singulos menses ab hero dari solita. Servi scilicet quaternos modios frumenti accipiebant in mensem. *Demensum*, a demetior. — *Unciatim vix.* Vix potuit et unciatim conflari.

44. *Defrudans.* We. p. var. *defraudans.* — *Suum defrud. genium.* De victu quotidiano aliquid detrahens, necessitati et naturæ subducens. Genius apud Veteres erat vel anima cujusque hominis, vel Deus quidam, vitæ singulorum præses, qui cum ipsis gigneretur una et moreretur, quem voluptate et iis omnibus quibus alitur vita et fovetur, gaudere maxime putabant; hinc *indulgere genio* est, dulcia carpere, sectari voluptates; contra vero, *genium defrudare*, parce vesci ac duriter. *Juv.* — *Compars. miser.* A *comparco.* Multa parsimonia misere collegit, parcendo, et quidem diu, conservavit.

45. *Illa*, nupta scilicet. — *Universum*, contra *unciatim*, vs. 43. — *Haud existumans.* Nullam habens rationem: non considerans.

47. *Ferietur alio munere.* Quasi novo vulnere. Quia non accipiet, sed dabit munus. — *Ubi hera pepererit.* Quinto nimirum a partu die, qui dies ἀμφιδρόμια vulgo dicebatur et etiam *lustricus*, καθήλια mittebantur puerperis et obstetricibus; vid. Schol. ad Aristoph. Lys. vs. 758. Adi pariter Casaub. in Pers. Sat. XI, ubi varii circa infantes ritus, tum Græcorum, tum Romanorum.

48. *Autem alio.* L. antiq. *alio autem.* — *Porro*, postea. — *Alio.* Suppl. ferietur munere. — *Natalis dies.* Munera amici solebant mittere ad eum, cujus erat natalis dies, qui uxorem ducebat, cui etiam erant nati liberi. De celebratione dierum natalium, ac de muneribus ibi puero mittendis, vide Turneb. Advers. I, 6. Et Pers. Sat. I, 31, *natalia* dicit, h. e. quæ muneris loco dabantur. *Perl.*

49. *Initiabunt.* C. G. m. in marg. *consecrabunt diis.* Eu. leg. *initiabitur.* Eugraphio namque *initiare* est, ad cibum infantem instruere; qui et ipse natalis quodam modo *dies* est. — *Omne hoc.* Alii, *omnia hæc.* — *Ubi initiabunt. Initiare* proprie est consecrare. Pueros, quum ablactabantur, consecrari mos erat Deabus tribus; uni quæ cibo præerat, Eduliæ; alteri, quæ potui, Poticæ; tertiæ, quæ cunis, Cubæ. Aliis etiam mysteriis et numinibus, alio tempore et ætate initiabantur. *Juvenc.* — *Omne hoc*, scil. Getæ munus.— *Mater*, pueri, cujus natalia celebrabuntur.

Puer causa erit mittundi: sed videon' Getam?

SCENA SECUNDA.

GETA. DAVUS.

G. Si quis me quæret rufus.... Da. Præsto 'st, desine. G. Oh!
At ego obviam conabar tibi, Dave. Da. Accipe: hem!
Lectum 'st: conveniet numerus, quantum debui.
G. Amo te, et non neglexisse habeo gratiam.
Da. Præsertim ut nunc sunt mores, adeo res redit,
Si quis quid reddit, magna habenda 'st gratia.
Sed quid tu es tristis? G. Egone? nescis quo in metu, et
Quanto in periclo simus? Da. Quid istuc est? G. Scies,

50. *Mitt.* C. G. m. *amittundi*. Sup. script. *illud argentum*. — *Mittundi*. Cur hæc dona mittantur ad matrem.

Sc. II. Davus offert Getæ, quam debebat pecuniam: mox, ut fit, inter se fabulantes de Phædria et Antiphone, quæ ab auditoribus sciri opus erat pulchre narrant. *Juvenc.*

51. *Si quis me q. rufus...* Ad conservum loquitur, cui Davum comice *rufum* notavit; et plura illi mandaturus, adventu Davi ipsius cohibetur. — *Præsto 'st.* De se ipse loquitur Davus. — *Desine*, mandare hæc conservo tuo.

52. *Conabar*, id est, incipiebam, meditabar, et subaud. *ire*. — *Accipe*. Prævenit petitionem, dicendo *accipe;* et nummos offert, sup. enim dixerat, vs. 38, *confeci*, *adfero*.

53. *Lectum*. Integrum, non adulterinum, supp. argentum. — *Conveniet*, *quantum debui*. Congruet summæ debitæ.

54. *Neglexisse*. Al. addunt *te*. — *Amo te*, *et*, etc. Amat, quod reddiderit pecuniam: agit gratias, quod diligenter; et ostenditur vere necessariam fuisse pecuniam. *Don.*

55. *Ut nunc sunt mores*, pro morum præsenti corruptela. — *Adeo res redit*, devenimus ad id perversitatis, scil. *si quis quid reddit*, etc.

56. *Quid*, suppl. commodatum.— *Hab. est*, scil. *ei*... Citat hic Casaub. Juven. Sat. XIII, vs. 60, sq. «Nunc si depositum non inficietur amicus, Si reddat veterem cum tota ærugine follem, Prodigiosa fides.»

57. *Sed*, particula, transitum significat ad mentionem alterius rei. — *Quid tu es tristis?* Indicat his servus animadvertisse se ab initio satagentem et anxium esse Getam. Nam et: *Si quis me quæret*, et *Ast ego obviam tibi conabar*, *Dave*, et *Amo te, et non neglexisse habeo gratiam*, in se quoddam contractioris animi occupatique signum habent. *Donat.* — *Egone?* Potesne petere cur ego sim tristis?

58. *Simus*. Lib. Vict. *sumus*. Alii, *sim*. — *Simus*, ego, et heriles filii; quos scil. secum una intuetur. —

Modo ut tacere possis. DA. Abi, sis, insciens:
Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri est
Te fallere? G. Ergo ausculta. DA. Hanc operam tibi dico.
G. Senis nostri, Dave, fratrem majorem Chremem
Nostin'? DA. Quidni? G. Quid? ejus gnatum Phædriam?
DA. Tam, quam te. G. Evenit senibus ambobus simul,
Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam,
Ad hospitem antiquum; is senem per epistolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens.
DA. Cui tanta erat res, et supererat? G. Desinas:

Quid istuc est? Quod vos periclitamini?

59. *Modo ut.* Quasi reponeretur, *dummodo;* et ita solebant cavere, secretum commissuri. — *Abi, insciens,* recede procul, stulte. — *Sis,* si vis; et est hæc formula leviter reprehendentis.

60 seq. *Perspexeris.* Par. p. var. *prospex.* male. — *Cujus tu fidem,* etc. Construe: Verere (aut *vereris*) credere verba ei, cujus tu perspexeris (expertus fueris) fidem in pecunia (commodanda). — *Ubi,* in ea re, in tali rerum articulo. — *Quid mihi lucri est.* Quasi diceret, nihil mihi lucri est.

62. *Dico.* Al. *dabo.* — *Te fallere.* Promissam silentii fidem violare. — *Hanc operam,* scil. auscultandi. — *Dico,* admoveo, consacro, ἀπὸ τοῦ *dicare, dico.* Ex Plauto expressum, Bacch. IV, 9, 72: « Recita, aurium operam tibi dico. »

63. *Senis nostri,* sc. Demiphonis. — *Fratrem majorem Chremem.* Hæc singula nomina bene distinguit coram populo, ut sic jam magnam argumenti partem declaret.

64. *Quidni.* Id est, cur non novissem; quasi diceret, *novi.* — *Quid?* Inservit hic tantum interrogationi. — *Ejus gnatum,* etc. Adnotat Donatus: « non dixit, *quid? Phædriam?* sed addidit, *ejus gnatum;* ut magis *docere,* quam interrogare videretur. »

65. *Tam, quam.* Ita divisum a Be. Placet. Vulg. *tamquam,* conjunctive. — *Tam, quam te,* supp. *novi.*

66. *Illi,* Chremeti. — *In Lemnum.* Locus quidem quem petierit Chremes dicitur; non autem causa cur ierit; dum dicitur, cur Demipho. Utrumque, ait Donat. pro argumento est.

67. *Epistolas.* In trib. codd. Be. *epistolam.* — *Hospitem antiquum.* Jam pridem amicitia devinctum. Ut est in Virgilio, Æn. III, 82: « *Veterem* Anchisen agnovit *amicum.* » Ne velis autem cum Perleto intelligere, *candidum, simplicem.*

68. *Pellexit.* Scilicet, induxit. — *Pellicere,* proprium quidem meretricum est; sed tamen h. l. formula est molliter reprehendentis. — *Modo non,* pro propemodum, pæne. — *Montes auri.* Sallust. Catil. cap. XXIII: « Maria montesque polliceri cœpit. »

69. *Cui tanta res,* etc. Explicat

Sic est ingenium. DA. Oh, regem me esse oportuit.
G. Abeuntes ambo hinc tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. DA. O Geta, provinciam
Cepisti duram. G. Mî usus venit, hoc scio.
Memini relinqui me Deo irato meo.
Cœpi adversari primo : quid verbis opu 'st?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
Venere in mentem mî istæc : namque inscitia 'st,

bene Donatus : «Dominone tuo, inquit servus, pollicebatur hæc, cui tanta res erat? » — *Et supererat*, sc. ultra erat, quam usus postulabat. — *Desinas*, supp. mirari; vel de tam avaro homine loqui. Similiter admodum gallico sermone diceretur : «Ah! ne m'en parle pas! »

70. *Sic est ingenium.* Sic se habet illius natura, ut plura semper appetat. — *Regem.* West. notat homines opulentos *reges* dictos fuisse. — *Me.* Acue *me*, ut dicit Don. — *Oportuit*, quia scilicet, uti divitiis scirem, si eas haberem. Gallice : «j'étais fait pour être un monarque, moi! »

71. *Hinc.* Alii, *hic.* — *Hinc*, Athenis.

72. *Quasi.* Bene non complevit hoc ipsum, nec vult esse. *Don.* — *Provinciam.* Quia ad provincias prætores cum officio mittebantur, officia quoque *provinciæ* nominantur. *Donat.*

73. *Usus.* Lib. antiq. *usu.* Itid. C. G. m. Sed si *usu* legeretur, tanc distinguend. esset, *mihi usu venit hoc, scio.* — *Mî*, mihi. — *Usus venit*, facti experientia accidit. — *Hoc scio'*, non est quod possim ignorare hujus magisterii difficultatem.

74. *Memini.* Apprime novi. — *Relinqui me*, supp. quasi magistrum ab ambobus senibus. — *Deo irato meo.* Ablativo hæc absoluto reposita arbitramur. — *Deo meo.* Locutio hæc nobis recidere videtur ad ea quæ vernacula lingua dicimus, *mon bon ange.*

75. *Adversari*, juvenibus genio volentibus indulgere. — *Quid verbis opu 'st?* Pro præterito *erat*, reponit *est*; quod quidem vividius. Et intellige, « quid possunt, quid poterant proficere verba apud hos juvenes? » Perletus adnotat : « facete hæc dicuntur. *Verba* enim negligit, qui *verbera* sensit. »

76. *Seni.* Be. mavult *senibus*, propt. *senes*, vs. 72. — *Seni*, debet suppleri ad sensum, *utrique*; vel intelligatur de Antiphonis patre. — *Fidelis*, servi est, ut ait Don. *fidus* autem, amici. — *Dum*, quamdiu. — *Scapulas*, humeros. — *Perdidi*, male mulctari passus sum. Vel significatur, modo sequaris Perletum, « ita contusas servi scapulas, ut sensum omnem amiserint. » Melius autem interpretari nobis videmur; et gallice verteremus : « je compromettais mes épaules. »

77. *Istæc.* Lib. ant. *Ven. in ment. istæc mihi.* « Hoc dictum, ut Don. monet, et superioris personæ esse potest, et alterius. » Sed recte Be. vidit, tribuendum Getæ esse, non

Advorsum stimulum calces : cœpi iis omnia
Facere, obsequi quæ vellent. Da. Scisti uti foro.
G. Noster mali nil quidquam primo; hic Phædria
Continuo quamdam nactus est puellulam
Citharistriam : hanc amare cœpit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissimo;
Neque, quod daretur quidquam, id curarant patres.
Restabat aliud nil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, et reducere.
Nos otiosi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc discebat ludo, exadvorsum ei loco

Davo. — *Istæc*, omnes hæ rationes. — Sic libb. Bentl. In Fa. script. et edit. *nam quæ*.

78. *Calces*. Vet. interp. *opponere*. Sed Guyeto τὸ *calces* est nominativus pluralis. — *Calces*, deest *jactare*, ut fit per ἐλλείψιν in proverbialibus sæpe locutionibus. Proverbium est etiam Græcorum: πρὸς κέντρα λακτίζειν ; et Nostri quoque, *regimber contre l'éperon*. — *Iis*, ad arbitrium eorum.

79. *Foro*. Vet. interp. *negotio*. — *Obsequi quæ*. I. e. *obsequi secundum ea quæ vellent*. — *Uti foro*, temporibus servire, occasionem arripere: exemplo negotiatorum, qui pro annonæ ratione, pretium mercibus suis statuunt. *Mer. Casaub*.

80. *Noster*. Antipho. — *Mali nil quidquam*, suppl. fecit, admisit. — *Primo;* bene additum *primo;* quia non *perpetuo*. Don. — *Hic*, vester.

81. *Continuo*. Quasi vix exspectaverit profectionem patris. *Don*.

82. *Puellul. Citharis*. Istis nominibus hic agitur, ut causa amoris et ex ætate, et ex arte puellæ videretur. Nam ideo *puellulam* dixit. *Don*. — *Perdite*, præter modum.

83. *Ea serv.* etc. Erat enim citharistria ancilla lenonis, non libera. Hinc, ait Don. magna præparatio ad rerum difficultatem imminentium : puellula, citharistria, avarus leno, amator perditus, inopia. — *Impurissimo*, fere, quasi diceret : qui nihil habebat sacrum.

84. *Neque*, etc. Ordina : et patres curaverant id, ut non quidquam daretur, i. e. dari posset. Si expungas, ut Zeun. *Neque, quod daretur, quidquam; id cur. pat.* ordine mutando nihil opus est. — *Curarant*. Gallice, *y avaient mis bon ordre*.

86. *Sectari*, frequenter sequi. — *In ludum*, ubi discebat citharistria.

87. *Nos*, ego et Antipho. Vel potius, Antipho solus : *notre jeune homme*. — *Otiosi*, quibus vacuum ab omni amore pectus. Et relatio est, ut adnotat solertissime Donat. ad illud quod mox otiosi non erunt. — *Operam dabamus*, amori illius favebamus.

88. *Exadv.* L. Bemb. *ex adverso*. — *In quo ludo, ei loco exadvorsum*. Videtur quiddam in his παρέλκον ; et est locutio græca. — *Exadvorsum*, contra ipsum locum.

Tonstrina erat quædam : hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum sedemus illic, intervenit
Adolescens quidam lacrumans : nos mirarier :
Rogamus quid sit? « Numquam æque, inquit, ac modo
Paupertas mihi onus visa est, et miserum et grave.
Modo quamdam vidi virginem hic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Ea sita erat exadvorsum; neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus extra unam aniculam

89. *Tonstrina*, scilic. domus tonsoris. — *Tonstrina.* Apta sedes otiosis. — *Fere*, junge cum *plerumque*, in vs. sq.

90. *Eam*, citharistriam. — *Iret*, pro *rediret.*

92. *Adolescens.* In C. G. ch. *Adolesc.* priori versui annexum. Cujus omnino codicis versuum distinctio a vulgata passim discedit. — *Adolescens quidam.* Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit, qui dicat se nuper puellæ comam ob luctum abstulisse : quod scio mutasse Terentium, ne externis moribus spectatorem romanum offenderet. *Don.* — *Mirarier.* Satis scilicet mirum in adolescentibus lacrymæ.

93. *Quid sit*, cur lacrymet. — *Æque*, *inquit*, *ac modo.* Tantum, quantum in hoc nuperrimo rerum articulo.

94. *Visa.* Sic un. C. Be. Vulgo *visum.* Par. in marg. «pro *visa est.*» — *Paupertas.* Statim fit mentio paupertatis, ut sit causa fallaciæ Phormionis. *Don.*

95. *Hic.* Var. *huic*, *hinc*, *hujus.* — *Modò quamdam*, etc. Vide sic agi, ut non tam morte mulieris, quam solitudine pulchræ virginis moveatur affectus. Simul et ea describi, quæ matronæ futuræ magis conveniant, quam quæ temere amanda sit. Nam hic obitus feminæ ad comicum exitum spectat : quando quidem plus ex ejus morte securitatis, quam molestiæ sentiat argumentum. *Don.*

96. *Miseram.* Adnotandum est hic distingui, ut ad virginem referatur. — *Mortuam.* Significatur mors ejus, quæ superducta Chremetis bigami uxor, et a Lemno Athenas profecta, ibi mortua est. *Perl.*

97. *Neque illi benevolens.* Perlet. *neque illi bonevolens.* — *Ea.* Hæc puella. Perlet. nescio quo auctore, intelligit : « corpus mortuæ positum erat. » Quia mortuos tantum *sitos* dici contendit, non *vivos.* Sed vetat ne sic intelligamus tum narrationis ipsius τὸ πάθος, tum ordo et constructio grammaticæ. — *Exadvorsum*, contra corpus mortuæ. — *Benevolens*, amicus.

98. *Neque not. neque cogn.* Hæc descriptio paupertatis adjuvat argumentum, ut et visere audeant adolescentes virginem, et amet Antipho.

Quisquam aderat, qui adjutaret funus : miseritum 'st.
Virgo ipsa facie egregia. » Quid verbis opu 'st?
Commorat nos omnes : ibi continuo Antipho :
« Voltisne eamus visere? » Alius : « censeo ;
Eamus ; duc nos sodes. » Imus, venimus,
Videmus : virgo pulchra! et, quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lacrumæ, vestitus turpis ; ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, hæc formam exstinguerent.
Ille qui illam amabat fidicinam : « tantummodo,
Satis, inquit, scita 'st : » Noster vero.... Da. Jam scio,

99. *Adjutaret funus.* Eam adjuvaret in curando funere. — *Miseritum 'st.* Verba sunt usque etiam, adolescentis, vs. 93.

100. *Virgo ipsa*, etc. A forma etiam nascitur indignatio ; et bene, ut ait Donatus, *ipsa ;* quia quæ supra dixit, non ad ipsam, sed ad eventum ejus pertinebant.

101. *N. omnes.* Bene *omnes ;* quia res ad Antiphonem tantum spectat. — *Ibi cont. Ant.* Hic redditur nomen adolescentis ; et est παρασκευή. — *Antipho.* Sc. ait.

102. *Alius*, id est, alius quidam, et fortasse Phædria. Hæc omnia diversi dicunt. Et apparet tot esse homines, quot per μίμησιν ἀσύνδετα demonstrantur. *Don.*

103. *Duc nos sodes.* Hoc dicatur ad nuntium adolescentem, vs. 92.

104. *Virgo pulchra !* Bene non dixit, videmus virginem pulchram, sed ὑπὸ τῆς καταπλήξεως, *virgo pulchra !* Illud enim frigidius, hoc concitatius ; et hoc magis demonstratur ῥήματι, quam relatione. *Don.* — *Quo magis diceres.* Notandum hæc absolute dici, quasi reponeretur, *quo quis magis diceret ;* illudque totum intellige : « et, ut quilibet fateatur meliori jure illam esse pulchram, addam nihil adfuisse adjumenti ad pulchritudinem. »

105. *Aderat.* Proprie dictum. *Adest* enim id quod adjuvat. *Don.*

106. *Capillus pass. n. pes*, etc. Huic locus est confinis Heaut. 286. — *Passus*, temere dispersus. — *Ipsa horrida.* Inculta.

107. *Ut*, adeo ut. — *Ni*, nisi. — *Vis boni.* Exsuperantia pulchritudinis. Fusius hic disserunt Donat. et Bœcler. sed omnino abs re, ut quidem nobis videtur.

108. *Hæc.* Sc. lugubria, sordida, horrida. — *Exstinguerent*, delerent. Bene autem *exstinguerent*, quasi de igne et calore ; et eo melius, quod veteres ignem et calorem quemdam, quasi fervorem, dixerunt *formam. Don.*

109. *Ille qui*, etc. Agitur de Phædria ; et cf. supra 80 sqq.

110. *Scita*, venusta. — *Noster.* De Antiphone sic loquitur Geta, quia ille ipsius domini filius est. — *Noster vero....* Aposiopesis est, et

Amare cœpit. G. Scin' quam? quo evadat, vide.
Postridie ad anum recta pergit; obsecrat,
Ut sibi ejus faciat copiam : illa enim se negat;
Neque eum æquum facere ait, illam civem esse Atticam,
Bonam, bonis prognatam : si uxorem velit
Lege, id licere facere; sin aliter, negat.
Noster, quid ageret, nescire; et illam ducere
Cupiebat, et metuebat absentem patrem.
Da. Non, si redisset, ei pater veniam daret?
G. Ille indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? numquam faceret. Da. Quid fit denique?
G. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens, qui... illum Dî omnes perduint!

supple, si libet : admirationem poterat vix verbis exprimere. — *Jam*, priusquam loquaris.

111. *Amare cœpit.* Totam hanc narrationem vide quo modo imitatus fuerit Noster Comicus *Molière*. Cf. ad calcem hujus voluminis, ubi præterea alia retulimus quæ e Terentio fideliter expressit in comœdia, cui titulus : *les Fourberies de Scapin;* indicatis utrimque Latinis, et Gallicis sententiis.—*Scin' quam?* Scisne quantum amore exarserit? —*Vide*, inspice.—*Quo ev.* Quo perveniat, quo eum cupiditas abripiat.

112. *Postridie ad anum.* Ἐμφατικῶς, ad anum statim : ut qui posthabuerit omnia alia. *Don.* — *Recta.* Quia non per nuntium.

113. *Ut sibi ejus.* C. G. 'm. *ejus sibi.* — *Ejus*, sc. potiundæ. — *Copiam*, facultatem. — *Enim*, intellige, pro *vero.* — *Negat*, supp. se facturam ejus copiam.

114. *Neque eum.* Perl. *neque enim.* — *Æquum facere*, quod peteret.

115. *Bonam, bonis*, etc. Honestam, et honesto loco natam. Duplex commendatio, a parentibus et ipsius virginis ingenio. — *Si uxorem velit Lege.* Scilicet, ut uxorem ducat legitime. Distinguunt vulgo ante diction. *lege.* At nos cum Perleto, ex Burmann. magis commode, post.

116. *Negat*, id ipsi licere.

117. *Illam.* Al. *eam.* — *Nescire.* Vividius dictum, quam *nesciebat.*

118. *Et metueb.* Perl. omitt. *et.*

119. *Non, si redisset*, etc. Bene interrogat, ut Geta etiam ingenium senis quam brevissime sed graphice notet. *Perlet.* — *Si redisset.* Quum rediisset. — *Veniam*, ductæ uxoris se inscio et absente; vel, ejus ducendæ facultatem.

120. *Ille.* Lib. antiq. *Illene.* — *Ille.* Magnus sensus in pronomine; scil. ille qui propter spem lucri navigaverat senex. — *Ignobilem.* Non dotem tantum, sed etiam splendorem familiæ respiciebant.

121. *Denique*, postremum.

122. *Quid fiat*, supp. rogas.

123. *Homo confidens.* Hic *confidens*, pro improbo, audaci, ac temerario posuit. Ut : « O ingen-

DA. Quid is fecit? G. Hoc consilium, quod dicam, dedit:
« Lex est, ut orbæ qui sint genere proxumi,
Iis nubant, et illos ducere eadem hæc lex jubet.
Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam;
Paternum amicum me assimulabo virginis;
Ad judices veniemus; qui fuerit pater,
Quæ mater, quî cognata tibi sit, omnia hæc
Confingam; quod erit mihi bonum atque commodum.
Quum tu horum nil refelles, vincam scilicet.
Pater aderit; mihi paratæ lites : quid mea?
Illa quidem nostra erit. » DA. Jocularem audaciam!
G. Persuasit homini : factum 'st; ventum 'st; vincimur.

tem confidentiam! » *Donat.*—*Qui... illum*, etc. Optima est interpretatio, ut *qui* pronomen sit, quo incipiat Geta describere Phormionem; unde vero, exsecrandi formula *ill. D. omn. perd.* interposita, se ipse subito abrumpat.

124. *Quod dicam.* Quod tibi exponam.

125. *Lex est, ut*, etc. Cf. Adelph. 656.

126. *Nubant... ducere.* Nubit femina; ducit vir. — *Eadem hæc lex.* Non duas res jubet hæc una lex : sed puellis permittit nubere; cognatos cogit ducere. *Donat.*

127. *Ego te.* C. G. m. et Hal. Gl. add. *Antipho.* Ille plenius addit, *illi puellæ.* — *Te cognatum dicam.* Te virgini sanguine proximum esse asseverabo. — *Tib. scribam dicam.* Litem intendam. Græca phrasis, δίκην γράφεσθαι. *Dica* est actio qua pugnamus cum aliquo in judicio. Cave autem ne confundas; nam *dicam*, supra verbum est; et nunc, nomen est totidem litteris.

128. *Patern. amic. virg.* Hoc est, amicum patris virginis. A persona litigantis. Potuit enim opponi, personam ipsum non habere. *Donat.*

130. *Quî.* Quo modo, et qua ratione.

131. *Quod erit mihi*, etc. Quatenus mihi et causæ nostræ utile esse videbitur. Aliter Donat. qui autumat formulam esse bonum implorantis exitum.

132. *Refelles*, refutabis. — *Vincam*, causam in judicio obtinebo. — *Scilicet*, sine dubio; ut jam scire licet.

133, seq. *Pater aderit*, etc. Redibit pater tuus Demipho, sat scio, et mihi litem intendet; sed hoc parum curo, modo habeas uxorem illam. — *Quid mea.* Mire, quod maxime alius metueret, hoc pro ridicula re contempsit. *Donat.*

134. *Nostra.* Sic dixit, ut patronus, qui clientis causam appellat suam.—*Jocularem audaciam!* Supp. mihi narras, et intellige *Jocularem*, risu dignam; quæ joco et fabulæ similior sit, quam rei gestæ.

135. *Persuasit.* Lib. antiq. *persuasum 'st.* — *Homini*, sc. Antiphoni.—*Factum 'st.* Sc. scripta est dica.

Duxit. DA. Quid narras? G. Hoc quod audis. DA. O Geta,
Quid te futurum est! G. Nescio hercle : unum hoc scio,
Quod fors feret, feremus æquo animo. DA. Placet.
Hem! istuc viri 'st officium. G. In me omnis spes mihi est.
DA. Laudo. G. Ad precatorem adeam, credo, qui mihi
Sic oret : « nunc amitte, quæso, hunc; cæterum
Posthac, si quidquam, nil precor. » Tantummodo
Non addit : « ubi ego hinc abiero, vel occidito. »
DA. Quid pædagogus ille, qui citharistriam...?
Quid rei gerit? G. Sic, tenuiter. DA. Non multum habet,
Quod det, fortasse. G. Immo nihil, nisi spem meram.
DA. Pater ejus rediit, an non? G. Nondum. DA. Quid? senem
Quoad exspectatis vestrum? G. Non certum scio,

— *Ventum 'st*, ad judices. — *Vincimur*, sc. Geta et Antipho, qui quasi ex adverso steterint in judicio.

136. *Duxit.* Quam ingeniose in extrema sententia solemnem hanc et quasi decretoriam reposuit vocem : *Duxit!* — *Quid narras?* admirantis, non interrogantis. — *H. q. aud.* Quasi dicent, quæ vera sunt.

137. *Te.* Id est, de *te*.

138. *Fors.* L. antiq. *sors.* Quod ortum putat Bent. typographi errore. — *Quod fors feret*, etc. Hæ graves sententiæ, ex persona servorum quum dicuntur, ridiculæ sunt, et eo consilio interponuntur. — *Placet.* Mihi grata est hæc tua animi fortitudo.

139. *Istuc.* Fortiter quæ accidunt ferre.

140. *Adeam.* Al. *abeam.*—*Laudo.* Supp. animum tuum. — *Credo*, verbum ibi est irridentis et profitentis ad tale consilium se non convertendum esse. Totum autem illud sic intellige : « Egone confugerem ad aliquem deprecatorem, qui pro me sic herum oraret : Parce illi, quæso nunc. Si quid postea peccaverit, non deprecabor, quin pœnas det : modo etiam iste deprecator hoc non addat : Per me licet eum etiam occidas, ubi ego discessero. »

141. *Amitte.* Be. cod. *omitte.*

143. *Addit.* Var. *addat*, *addet.* — *Vel*, pro *etiam.*

144. *Quid pædagogus ille.* Supp. agebat interea, et loquitur hic de Phædria. Pædagogus autem nominatur, qui *puellam ducit*, neque abscedit ab ejus custodia, neque illam ipse contingit. *Donat.* — *Qui citharistriam.* Supp. sectatur, amat.

145. *Sic*, *tenuiter.* Δειχτιχῶς. *Sic* dicendum est, cum aliquo gestu. Gallice diceremus, *comme ça*, *pas trop bien.*

146. *Meram.* Ien. et Ven. *veram.* — *Fortasse.* Refer ad non *multum habet.* — *Immo.* Adverbium confirmantis. — *Meram*, solam.

147. *Quid? senem Quoad*, etc. Animadvertite, ait Donat. *quid?* secundum morem quotidianum tum dici, quum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram.

Sed epistolam ab eo adlatam esse audivi modo,
Et ad portitores esse delatam : hanc petam.
Da. Numquid, Geta, aliud me vis ? G. Ut bene sit tibi.
Puer, heus! nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

SCENA TERTIA.

ANTIPHO. PHÆDRIA.

A. Adeon' rem redisse, ut qui mî consultum optume velit esse,
Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit.
Phæ. Quid istuc? A. Rogitas? qui tam audacis facinoris mî conscius sis ?

149. *Ab eo adlatam.* Non, quam attulerit, sed quam scriptam miserit. Mire paratur inopinatus subito adventus senis : nam ipse veniet, cujus epistolam sperat. *Don.*

150. *Delatam.* Al. *latam.* — *Ad portitores.* Ad eos qui in portu sunt. More veterum magistri tributorum, id est, publicani, operam in portu dabant, inferendarum rerum et efferendarum vectigal exigentes. D. — *Hanc petam.* Hanc petitum eo.

151. *Sit tibi.* C. G. m. *tibi sit.* — *Numquid, Geta,* etc. Formula discessionis. — *Ut bene sit tibi.* Fere omnino est, quasi diceret : *Nihil.*

152. *Cape.* Hæc Geta prodeunti tandem servo cuipiam. — *Da hoc Dorcio.* Apparet hanc Dorcium conservam et uxorem Getæ esse ; ergo dat illi pecuniam servandam.

Sc. III. Hæc scena vitæ comparationem tenet Antiphonis et Phædriæ : ejus qui uxorem duxit, absente patre, eam quam diligebat, et ejus qui amat meretricem, et sumptus non habet. *Eugraph.*

153. *Adeone,* etc. Construe : eone me devenisse infelicitatis, o Phædria, ut extimescam patrem qui mihi velit optime consultum, i. e. qui me unice diligat, et omnia mihi bene evenire cupiat.

154. *Patrem ut,* etc. Alii non hab. *ut.* — *Adventi.* Ms. Paris. *adventus.* C. G. m. neutrum habet, nec *adventi*, nec *adventus.* — *In mentem ejus adventi venit.* Reponitur *adventi* antique pro *adventus ;* et dicitur aliquando *venit in mentem rei*, pro *venit res in mentem.* Cic. Verr. I, 17 : « fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem. »

155. *Incogitans.* Temerarius, præceps. — *Ut par fuit,* patrem a bono filio exspectari.

156. *Quid istuc?* Vulgo additur *est.* — *Quid istuc ?* « Quorsum hoc tu dicis ? » Hæc interrogatio stomachosa est.

Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo impulisset, quod mî principium 'st mali.
Non potitus essem: fuisset tum illos mî ægre aliquot dies,
At non quotidiana cura hæc angeret animum. PHÆ. Audio.
A. Dum exspecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat consuetudinem.
PHÆ. Aliis, quia defit quod amant, ægre 'st; tibi, quia superest, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda optandaque est.
Ita me Dî bene ament! ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui;
Jam depecisci morte cupio; tu conjicito cætera,

157. *Quod.* Hic expletivum est.— *Utinam ne*, pro *utinam non*. Vide ut custodiat poeta τὸ ἦθος personarum. Antea servus, vs. 122: «Est parasitus quidam Phormio, qui... illum Dî omnes perduint! hoc consilium dedit.» At quanto honestius Antipho nihil mali imprecatur Phormioni, sed hoc tantum optat, ne in mentem venisset ei consilium dare et persuadere, quod cum tantis periculis esset conjunctum! Quæ sequuntur connectenda sunt in hunc modum: «At non quotidiana hæc cura angeret animum, dum exspecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat consuetudinem.» Nota auctam ipso verborum tractu sollicitam exspectationem. *Bœcler.*

158. *Neu*, ne ve. — *Cupidum*, cupidine obcæcatum. — *Eo impulisset, quod.* In eam rem impulisset, quæ, etc.

159. *Tum illos.* Lind. vetus cod. *tum illud.*—*Non potitus essem.* Non duxissem illam citharistriam — *Fuisset mî ægre.* Doluissem, in ægritudine animi versatus fuissem. — *Tum illos dies*, nec amplius. Supp. *per ill. dies.*

160. *Quotidiana.* Scribitur hic *cotidiana*, ibi *cottidiana.*—*Quotidiana cura hæc.* Explicat hæc versus, qui sequitur. — *Audio*, intelligo. Volunt interpretes, indignantis esse hoc verbum, et cum impatientia audientis.

161. *Hanc mihi adimat.* Al. *adimat hanc mihi.* — *Hanc consuetudinem.* Hujus puellæ possessionem.

162. *Quia superest.* Repete, quod amant.

163. *Amore abundas.* «Felix es in amore; habes id abunde, quod amas.» His præterea innuit Phædria Antiphonem ex nimia satietate lascivire, delicias facere.

164. *Tua vita hæc.* Acuendum est *hæc.*

165. *Tam diu*, supple, quam tibi tuo amore frui datur.

166. *Depecisci.* Ed. 1449, *depacisci.* — *Cætera.* Bent. *cæterum.* — *Jam depecisci morte cupio.* Paratus sum mortis pactione transigere. I. e. vel mortis conditione, omnium scilicet durissima, paratus sum pa-

Quid ego hac ex inopia nunc capiam; et quid tu ex istac copia.
Ut ne addam, quod sine sumptu ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam.
Beatus, ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat.
Quod si tibi res sit cum eo lenone, quocum mî est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes: nostri nosmet pœnitet.
A. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phædria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis:
Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mî ejus sit amittendi, nec retinendi copia.

cisci, ut tandem perfruar amica. Est autem *depecisci morte* nihil aliud, quam contemnere ipsam mortem, dummodo rem gratam habere liceat. Virgil. Æn. XII, 49: « *Letumque* sinas pro laude *pacisci.* » — *Conjicito cætera.* Relinquo tibi conjicienda cætera; nempe, quid ego capiam molestiæ, quanto in dolore curaque sim, ex hac inopia; id est, difficultate ducendæ uxoris quam cupio; et quid tu commodi capias ex ea facilitate qua uxorem tibi comparasti. *Juvenc.*

167. *Ex istac cop.* Al. *ex hac c.*

168. *Sine sumptu ingenuam, liberalem nactus es.* Contra ea quæ patitur, ista posuit omnia. Hujus in amore copiam: suam inopiam; hujus desiderium nullo constitisse sumptu: sibi a lenone fuisse emendam puellam; hujus ingenuam: suam servam; hujus liberalem: suam citharistriam; hunc nactum esse: se sectari tantum; hujus uxorem: amicam suam; hujus amorem maritalem esse: suum velut prodigi, velut scortatoris. *Don.*

169. *Sine mala fama.* Integræ existimationis. — *Palam.* Nec occulte, ut in amoribus meretriciis.

170. *Hoc desit.* C. G. m. *hoc tibi desit.* — *Beatus, ni unum hoc desit.* Beatus es, si modo sit tibi is animus, qui felicitatem ferat modeste, non cum tædio et sollicitudine.

171. *Quod.* Pro *quod* Don. legit *et.* — *Tum sentias.* Alii *tu* pro *tum.* — *Tum sentias.* Quam male mecum agatur; et rursum, quam sis beatus.

172. *Plerique omnes.* Scilicet, nos omnino mortales. — *Nostri nosmet pœnitet.* Nostræ nos sortis piget, laudamus alienam. Horat. epist. I, 1, init. « Quî fit, Mæcenas, etc. » Eadem fere sententia, Cic. ad Div. VI, 1: « Etsi ea perturbatio omnium rerum, ut suæ quemque fortunæ maxime pœniteat. »

173. *Contra*, e contraria parte.

174 sq. *De integro.* Integris adhuc rebus, h. e. nuptiis quum nondum implicaris. — *Consulendi, quid velis: Retinere*, etc. Considerandi et deliberandi quid eligas, utrum tibi asserves tuam amicam, diligasque, utrum eam relinquas.

176. *Ejus.* Reperit Be. in Regg.

Sed quid hoc est? videon' ego Getam currentem huc advenire?
Is est ipsus: hei timeo miser, quam hic nunc mihi nuntiet rem.

SCENA QUARTA.

GETA. ANTIPHO. PHÆDRIA.

G. Nullus es, Geta, nisi aliquod jam consilium celere repperis.
Ita nunc imparatum subito tanta in me impendent mala,
Quæ neque uti devitem scio, neque quo modo me inde extraham.
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia.

et Acad. codd. quam magnopere laudant lectionem *jus* pro *ejus*. Sed vulgatam Servius defendit ad Virg. Æneid. XI, 675. *Perlet.* — *Ejus amittendi*, pro *amittendæ*. Conf. Hecyr. 372.

178. *Nuntiet.* Ien. *nuntiat.* — *Hei timeo miser.* Jam turbæ, quam epitasin dicunt comœdiæ, incipiunt a nuntio de patris adventu.

Sc. IV. In hac scena servi concurrentis officium est, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abesse a conspectu patris, usque ad cognitionem rerum, et καταστροφὴν fabulæ. *Donat.*

179. *Jam consilium.* Lib. antiq. *jam tibi consil.* — *Reperis.* Al. *repereris.* — *Nullus es, Geta.* Loquitur ad semetipsum. — *Null. es.* Periisti. — *Jam*, brevi. — *Celere.* Refer ad *consilium*; neutrum vetus.

180. *In me.* Sic Bent. ex Acad. C. pro *te* vulg. Recte, ait Perlet. — *Ita*, dictum per epiphonema. — *Nunc imparat. subito tanta in me imp. mal.* Nota in uno versu quam potentia frequentium verborum momenta! *Ita* (statim exspectationis movendæ aptum est). *Nunc* (a tempore). *Imparatum* (a statu personæ). *Subito* (ab eventu). *Tanta* (a comparatione). *Te* (a demonstratione personæ). *Impendent* (a repræsentatione periculi). *Mala* (per cumulationem). Mirus ubique artifex est poeta noster, in attollendis aut repræsentandis, frequentatione quadam verborum, sententiis quæ affectum habent aut faciunt. *Bœcler.*

181. *Devitem*, antequam irruant. — *Inde extraham*, quum irruerint.

182. *Nostra aud.* Cf. vs. 122 seqq. Bene *nostra* dicit; quia ipse partem maximam sustinet culpæ, ut magister. — *Audacia.* Cf. sup. 134. Quippe quæ *audacia jocularis* illic videbatur, vera nunc serio sentitur.

Quæ si non astu providentur, me aut herum pessum dabunt.
A. Quidnam ille commotus venit?
G. Tum, temporis mihi punctum ad hanc rem est: herus adest. A. Quid istuc mali 'st?
G. Quod quum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ?
Loquar? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lavem.
Eheu, me miserum! quum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi.
Ejus me miseret; ei nunc timeo; is nunc me retinet: nam absque eo esset,
Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam;

183. *Quæ si non astu*, etc. Hic versus totidem elementis legitur in Andria, vs. 208.

184. *Quidnam*. De qua re? Hæc Antipho ad Phædriam.

185. *Temporis punctum*. Angustissimum spatium. — *Ad hanc rem*. Ad deliberandum de hac re. — *Herus adest*. Ecce herum. Vox timentis. — *Quid istuc*, sc. quod tu affers.

186. *Quod ejus*. Ien. omittit *quod*. — *Quod quum audierit*. Geta bene non respondit *quid*: secum enim loqui pergit, non audito Antiphone. — *Quod*, scilic. quod uxorem duxit Antipho. — *Ejus*, junge cum *iracundiæ*.

187. *Loquar*. Sic Bent. omissa partic. *ne*, elegantiæ causa majoris. Vulg. *Loquarne*. — *Loquar?* An interroganti de re tota hero respondeam? — *Taceam?* nihil respondendo. — *Purgem me?* A me culpam omnem et suspicionem amoliendo. Quibus tribus interrogationibus hic respondet, *incendam; instigem; lat. lavem*. — *Laterem lavem*. Quo proverbio inanis opera significatur. Itid. Græcor. πλίνθους πλύνειν.

188. *Quum*. Præterquam quod. — *Antipho me excruc. an*. Propter Antiphonem me excrucio.

189. *Ejus me mis. ei n. tim. is nunc*, etc. Figura πολύπτωτον, ait Donatus; *ejus, ei, is*. — *Is nunc me retinet*. I. e. Antiphonis gratia hic remaneo. — *Absque eo esset*. Si ad eum res non pertineret: i. e. si meum tantummodo peccatum esset hoc ipsum. *Donat.*

190. *Recte mihi vidissem*. Mihi utiliter consuluissem. — *Et senis essem ultus irac*. Et de senis iracundia ultionem sumpsissem. Facete servus occasionem melioris conditionis esse existimat fugæ causam, tanquam sibi per eam et libertatis genus præstare posset et prædam. *Don.* — His autem convenit quod supra dixerat Geta, *in me omn. spes m. est*, vs. 139. Ac vere sæpius servi et fugiebant et auferebant, simul quo utroque facile poterant herum ulcisci. Eunuch. 661. *Perlet.*

Aliquid convasissem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.

A. Quam hic fugam, aut furtum parat?

G. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quærere insistam via?

PHÆ. Te nominat. A. Nescio quod magnum hoc nuntio exspecto malum. PHÆ. Ah,

Sanusne es? G. Domum ire pergam: ibi plurimum 'st. PHÆ. Revocemus hominem. A. Sta ilico. G. Hem! 195

Satis pro imperio, quisquis es. A. Geta. G. Ipse est, quem volui obviam.

A. Cedo, quid portas? obsecro; atque id, si potes, verbo expedi.

G. Faciam. A. Eloquere. G. Modo apud portum. A. Meumne? G. Intellexti. A. Occidi. PH. Hem!

191. *Convasissem.* Var. *convasassem*, *corrasissem*. — *Protinus.* Mur. Be. dat *protinam;* vocem Plautinam. — *Aliquid convasissem.* Aliquid clam subripuissem, et cum sarcinulis collegissem. Verbum illud Donatus ait figuratum a colligendis vasis. Videtur enim translatum a militibus castra moventibus. Est autem *convaso, convasis,* tertiæ conjugationis. *Perl.* — *Me conjicerem in pedes.* Fugerem.

192. *Quam hic fug.* Both. ex codd. *quam mihi hic fug.*

193. *Via.* L. Bemb. *viam.* — *Reperiam.* Sicubi cesset. — *Aut qua quærere insist. via.* Sicubi ambulet. Omnis enim qui quæritur, aut cessat, aut ambulat. — *Insistam*, incipiam.

194. *Te nominat.* Hæc Phædria ad Antiphonem. Auditur enim Geta ab adolescentibus, qui ipse secum loquens neminem audit. — *Nuntio*, accipe pro, qui rem nuntiat; et sensus est: Nescio quod magnum malum hunc mihi nuntiaturum arbitror.

195. Hunc versum e duobus factum a Bentl. recepimus cum Perleto. — *Sanusne es?* Vult dicere: Stultus es, Antipho, qui te excrucies antequam sciveris, quid eveniat mali. — *Ibi plurimum 'st.* Ibi sæpius morari solet Antipho noster. Scilicet propter amorem uxoris suæ. *Plurimum*, τὸ πλεῖστον.

196. *Satis pro imperio.* Satis imperiose loqueris. — *Quem volui obviam*, supp. *mihi fieri.*

197. *Verbo expedi.* Ms. Lindenb. add. *uno.* — *Quid portas?* Quem nuntium affers? — *Verbo*, deest *uno*, quod requirit sensus. — *Expedi*, expone.

198. Hunc versum Faernus fatetur unum se fecisse ex illis qui duo versus fuissent in omnibus libris. — *Modo apud portum.* Dicturus Geta: *Patrem vidi*, præventus est ab eo quem timor intelligentem fece-

A. Quid agam? PHÆ. Quid ais? G. Hujus patrem vidisse me, patruum tuum.
A. Nam quod ego huic nunc subito exĭtio remedium inveniam, miser?
Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nulla 'st mihi vita expetenda. G. Ergo istæc quum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquum 'st: fortes fortuna adjuvat.
A. Non sum apud me. G. Atqui opus est nunc quum maxume ut sis, Antipho.
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. PHÆ. Hoc verum 'st. A. Non possum immutarier.
G. Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret?

rat. *Don.* — *Hem!* Propria et sua cuique personæ exhibuit: celeritatem ex præsagio metuenti Antiphoni: et tarditatem intellectus quieti pectoris securo Phædriæ. *Don.*

199. *Quid ais?* Hæc ad Getam.

200. *Nam quod.* Pro *quod nam*, per metathesin.

201. *Meæ fortunæ.* Tragice amator hoc negotium fortunas omnes dixit esse. *Don.* — *Phanium.* Amatoria προσφώνησις per ἀποστροφήν.— *Abs te ut distrahar.* Non dixit *a me distraharis;* et vide verbum vim cohærentis ostendere. *Don.*

202. *Nulla.* Intellige, vel pro *non;* vel pro *nullius conditionis.* Quasi dicat: Ne deorum quidem vita mihi dulcis esset siue te. *Don.*

203. *Advigilare.* Subaudi, ut pater tibi placetur, neque tu distraharis a Phanio.— *Fortes fortuna adjuvat.* Huc pertinet Cicero, Tusc. II, 4: «*Fortes* enim, inquit, non modo *fortuna adjuvat*, ut est in veteri proverbio, sed multo magis ratio.» Sallustius: « Vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt.» Qualia qui amat, plerumque apud Joh. Weitzium diligenter congesta reperiet. Nostri autem instituti ratio illuc non pertinet; quod semel monendum est.

204. *Apud me*, mei compos.— *Nunc quum maxime.* Tam tui compos, quam quum es maxime.— *Ut sis.* Subaud. *apud te.*

205. *Timidum*, metuentem.

206. *Commeruisse*, pro *commisisse.* — *Culpam*, pro *pœnam*, ait Perlet. Nam *culpa* Tacitus ait, quam *pœna* est tempore prior. Ann. XV, 20.— *Hoc verum est.* Congrue fit, ut et Geta et Phædria audaciores sint, qui et absque amore sint: et hos oportet objici pro Antiphone seni irato. *Don.* — *Immutarier.* Naturam meam transmutare.

A. Quum hoc non possum, illud minus possem. G. Hoc nihil est, Phædria : ilicet.
Quid hic conterimus operam frustra? quin abeo? PHÆ. Et quidem ego. A. Obsecro,
Quid si adsimulo! satin' est? G. Garris. A. Voltum contemplamini, hem!
Satin' est sic? G. Non. A. Quid si sic? G. Propemodum. A. Quid si sic? G. Sat est.
Hem, istuc serva; et verbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne te iratus suis sævidicis protelet. A. Scio.
G. Vi coactum te esse invitum, lege, judicio : tenes?

208. *Hoc.* Intellige : id, quod ei faciendum esset coram patre, ut maxime apud se esset. Cf. vs. 204. — *Illud*, quod majus est quam metum deponere. — *Hoc nihil est. Hoc*, id est, hic Antipho *nihil est;* nullius est animi et consilii. Neutro genere per contemptum utebantur pro masculino. Vel *hoc*, id est, quod ille dicit, et cogitat, leviculum est ac meticulosum. — *Ilicet*, ire licet, abeamus. Sic judices de consilio demittebantur, suprema dicta quum præco pronuntiasset, *ilicet.*

209. *Abeo.* C. G. m. *abeam.* —*Et quidem ego.* Ordo *et ego quidem.* Et deest *abeo.*

210. *Adsimulo.* Ald. et Erasm. cod. *adsimulabo.*—*Quid?* I. e. quid agetis? quid de me sentietis?—*Adsimulo*, me confidentem esse. — *Satin' est.* Vultum mutat, et ad confidentiam se componit Antipho, ut abeuntes aut abire simulantes retineat. *Mer. Caub.* — *Garris*, nugaris.

211. *Satin' est sic?* Al. *satin' sic est.* — *Quid si sic.* Al. omitt. *si.*—*Satin' est sic?* Satisne videor hoc vultu compositus ad audaciam et constantiam? — GET. *Non.* ANT. *Quid si sic*, etc. Hæc forsan nostrati LAFONTAINE animo occurrebant, scribenti lepidam fabellam : *La grenouille qui veut se faire aussi grosse qu'un bœuf.*

212. *Hem, istuc serva.* Ita compositus mane et adsimulatus, ut nunc es.—*Ut respondeas.* Supple ante hæc, *fac* vel *cura.* — *Verbum verbo, par pari.* Scilicet magister adsimulandi, ait Perletus, vult, ut juvenis tiro et orationi et gestui parem etiam suam orationem et gestum, servato audaci vultu, opponat. — Quid autem hoc sit, non melius potest intelligi, quam ex contentione Demiphonis et Phædriæ, in scena seq. Quod enim Antipho subterfugit, Phædria probe implevit officium. *Bœcler.*

213. *Sævidicis.* Lib. antiq. *sævis dictis.* In omnib. libb. Fa. *sævidicis dictis.* Itidem C. G. m. et Bru. cod. In Be. codd. *sævidicis.* Al. *sævidictis.* — *Sævidicis.* Sæve et atrociter dictis. — *Protelet.* Hic Donatus : *Protelet* et *protelum* a πρὸ et ἴλειν dictum est, quod est *ante* et *trahere.* Alii ab assiduo telorum jactu existimant dici. Ut Lucretius : « Undique protelo plagarum continuato. » H. e. « tenore. » Cæterum intellige, *protrahat, exagitet.* — *Scio*, intelligo.

214. *Te esse*, etc. Subaudi, *ut*

Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? A.
Ipsus est.
Non possum adesse. G. Ah, quid agis? Quo abis, Antipho?
mane,
Mane, inquam. A. Egomet me novi et peccatum meum.
Vobis commendo Phanium et vitam meam.
PHÆ. Geta, quid nunc fiet? G. Tu jam lites audies;
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmetipsos facere oportet, Phædria.
PHÆ. Aufer mî: « oportet »; quin tu, quid faciam, impera.

respondeas, vs. 213. — *Vi coactum invitum.* Non ibi fit pleonasmus per vitium, Geta scilicet argumenta cum verbis exaggerante. — *Lege, judicio.* Oratorie divisit rem unam, ut major videretur. Necessitas legis intelligitur. *Jus* dicitur *cogere*, Adelph. 491 (legit enim hic *jus*, ubi Nos *vis.* ED.), et Phorm. 236; sententiis sc. judicum, secundum jus et leges pronuntiantium. Ita, vs. 226, defensionem facilem significare volens, partitione amplificavit et in majus audiri fecit. « Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam. » Prompta defensio et simplex: *Lex coegit.* Bœcler. — *Tenes?* Hoc admonet, ne perturbatus ille coram patre hæc obliviscatur.

215. *In ultima platea.* In ulteriore plateæ parte; ut Virg. Æn. II, 449, *imæ fores*, i. e. forium pars ima.

216. *Quid agis?* C. G. m. *ais*, pro *agis.* — *Adesse*, diutius.

217. *Mane.* Hoc posterius delet Faer. post eum Bentl. quoque; sed immerito. Nam *inquam* urgentis, postulat *mane.* Hoc modo, Hecyr. 495, 496. Habent *mane* poster. C. G. m. et Hal. Item Erasm. We. et al. *Perl.* — *Egomet me novi, et peccat. m.* Et natura, et ex conscientia criminis admissi (quod juvenem et ingenuum decebat) pavidus. *Casaub.*

218. *Phanium et vitam meam.* Animadverte quod amator prius ponit *Phanium* quam *vitam* suam. *Don.* — Hæc dicens, abit Antipho.

219. *Quid nunc fiet?* Quid nos faciemus? — *Tu jam lites aud.; Ego plect. pend.* Bene Donatus huc comparavit locum Heaut. 356: « Tibi erunt parata verba, huic homini verbera. » Ἐκ παραλλήλου enim hæc dicuntur. — *Lites audies*, verbis acerbis objurgaberis.

220. *Plectar*, feriar, verberabor. — *Pendens.* Plures arbitrantur his alludi ad morem quo solebant alligari sublimes servi, et ita loris cædi; forsan jure crederes, *pendens* hic venire a *pendare*, *pendo*, pœnam debitam solvens.

221. *Sed quod modo.* C. G. m. *sed quo modo*, perperam. — *Sed.* Intellige, quasi esset, *sed tamen.*

223. *Quid fac.* C. G. m. *quod faciam.* — *Aufer mî « oportet. »* I. e. noli dicere: « oportet. » — *Quin tu;* quasi esset, potius.

G. Meministin' olim ut fuerit vostra oratio,
In re incipiunda ad defendendam noxiam,
Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?
PHÆ. Memini. G. Hem, nunc ipsa 'st opus ea, aut, si quid potest,
Meliore et callidiore. PHÆ. Fiet sedulo.
G. Nunc prior adito tu; ego in subsidiis hic ero
Succenturiatus, si quid deficias. PHÆ. Age.

224. *Vostra.* Quatuor Be. codd. *nostra.* — *Meministin' ut fuerit.* Qualis fuerit. — *Vostra oratio.* Dicendo *vostra*, alludit haud dubie ad juvenum amborum non modo assensionem factam, sed ipsum auxilium promissum; quod utrumque conjici posse videatur ex verbis Getæ, *Persuasit homini*, etc. Supra vs. 135.

225. *Defendendam.* Al. *defendendum.* — *Noxiam.* Sic scriptum ait Donat. per epenthesin, pro *noxam*, propt. iambum. — *In re incipiunda ad*, etc. Quibus rationibus uti decrevistis, tum quum id incepistis facinus, ut illud, si veniret Demipho, purgaretis ac defenderetis; ut noxiam (i. e. culpam) ac pœnam a vobis amoveretis. Nempe statueratis hoc dicere, Phanii causam esse optimam, justam, quæ non posset non vinci a Phormione, etc. *Juvenc.*

226. *Causam.* Perletus, *causam*, errore, ut liquet, typographico. — *Vincibilem.* Ien. et Ven. *invincibilem.*

227. *Opus ea.* Abest *ea* a codd. Bent. ita C. G. m. — *Nunc ipsa 'st opus ea.* Causa scilicet. — *Si quid potest.* Supp. inveniri.

228. *Fiet sedulo.* Miror cum Perleto, qui Donatus τὸ *sedulo* abundare existimet, quippe quod vim addit dictione obsequentis.

229. *Hic ero.* C. G. m. *adero.* — *Nunc pr. adito tu.* Dicit *adito*, quasi ad prælium. Virg. Æn. V, 378: «nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum.» — *In subsidiis ero.* Subsidia sunt milites, qui primis deficientibus submittuntur; Cæs. B. G. II, 22. — *Hic ero*, pro *hic adero.*

230. *Deficias.* Al. *deficies.* — *Succenturiatus.* Tibi substitutus, ut quum deficies erisque defatigatus, ego recens et integer prodeam. — *Succenturiati*, proprie milites ii dicebantur qui ad replendam centuriam et ordinem parabantur, maxime in collocandis insidiis; ut in locum sauciorum aut cæsorum subirent. *Juvenc.* — *Age.* Verbum est, sæpius usitatum, quod vim hortantis maximam præbeat.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

DEMIPHO. GETA. PHÆDRIA.

DE. ITANE tandem uxorem dúxit Antipho injussu meo?
Nec meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam
Revereri saltem? non pudere? o facinus audax! o Geta
Monitor! G. Vix tandem. DE. Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?

Act. II, sc. 1. Hæc est Mureti scena quinta act. I; eadem Bip. tertia act. II. — In portu senex duxisse filium suum uxorem audivit. Secum ergo conqueritur satis admiratus, quod ille tantum facinus ausus sit implere. Hæc adeo scena continet accusationem et controversiam. *Eugraph.*

231. *Itane tandem.* Iracundiæ et stomacho inservit τὸ *tandem.*

232. *Ac mitto.* Lib. ant. *age, mitto,* ut in Bemb. est. — *Nec meum imperium, ac mitto*, etc. His dictis usus est Cicero, ad Att. II, 19, de Statio suo manumisso adhibitis.— *Ac mitto imperium.* Hæc quasi parenthesi includuntur. Ne dicam imperium, quippe quod levius forte inobediens filius existimarit. — *Simultatem*, indignationem.

234. *Reperient.* Solus omnium Perletus, *reperierit.* — *O Geta Monitor!* Nihil verius quam senem hoc velle: *o Geta monitor:* id est, huic mandes, si quid recte curatum velis. Τὸ *monitor* duplicem vim habet, tum ex destinatione ad officium, tum ex prævaricatione ejus, qui destinatus erat. Geta igitur quum facta et virtutes suas in hoc vocabulo, non modo ut dicebantur sed ut erant, agnosceret, ad Phædriam, cum subrisu et εἰρωνείᾳ μιμητικῇ, *vix tandem* inquit. Quod est: «ego vero monitor.» Ut in Andria, 597, Davus simili μιμήσεως genere dixerat: «Ego vero solus.» Nam τὸ *tandem* hic ἐκ παραλλήλου significat *vero, equidem;* i. e. egregie cessit provincia quam cepi. Quasi vero illi adolescentes indiguissent hujus monitoris, qui libidinem animi ducem ad omnia et magistram haberent. Comicæ sunt hæ interruptiones et festivæ, quas inter conti-

Demiror. G. Atqui reperi jam : aliud cura. De. An hoc dicet mihi :

« Invitus feci ; lex coegit » ? audio, fateor. G. Places.

De. Verum scientem, tacitum, causam tradere adversariis,
Etiamne id lex coegit? Phæ. Illud durum. G. Ego expediam, sine.

D. Incertum 'st quid agam : quia præter spem atque incredibile hoc mî obtigit.
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.

Quamobrem omnes, quum secundæ res sunt maxume, tum maxume

nuam senis orationem actoribus et theatro poeta gratificatur. *Bœcler.* — *Vix tandem.* Hæc Geta a tergo senis cum Phædria. — *Quid mihi dicent?* Vid. ad calcem hujus fabulæ, qua ratione scenam hanc partim imitatus fuerit nostras Molière.

235. *An.* Lib. antiq. *anne.* — *dicet.* C. G. m. Hal. et multi alii *dicent.* Non recte; nam sequitur, *invitus feci*, eadem persona singulari. — *Demiror.* Nescio. Nam admirationem ignorantia facit. *Donat.* — *Atqui reperi jam.* Hæc Geta domino aversus secum, et mox quæ sequuntur eodem modo. — *Aliud cura.* Ne sis sollicitus de nostra excusatione, parata est : alias res cura, o bone Demipho. *Juvenc.*

236. *Fateor.* Al. *et fateor.* — *Places.* C. G. m. *placet.* — *Audio*, approbantis invite. — *Places*, gratum est mihi quod dicis.

237. *Verum scientem*, etc. Construe : *Verum, etiamne lex coegit id*, scil. *scientem*, etc. — *Causam tradere.* Ita negligenter se apud judices defendere, ut causam adversariis facile obtinendam offerre videretur.

238. *Ego expediam.* Hæc Bent. tribuit Phædriæ. — *Illud durum.* Illud est in quo stat discrimen, et difficultas. — *Expediam* ; difficultates quas reformidas amovebo. Scilicet timet Phædria ne velit omnino senex nosse quid sit de his nuptiis; et suam ei operam Geta promittit, verba scilicet Demiphoni daturus.

239. *Incertum 'st*, etc. Quasi diceret, *incertus sum.* — Duos hos versus Dionis Cassii ista, ἐν μέρει παραφράσεως, explicent : ὅταν γάρ τι ἀπροσδοκήτως τινὶ καὶ μετὰ πλείστου παραλόγου προσπέσῃ, τό τε φρόνημα αὐτοῦ ταπεινοῖ, καὶ τὸ λογιζόμενον ἐκπλήσσει, ὥστ' αὐτὸν κάκιστόν τε καὶ ἀσθενέστατον τῶν πρακτέων κριτὴν γενέσθαι. *Bœclerus.*

240. *Instit.* intendere, adhibere.

241. *Quamobrem omnes*, etc. Ῥῆσις graviter incepta, subtiliter deducta, personæ senis et perturbationi rerum apta. Quam commode hoc dixerit Terentius a philosophia sumptum ostendit Cicero, Tuscul. III, 14, allato simili Euripidis loco.

Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant,
Pericla, damna, exsilia : peregre rediens semper cogitet,
Aut filî peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ;
Communia esse hæc; fieri posse; ut ne quid animo sit novum.
Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.
G. O Phædria, incredibile est, quantum herum anteeo sapientia.
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit,
Molendum usque in pistrino; vapulandum; habendum compedes;
Opus ruri faciundum; horum nihil quidquam accidet animo novum.
Quidquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.

243. *Exsilia.* Bene puto corrigi *exitia.* Si tamen alicui placeat *exsilia* retinere, quod codices præferunt, interpunctio et explicatio sic est constituenda : « Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant Pericla, damna, exsilia. Peregre rediens semper cogitet, Aut filii peccatum, etc. » Ut *pericla*, *damna*, *exsilia*, tanquam exempla adversæ ærumnæ, quæ, ut sunt humana, frequenter accidunt, subjiciantur : inde demum ad ea, quæ sunt hujus loci, progressus fiat. *Bœcler.* — Nos autem *exsilia*, hac Bœcleri defensione tuti, admittimus. — *Peregre*, ex aliqua peregrinatione.

245. *Esse hæc, fieri.* Al. *esse et fieri.* — *Communia esse hæc.* Sc. cogitet. — *Hæc*, quæ jam enumeravit mala. — *Ut ne quid*, etc. Sic indicat quamobrem debeat peregre rediens talia cogitare.

246. *Deputare.* Supple *debet, oportet, necesse est.*

247. *Quantum.* Lib. ant. *quanto.*

248. *Meditata*, passive, pro *cogitata.*

249. *Usque.* Pro *usque*, L. Bemb. ac Vict. *esse.* Ms. We. *mihi esse.* — *Habendum.* C. G. m. *habendæ.* — *Molendum usque*, etc. Servorum supplicia enumerat non nulla.—*Usque*, assidue. — *Habendum compedes.* Volebat forsitan dicere poeta *habendum*, ut id prioribus consonaret *molendum, vapulandum.* Hæc syntaxis Varroni non inusitata; de R. R. 1, 21 : *canes habendum.*

250. *Quidquid*, etc. En vero comicam irrisionem senilis sapientiæ, et ipsius verborum mimesin. Cf. supra, vs. 246.

Sed quid cessas hominem adire, et blande in principio adloqui?
DE. Phædriam mei fratris video filium mî ire obviam.
PHÆ. Mî patrue, salve. DE. Salve: sed ubi est Antipho?
PHÆ. Salvum advenire... DE. Credo: hoc responde mihi.
PHÆ. Valet; hic est: sed satin' omnia ex sententia?
DE. Vellem quidem. PHÆ. Quid istuc? DE. Rogitas, Phædria?
Bonas, me absente, hic confecistis nuptias!
PHÆ. Eho, an id succenses nunc illi? G. O artificem probum!
DE. Egone illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mî in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
PHÆ. Atqui nil fecit, patrue, quod succenseas.

252. *Adire.* Bene *adire*, quasi terribilem et pugnaturum. *Donat.* — His dictis, Phædria prodit.

254. *Salve.* Prærupta voce et severa loquitur senex.

255. *Advenire.* L. Bemb. *venire.* — *Salvum advenire...* Scil. *gaudeo;* ut mox, quum Geta salutat; sed interrumpit æstus Demiphonis ob filii peccatum. *Casaub.* — *Credo.* Breviter et aspere forsan respondet. — *Hoc responde*, sc. quod petii, ubi sit Antipho.

256. *Valet.* Hic oratorie dissimulat, atque ita respondet, quasi senex non iratus quærat, sed de salute sollicitus sit Antiphonis. *Don.* — *Hic est*, domi, non procul. — *Ex sententia.* Subaudi *procedunt.* Ex animo, ut vis; salutandi formula.

257. *Quidem.* Perlet. *equidem.* — *Quid istuc?* Al. add. *est.* — *Vellem, quidem*, «supp. omnia evenire ex sentent.» — *Quid istuc*, scilic. est quod tu doles.

258. *Bon. me absente,* etc. Crimen in duobus esse demonstrat: quod *non bonas*, et quod *absente patre.* — *Confecistis.* Non quod loquatur hic de duplicibus Phædriæ et Antiphonis nuptiis; sed *confecistis* indicat, quam operam huic rei Phædria ipse adhibuerit.

259. *An id.* Lib. antiq. *an tu id.* — *Eho.* Attonitum simulat, hæc dicendo. — *Id*, propter *id.* — *O artificem probum!* Geta hæc a tergo dicit; et laudat Phædriam, quod defensionem patruelis eo astu inceptet, quod optabatur: fronte composita, verbis fidem asseverantibus. Conferri debent vers. 278, 285. *Bæcler.*

260. *Egone illi*, etc. Tenet arreptum senex, quod Phædria tetigerat. *Perl.* — *Gest.* vehementer cupio.

261. *Nunc sua culpa ut sciat*, etc. Ordo est, ut sciat nunc, culpa sua lenem, etc. Dicere etiam poterat, *ex leni acerrimum factum*, uti Andr. 37. — *Illum*, significantius.

263. *Atqui*, verumtamen. — *Quod*, propter quod.

DE. Ecce autem similia omnia! omnes congruunt.
Unum cognoris, omnes noris. PHÆ. Haud ita 'st.
DE. Hic in noxa est; ille ad defendendam causam adest.
Quum ille est, præsto hic est: tradunt operas mutuas.
G. Probe horum facta imprudens depinxit senex.
DE. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria.
PHÆ. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret aut famæ temperans,
Non causam dico, quin, quod meritus sit, ferat.

264. *Ecce autem similia omnia!* Ecce quam sunt similes omnes! — *Congruunt*, inter se consentiunt.

265. *Unum cognoris.* Codd. Be. *unum quum noris — Unum cognor.* Præponendum erat *si.—Omnes*, sc. juvenes. Sic Virgil. Æneid. II, 65: « et crimine ab uno Disce omnes. »

266. *In noxa.* Al. *in noxia.—Hic*, Antipho. — *Noxa*, culpa. — *Ille*, Phædria.

267. *Quum ille est.* C. G. m. *q. ill. abest.* Al. *deest.*—Guyetus plane expungit hos duos versus; nollem factum, satis enim probi et eruditi et Terentio digni videntur: quos Donat. bene interpretatur, et exemplo Ciceroniano, Verr. II, 12, plane huc convenienti illustrat; sicut invicem Asconius Pedianus cum loco Ciceroniano hos duos versus comparat. *Bœcler.* — *Quum ille est.* Quum Phædria est in noxa. — *Trad. oper. mut.* Sibi mutuo præstant opem atque operam. Apparet enim infra Antipho, mutuam Phædriæ amori operam navans libenter.

268. *Probe*, fideliter, ad naturam. — *Imprudens*, insciens; nescit enim in amore citharistriæ esse Phædriam.

269. *Ni hæc ita essent.* Nisi tu ipse esses in culpa. Vide quemadmodum jam præstruat poeta ad ea quæ futura sunt, ad adjuvandum amorem Phædriæ. *Don.* — *Cum illo haud stares.* Non defenderes Antiphonem.

270. *Si est ut Ant. admis.* Pro simpl. si Antipho admisit. — *In se.* Bono ornatu addidit *in se*. Quum et sine hoc plenum videri possit; et hic est, quem Cicero succum orationis appellat. *Don.*

271. *Ex qua re*, ex qua culpa, quamobrem. Haud venuste insertum *re*, quum præposuisset *culpam;* ait hic Donatus. Atqui ita Terentius, pergit Casaubon. haud dubie consulto maluit, ut orationi venustatem ex allusione in verbis, *re*, et *rei*, in diversa significatione positis, conciliaret. Notum est Atticos agnominationibus valde delectatos esse: quos imitatus Terentius, plenus est illis. Sed et extra πλοκὴν, τὸ *res* interdum eleganter repetitur: ut a Cicer. de Offic. « *Valetudo* sustentatur observatione earum rerum, *quæ res* aut prodesse soleant aut abesse. » Et ad Quint. Fratr. « Quæ res ad officium imperii pertinebant, de iis rebus ne attingat. » — *Minus rei foret aut famæ temperans.* Minus consuleret suæ famæ aut pecuniæ.

272. *Meritus sit.* Lib. ant. *Mer. est.*

Sed si quis forte, malitia fretus sua,
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac vicit; nostran' culpa ea est? an judicum,
Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
G. Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
De. An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,

— *Non causam dico.* Non excuso illum, nihil pugno quin, etc. — *Quod*, pœnam quam.

273. *Sed si quis forte.* Dicit *forte*, quasi non defensurus, sed simul causam cogniturus advenerit. Nec contendit esse verum quod dicit, ne sollicitum faciat ad credendum. Sic apud Virgilium Sinon, Æneid. II, 136: «Dum vela darent, si *forte* dedissent.» Perletus male, ut nobis videtur, bene dici existimat *forte*, de parasito, ut qui obviam daretur. — *Malitia fretus sua.* Præparat ad percipiendam fraudem Phormionis.

274. *Nostræ adolescentiæ.* Opportuna ætas, quæ decipiatur; unde facilior prodit defensio peccati.

275. *Culpa ea.* Al. *ea culpa.*—*Ac vicit*, in judicio.—*Nostran' culpa*, etc. Potentior ἡ ἐρώτησις. Et vide quam mire assurrexerit in fiduciam defensoris. Nam quum supra de Antiphone dixerit, nunc intulit *nostra*. *Don.* — *An judicum.* Donatus nimis hic timidus est, dum veretur ne judices indecore accusentur. Certe *culpam judicum*, citra ambages, incusari videmus, et partitione describi. Quin enim sæpe ad hunc modum Athenis judices peccarent, nemo rerum Atticarum peritus negaverit. Itaque color, quo adolescens hic usus est, nihil habuit a moribus temporum abhorrens; nec enim poeta tam rudem faceret causæ defensorem. Sed quia hac quidem in re frustra in judices culpa conferebatur, non reliquit eos indefensos, quum senex mox infert, vs. 279, 280: « An quisquam judex est, etc.» Nam justa causa etiam judici debet approbari; qui secundum ea quæ probata sunt, sententiam ferre tenetur. *Bœcler.*

276. *Propter invidiam adimunt.* Notum est alteri detrahere qui invident. *Don.* (*ex Em. Zeun.*) — *Diviti*, designat Antiphonem.

277. *Pauperi*, designat Phanium.

278. *Ni nossem causam.* Oblique poeta se laudavit, dum suavissime laudavit oratorem; qui omnia ad persuadendum idonea advocans, solum conscium non adduxit ad credendum. *Don.*

279. *An quisquam j. est*, etc. Apparet jam persuasum seni esse, verum exstitisse quemdam adversarium, non subjectum atque appositum sycophantam. Unde ad aliud transit, ut accuset segnitiem in respondendo, quæ levior culpa est. Ita, ut cedentibus mos est, paulatim seni singula extorquentur e manibus.

280. *Tua justa*, quod jure tuo aut postulare, aut denegare pos-

Ita ut ille fecit? PHÆ. Functus adolescentuli est
Officium liberalis : postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui :
Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.
G. Laudo hunc : sed cesso adire quamprimum senem?
Here, salve: salvum te advenisse gaudeo. DE. Ho!
Bone custos, salve, columen vero familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
G. Jam dudum te omnes nos accusare audio
Immerito, et me horunc omnium immeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servum hominem causam orare leges non sinunt;
Neque testimonii dictio est. DE. Mitto omnia.
Addo istuc: imprudens timuit adolescens : sino.
Tu servus : verum, si cognata est maxume,

sis. — *Tua, tute.* Hæc generaliter dicta accipe. — *Verbum*, ne unum quidem verbum.

281. *Ille.* Antipho. Perlet. *illi*, errore typogr. — *Functus ad. est Off. lib.* Ingeniose non negavit hoc crimen, occasionem laudis de confessione sumpturus.

282. *Officium.* Mss. quid. *officio.* — *Postquam ad judices.* Cf. supra 129.

283. *Cogitata*, quæ præparaverat.

284. *Ita*, in epiphonemate. — *Ibi*, coram judicibus.

285. *Laudo hunc.* Phædriam nempe laudat, bonum propinqui defensorem. — *Senem*, Demiphonem. — Hæc dicens prodit.

286. *Here, salve.* Pudorem simulat ac reverentiam.

287. *Bone custos.* Per ironiam acerbe dictum. — *Columen*, sustentaculum.

288. *Cui comm.* Supra. 71, 72.

289. *Jam dudum te omnes*, etc. Vultuose hæc dicit veterator.

290. *Me horunc.* Al. *horum me.* — *Immeritissimo.* Mss. We. *Immeritissimum.*—*Horum*, eorum quos accusas.

291. *Tibi.* Vox illa abundat ad sensum, non autem ad vim dictionis.

292. *Orare*, in judicio agere.

293. *Testimonii dictio.* H. e. jus et potestas testimonii dicendi. — *Mitto omnia.* Et jam hoc perdidit senex, quod videbatur validum ad accusationem. Ita gradatim illi singula subducuntur, et accusationis impetus evanescit. *Don.*

294. *Addo.* Al. *adde.*—*Addo*, concedo. — *Imprudens timuit.* Respice vs. 283, 284. — *Sino.* Concedentis est, contra voluntatem.

295. *Tu servus.* Audio quod dicis, te servum esse : subaudi, adeoque tibi non licuisse testimonium dicere; sit ita sane. Non videbantur Romanis servi satis idonei testes esse posse, quibus imperari scilicet

Non fuit necesse habere; sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis, quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
G. Non ratio, verum argentum deerat. De. Sumeret
Alicunde. G. Alicunde? nihil est dictu facilius.
De. Postremo, si nullo alio pacto, fœnore.
G. Hui! dixti pulchre, si quidem quisquam crederet
Te vivo. De. Non, non sic futurum 'st; non potest.
Egon' illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nil suave meritum 'st. Hominem commonstrarier
Mî istum volo, aut, ubi habitet, demonstrarier.

potuerat ut essent testes. *Juvenc.*— *Si cogn. est maxume.* Etiam si esset gradus cognationis, vel summus.

296. *Necesse.* L. Be. *necessum.* — *Non fuit*, non erat.— *Habere*, scilic. uxorem.

297. *Daretis*, dare debueratis.

298. *Qua ratione*, propter quam rationem. — *Inop. pot. duceb.* Non *inopem potius;* sed *potius ducebat*, subdistinguendum est. *Don.*

299. *Non ratio*, non auctoritas legis. — *Sumeret*, supp. *mutuum*, et intellige rursus, sumere debuerat.

301. *Pacto, fœnore.* Al. *pacto vel fœn.*— *Postr.* etc. Ostendit se senex hæc perdere: quum ab his ad alia transcendit exclusus. — *Fœnore.* Animadvertendum, aliud esse, sumere mutuum, aliud sumere *fœnore.* Nam mutua quoque dabantur sine usuris.

302. *Dixti pulchre.* Ironice. — *Si quidem*, etc. Hic West. commemorat, vetus olim senatusconsultum fuisse, quod primum a Solone sancitum ad Romanos deductum sit; quo cautum fuerit, patre vivente, filio, qui sub patris potestate est, credi pecuniam non licere.

303. *Non, n. sic fut.* Hic jam palmæ locus est debitæ Terentio, siquidem et omnia objecerit Demipho, et omnia solverit Geta: quibus actis, sola irrationabilis exclamatio relinquetur seni. *Don.*

304. *Ut patiar.* Supple, *fierine poterit, ut.*

305. *Meritum 'st.* Bent. *meritu 'st.* Govean. et Guy. malebant *merita 'st.* — *Nil suave mer.* Magna hic difficultas, circa quam omnes plus minus infeliciter varii hæserunt adnotatores. Duplicem autem nos proponemus sensum, vel eum quem offert Donatus: ordo et sensus hic est: « nihil mihi mercedis suave est, ut ego illam cum illo nuptam feram.» *Suave meritum* enim suavem mercedem significat. Vel (quum hanc Donati adnotationem plane ineptam proclamet Bœclerus), intellige hæc acerbe dici in auctorem facinoris: « omnia mala meritus est ille a quo indicas in jus raptum fuisse Antiphonem.» Quem posteriorem sensum Nos anteponimus.

306. *Comm. Mî istum volo.* Bono ordine pervenit ad Phormionem, a quo magis confutabitur. *Don.*

G. Nempe Phormionem? De. Istum patronum mulieris.
G. Jam faxo hic aderit. De. Antipho ubi nunc est? G. Foris.
De. Abi, Phædria: eum require, atque adduce huc. Phæ. Eo
Recta via quidem illuc. G. Nempe ad Pamphilam.
De. At ego Deos Penates hinc salutatum domum
Devortar: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,
Ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio.

SCENA SECUNDA.

PHORMIO. GETA.

Pho. Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse?
G. Admodum.
Pho. Phanium relictam solam? G. Sic. Pho. Et iratum senem?
G. Oppido. Pho. Ad te summa solum, Phormio, rerum redit,
Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum: accingere.

308. G. *Foris.* Alii hoc tribuunt Phædriæ.—*Faxo hic ad.* Arcessam.

310. *Quidem.* Al. *equidem.*—*Illuc.* Ubi ille est. — *Nempe ad Pamph.* hæc submisse Geta.

311. *Deos Pen. sal.* Erant Dii familiæ unicuique urbi et loco proprii, qui in penitiore domo et interiore colebantur ab redeuntibus aut ab euntibus. *Juv.*

313. *Adsient.* Proprie dicuntur *adesse* advocati.

Sc. II. In hac scena de parasitis vilioribus Terentius proponit imaginem vitæ: ut in Eunucho de potioribus, et his, qui nuper processerint, id est, de assentatoribus. Animadvertendum autem, hujusmodi genus hominum magis a Terentio lacerari. *Don.*

314. *Si.* Alii, *quum.* — *Adv.* Var. *adveniet*, *advenerit.*

315. *Consp.* Al. *adventum.* — *Itane.* Verene? — *Veritum*, Antiphonem. — *Hinc*, e domo patris. — Adhuc narratur fabula de Terentio et Ambivio ebrio: qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter, atque aurem minimo inscalpens digitulo, hos Terentio pronuntiavit versus: quibus auditis exclamaverit poeta, se talem quum scriberet, cogitasse parasitum: et ex indignatione, quod eum saturum potumque deprehenderat, delinitus statim sit. *Don.*

316. *Phan. rel. sol.* sc. ais.

317. *Opp.* Admodum, valde. Non autem *ait*, sed *iratum* intellige. — *Ad te redit*, te spectat solum. — *Summa rerum*, tota hæc res.

318. *Intristi.* Par. *intrusisti*; inusitate. — *Tute h. intr.* Ex proverbio natum; quod est apud rusticos, quum male intritum cibum coactus

G. Obsecro te. PHO. Si rogabit? G. In te spes est. PHO. Eccere.
Quid si reddet? G. Tu impulisti. PHO. Sic opinor. G. Subveni.
PHO. Cedo senem! jam instructa sunt mihi corde consilia
omnia.
G. Quid ages? PHO. Quid vis, nisi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem sénis?
G. O vir fortis, atque amicus! verum hoc sæpe, Phormio,
Vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat denique. PHO.
Ah!

est sumere, qui intrivit. Et est sensus : A te confecta res est, quam debes absumere. —*Accingere*, appara te atque expedi.

319. *Obs. te*, subaudi, *ut nobis succurras :* sed parum attendens Phormio ad ea quæ Geta dicit, secum alia meditatur, et quemadmodum Demiphoni respondeat, exquirit; unde abrupta oratio est. *Juvenc.* — *Si rog.* Quid respondebo, inquit secum Phormio, si roget Demipho, quare Phanium sit cognata Antiphonis. — *Eccere.* Adverbium jurandi, pro *æcere*, id est, per ædem Cereris : ut *ædepol*, *ædepol*, *ædepol*, etc. Plaut. « Jam enim eccere ibo ad forum, atque hæc facta Narrabo seni. » Atque alibi sæpius. Nisi tamen diversa sunt *eccere*, pro *ecce res*, jurantis; et *eccere*, pro *ecce res*, vel *ecce rem*, confirmantis adverbium : ut et vetus Gloss. videtur distinguere. *Mer. Casaub.*

320. *Quid si reddet?* At, inquit, rursum Phormio, si Demipho respondeat... non exponit quid sit illud quod ipse cogitat responsurum Demiphonem. — Scilicet, *reddo*, *refero*, interdum sumitur pro, respondeo. Sententia quoque esse potest hæc : quid si velit Demipho nobis Phanium reddere cum pecunia et dote, ut alii nubat, et ab Antiphone divellatur, quid faciemus? — *Tu impulisti.* Supp. ut fictam nobis intendi litem pateremur. — *Sic opinor.* Non respondet Phormio Getæ, sed sibi : sic, inquit, opinor, bene respondebo : ita me expediam, sic est. — *Subveni*, scil. mihi et Antiphoni.

321. *Corde.* Quid. Mss. *in corde.* — *Cedo senem.* Jam siste mihi Demiphonem, paratus sum congredi.

322. *Quid ages?* Non interrogantis, sed metuentis hoc dictum est. *Don.* — *Quid vis*, supp. *efficiam;* et cave ne jungas *quidvis.* — *Maneat*, sc. apud virum, apud Antiphonem.

323. *Senis.* Libb. quid. Bent. *patris.* — *Deriv.* conferam, convertam.

324. *O vir f. atque amicus!* Partic. *o*, cum nominativo, vid. Sanct. Minerv. IV, 5. —*Hoc*, aut pleonasmum est, aut ellipsis, ob, propter *hoc.*

325. *In nervum erumpat.* Hæc consuetudine romana dixit : quia sæpe in nervum conjiciebantur, ex aliquo maleficio in carcerem missi.

Non ita est : factum est periclum, jam pedum visa 'st via.
Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem,
Hospites, tum cives? quo magis novi, tanto sæpius.
Cedo dum, en! unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?
G. Quî istuc? PHO. Quia non rete accipitri tenditur, neque milvo,
Qui male faciunt nobis; illis, qui nil faciunt, tenditur.
Quia enim in illis fructus est; in istis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest;

An, numquid proverbium a sagittariis natum est; quod immoderatæ plerumque vires adducendo arcu non telum incitent, sed nervum rumpant? An ex eo, quod sæpe fortius ferientes, nervum sibi aliquem lædant? Ergo fortitudine nimia sæpe vinci, sæpe decipi contigit. *Don.*

326. *F. est per.* etc. Distinguunt non nulli, *fact. est per. j. pedum : visa 'st via*, inconsulte. Jungendum est *pedum via.* — *Fact. est periclum.* Alia similia sum jam expertus. — *Jam ped. visa 'st via.* Jam prospexi quæ via ineunda mihi sit, ubi ponenda sint singula vestigia. — Aliis *via pedum*, pro *vestigia pedum*, ut sit metaph. a venatoribus.

327. *Me hom. deverberasse.* Homines a me deverberatos fuisse.

328. *Quo mag. nov., tant. sæp.* Palmer, invert. *quo sæpius, t. nov. mag.* — *Quo magis nov. t. sæp.* Quo notior via, tanto plures quotidie perdo. Vel intellige, ut vult Perletus, parasitum de flagitiis gloriantem, gradatione uti: peregrinos, populares, etiam notissimos.

329. *Cedo dum.* Agedum — *En! unquam inj.* etc. Vividius est hæc per interrogationem intulisse. — *Mihi script. dic.* Scribere dicam (a dica, dicæ) alicui alicujus criminis, est litem alicui intendere, accusare de aliquo crimine: « an audivisti me in jus aliquando vocatum fuisse, quod injuriam alicui fecissem.»

330. *Milvo.* Bip. *Miluo.* — *Quî*, quo pacto. — *Quia non rete*, etc. Quia non retia tenduntur milvis et accipitribus qui nobis nocent, ac sunt aves rapaces, sed illis avibus quæ nihil nobis faciunt mali: in his enim capiendis est fructus, id est, utilitas aliqua, operæ pretium, sed in milvo et aliis id genus avibus capiendis opera et labor frustra ponitur; non enim prosunt istæ aves ad cibum, et capi facile nequeunt. *Juv.*

331. *Illis, qui nil fac*, etc. Capitur sensus idem Juvenal. II, 63 : « Dat veniam corvis, vexat censura columbas.»

332. *Istis.* Var. *his; illis.*

333. *Aliis al.* etc. Id est, hominibus mihi dissimilibus, non unum periculum affertur; nempe divitibus, quibus est aliquid quod auferatur. *Juv.* — *Aliunde*, variis e locis, hinc atque inde; hanc enim vim habet junctum cum voce *aliis*. Sic:

Mihi sciunt nihil esse. Dices : ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem ; et sapiunt mea sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
G. Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
PHO. Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Ten' asymbolum venire, unctum atque lautum e balneis,
Otiosum ab animo ; quum ille et cura et sumptu absumitur.
Dum fit tibi quod placeat, ille ringitur ; tu rideas ;
Prior bibas, prior decumbas : cœna dubia apponitur.

aliis aliud placet ; alii aliunde veniunt ; alii aliunde perielitantur. Juv. — *Abradi*, per vim auferri.

334. *Mihi nihil esse.* Me esse inopem. — *Duc. domum.* Secundum jus scilicet, quo obærati, quum solvendo impares essent, ipsi manu capiebantur. — *Damn.* Vid. not. seq.

335. *Mea sentent.* Lib. ant. *mea quidem sent.* — *Alere.* Debitores enim creditoribus addicebantur in servitutem, donec solverent. Interea autem, nisi ipsi habebant unde viverent, alendi erant ab illis. Inde judicati, *damnati* (vs. 334), aut nexi dicebantur. *Perl.* — *Hom. edacem.* Scil. parasitum. — *Et sapiunt*, et sibi consulunt. Comice se significat parasitus, ac vere.

336. *Pro mal.* Nota sup. vs. 331. — *Beneficium summ.* scilic. ut me alant hominem edacem atque inopem. — *Reddere*, retribuere, reponere.

337. *Ab illo.* Scilicet Antiphone. Hujus enim causam Phormio egit.

338. *Immo enim*, e contrario. — *Satis pro merito*, dignam beneficio. — *Regi.* Homini diviti, qui parasitum alit.

339. *Asymbolum.* C. G. m. *ad symbolum.* Alii, *ad symbolam.* Hic Donat. sex versus Ennii adfert, unde Terentium, non ab Apollodoro hæc desumpsisse credit. — *Ten' venire.* Intellige, quasi esset : nonne hoc magnum beneficium est, quod tu parasitus venias ad cœnam asymbolus. — *Asymbolum.* Symbola est pecuniæ pars certa, quæ a convivis datur in sumptus cœnæ ; *asymbolus* ille est, qui non solvit suam illam ratam pecuniæ partem, pro quo alius solvit. — *Unctum atque laut. e baln.* Tangit morem et luxum veterum, quibus unctiones et lotiones erant quotidianæ, non sine maximis sumptibus. *Perl.*

340. *Otiosum ab an.* vacuum curis et sollicitudinibus. — *Ille*, rex tuus, dives apud quem cœnas. — *Cura*, in apparando. — *Sumptu*, in coemendo.

341. *Dum fit tibi.* Lib. antiq. *Dum tibi sit.* — *Dum fit*, dum elaboratur. — *Quod pl.* quod placere possit. — *Ille ringitur ; tu rideas.* Varie ; nam pronuntiativo conjunctivum miscuit. Non enim dixit, *ringatur.* Ringi, est stomachari tacitum : est enim translatio a canibus latraturis. *Don.*

342. *Decumbas*, accumbas mensæ. — *Cœna dubia.* Hujus vocis explicationem ipse dat Getæ interroganti peritissimus Phormio, dicens : *ubi tu dubites*, etc. Hinc eamdem locutio-

G. Quid istuc verbi est? Pho. Ubi tu dubites quid sumas potissimum.
Hæc, quum rationem ineas, quam sint suavia et quam cara sint;
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem Deum?
G. Senex adest: vide quid agas: prima coitio 'st acerrima.
Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas licet.

SCENA TERTIA.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

De. En! unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam injuriam, quam hæc est mihi?

nem Horat. mutuasse videtur, Sermon. II, 2, 76. — Adnotat hic *Lemonnier:* « madame Dacier, pour éviter l'expression, un *repas douteux*, se sert du mot *ambigu*, qui, de son aveu, ne rend pas *cœna dubia*. Elle n'a pas senti qu'en se servant d'un mot usité et connu de Géta comme de Phormion, l'explication que demande Géta est ridicule et déplacée. »

344. *Rationem*. Lib. ant. *ratione*. — *Quum rationem ineas*, si modo tecum existimes, perpendas. — *Hæc*, quæ scilicet apposita sunt epularum. — *Cara*, magni pretii. — *Non tu hunc hab*. Possesne hunc non habere. — *Præsentem*, summum, propitium; qui enim præsentes sunt, maxime adjuvare possunt.

346. *Senex*, Demipho. — *Vide quid agas*. Non terrentis est, sed excitantis. — *Coitio*, congressus et impetus: sumptum a militia.

347. *Post illa*, postea, postmodum. — *Ut lubet, ludas licet*. Poteris senem arbitrio tuo ludificari. — *Licet*, a *licere*, imperson. dictum.

Sc. III. Hæc scena tenet controversiam talem: orba proxumo nubat; orbam proxumus ducat. Bis de eadem re actio ne sit. *Eugr.* — Ab altera parte Demipho pernegat filium proximum esse Phanio; ideoque illum non cogi posse ducere eam.

348. *En! unquam*, etc. Loquitur Demipho cum advocatis. — Hic fuse admodum et accurate Bœclerus: « Poetæ nostri δεινότητα ubivis observes licet: *en* (excitat ad considerandum rem magnam); *unquam* (a tempore); *cuiquam* (a persona); *contumeliosius* (a genere injuriæ); *audistis* (vel aliunde); *factam injuriam* (potentius jam infertur, ut et sequens particula, qua absolvitur conquestio indignitatis), *quam hæc est mihi?* ipsumque interrogationis σχῆμα rem attollit. Cui ἀποστροφὴ, ad similitudinem quiritationis facta, pondus adjicit: *adeste, quæso.* »

Adeste, quæso. G. Iratus est. PHO. Quin tu hoc age : st!
Jam ego hunc agitabo. Pro Deum immortalium!
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat esse cognatam? G. Negat.
DE. Ipsum esse opinor, de quo agebam. Sequimini.
PHO. Neque ejus patrem se scire qui fuerit? G. Negat.
PHO. Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit? G. Negat.
PHO. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa : vide, avaritia quid facit!

350. *Hoc age.* C. G. m. *hoc ages.* — *St!* Abest nota hæc silentii a C. G. m. et Hal. — *Iratus est.* Hæc Geta Phormioni.— *Quin tu hoc age : st!* Attentionis et silentii formula. *St!* significat silentium.

351. *Pro De. immort.* C. G. m. add. *fidem.* — *Agitabo*, perturbabo, exercebo. — *Pro Deum immortalium!* Sub. *fidem.* Pugnat cum Geta Phormio, quasi nondum adspexisset Demiphonem : Geta heri partes tueri se simulat : et ideo clara voce Phormio pronuntiat versum qui sequitur : *Negat Phanium*, etc.

352. *Esse hanc sibi cognatam.* Magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit. Nam et prior incipit, et prior accusat; et quia non potest dicere, « Expellit Phanium Demipho? » *negat cognatam*, inquit. *Donat.*

353. *Hanc.* Collocat in principio hoc pronomen, omni vi pronuntiandum, quo insigniorem reddat illam, velut rectissime cognatam. Est enim flagitatio invidiosa. *Perl.* — *Negat.* Etiam Geta particeps doli ac fraudis est, juvando Phormionem atque incitando.

354. *Ipsum esse opin.* Sc. Phormionem. — *Sequimini.* Apparet Demiphonem, ut patremfamilias, perturbari non mediocriter : quippe qui et advocatos conquisiverit adversus hominem sine advocatis agentem, et progredi non audeat, nisi illi sequantur. *Donat.*

355. Hunc versum veterrimi Bent. codd. non agnoscunt. Quem ille tamen in aliis vetustis eoque ordine invenit, quo supra est. Vulgo anteit hic versus priorem nostrum, quem vero sequitur commodius. *Perlet.* — *Neque.* Addendum *negat.* Hic duas negationes affirmare monet Westerhov. — *Ejus*, Phanii.

356. Hunc pariter versum nonnullæ edd. haud sine injuria eliminarunt. Sed Don. explicat eum; et Bent. ex veterrimis libris inventum reposuit. Facile autem τὰ ὁμοιοτέλευτα *negat, negat*, in causa poterant esse, cur omitteretur. — *Stilphonem scire qui fuerit.* Locutio cognita, pro *scire qui Stilpho fuerit.* Hæc autem asseveratio mentientis est, imitata veritatem. Audisse enim parasitum nomen *Stilphonis* ab ipsa puella verisimile est. Ita vocari se finxerat Chremes in Lemno. Vide vs. 739, 741.

358. *Negligitur.* Par. Bent. ed. *neo legitur.*

G. Si herum insimulabis malitiæ, male audies.
De. O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit?
Pho. Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illum minus norat: quippe homo jam grandior,
Pauper, cui in opere vita erat, ruri fere
Se continebat; ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat: sæpe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum.
At quem virum! quem ego viderim in vita optumum.
G. Videas te atque illum, ut narras. Pho. I in malam crucem!
Nam ni ita eum existumassem, nunquam tam graves
Ob hanc inimicitias caperem in nostram familiam,

359. *Malitiæ*. Un. ex codd. Bent. *avaritiæ*. — *Malitiæ*, improbitatis, avaritiæ. — *Male audies*, quasi diceret: calumniator et falsiloquus æstimaberis.

360. *Etiam me*. Al. *etiamne*. — *Advenit*. Al. *venit*.—*Ultro*, consulto.

361. *Adolescenti*. Antiphoni. — *Nihil est quod succens*. Nullam causam habeo, cur irascar. Veterator callidus hæc omnia fingit: et subtiliter filium, qui veluti invitus nuptias contraxerit, apud patrem purgat, sed ita, ut senex magis in invidiam adducatur. *Bip*.

362. *Illum*, patrem ductæ uxoris. — *Jam grandior*, scil. qui grandior fuit, quam ut illum adolescens optime nosse posset.

363. *Opere*. Lib. ant. *opera*, sexto casu. — *Cui in opere vita erat*. Ex græco expressum: ᾧ τὸ ἔργον ἦν ὁ βίος. Qui opus rusticum faciendo victum quærebat. — *Fere*, pæne semper.

364. *De nostro*. H. e. Phormionis, qui se etiam bonis ortum fingit parentibus.

365. *Senex*, pater Phanii.

366. *Se hunc negligere cogn. s.* Se negligi ab hoc Demiphone, cognato suo.

367. *At quem virum!* Formula laudandi. Quam vir probus erat ille Phanii pater! — *In vita*, vita et moribus.

368. *Videas te*, etc. Hunc locum non ita corruptum Bentl. et alii intactum, opinor, melius reliquissent. — *I*. Lib. antiq. *abi*. Al. codd. verbis et *abi*, et *i* omissis, hab. *in malam rem*, adverbialiter secundum Don. C. G. m. *abi hinc*. — *Videas te atque illum, ut narras*. Hunc vexatissimum locum, super quo nulli interpretum consentiunt, arbitramur esse aposiopesin, ita ut non sinat Phormio Getæ sententiam absolvi. Gallice «On verrait que toi et lui, à t'entendre...», et supple si libet, *omnium optumos vixisse*, aut quiddam simile.

369. *Ita*, scil. in vita optimum.

370. *Nostram fam*. Libb. Fa. *vestram. fam*.—*Ob hanc*. Id est, causa filiæ ipsius.

Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
G. Pergin' hero absenti male loqui, impurissime?
PHO. Dignum autem hoc illo est. G. Ain' tandem? Carcer!
DE. Geta.
G. Bonorum extortor, legum contortor. DE. Geta.
PHO. Responde. G. Quis homo est? ehem! DE. Tace. G. Absenti tibi
Te indignas seque dignas contumelias
Nunquam cessavit dicere hodie. DE. Ohe! desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona venia expeto,
Si tibi placere potis est, mî ut respondeas.
Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi,
Et quî cognatum me sibi esse diceret.
PHO. Proinde expiscare, quasi non nosses. DE. Nossem?
PHO. Ita.
DE. Ego me nego; tu, qui ais, redige in memoriam.

371. *Quam.* Guy. *quem*, sub. *Stilphonem.* — *Is*, Demipho. — *Illiberaliter*, tali familia indigne.

372. *Absenti.* C. G. m. *absente.*— *Hero absenti.* Argute *absenti*, ut videatur fidelior, qui defendat absentem. Dissimulabat autem Geta se vidisse herum præsentem. *Perlet.*

373. *Dignum autem hoc illo est.* Hæc convicia in eum ingeruntur merentem. — *Ain' tandem?* Aisne illum his dignum esse maledictis. — *Carcer*, homo dignus carcere.

374. *Bonorum extortor*, per vim raptor. — *Legum contortor*, qui leges detorques in rem tuam, per scelus.

375. *Responde.* Tacitus hoc Getæ suggerit Phormio, et a Demiphone aversus. — *Tace.* Vellet senex, quantum potest, se non agnosci a Phormione.

377. *Ohe! desine.* Hac voce ostendit, plus justo pro se locutum videri Getam.

378. *Adolescens.* Ita compellat Phormionem senex; et *bona venia* addit, ut ejus benevolentiam magis sibi paret, quam iram. *Donat.*

379. *Si tibi placere*, etc. Metum senis, cui parum successerat prima de jure disputatio, intelligi vult poeta; quod commotior ingenio, et nunc ira non mediocri instigatus, tam placide adversarium alloquitur, veniamque præfatur. *Bœcler.*

380. *Explana*, expone.

381. *Quî*, quo jure.

382. *Proinde*, perinde. —*Expiscare*, expiscaris, a me rescire per dolum vis. *Expiscari* est diligentissime quærere, ubinam *pisces* lateant. *Don.* — *Ita*, profecto, novisti.

383. *In memor.* C. G. Ch. et Mur. *ad memoriam.* — *Nego*, sub. *nosse.* — *Ais*, me nosse. — *Redige*, revoca.

PH. Eho, tu sobrinum tuum non noras? DE. Enicas.
Dic nomen. PHO. Nomen? DE. Maxume: quid nunc taces?
PHO. Perii hercle! nomen perdidi. DE. Hem, quid ais? PHO. Geta,
Si meministi id quod olim dictum 'st, subjice: hem!
Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
DE. Egone autem tento? G. Stilpho. PHO. Atque adeo quid mea?
Stilpho 'st. DE. Quem dixti? PHO. Stilphonem inquam; noveras?
DE. Neque ego illum noram; neque mî cognatus fuit
Quisquam istoc nomine. PHO. Itane? non te horum pudet?
At si talentûm rem reliquisset decem.
DE. Dî tibi male faciant! PHO. Primus esses memoriter
Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.

384. *Enicas.* C. G. m. *enecas.* — *Tu sobrinum tuum*, etc. Scurriliter vexat hominem. Quem enim cognatum generatim dixerat, nunc sobrinum vocat. *West.* — *Enicas.* Obtundis me istis ambagibus.

385. *Maxume.* Hoc *maxume* tribuimus, auct. Bentl. et post Perlet. Demiphoni; aptius quam, ut vulgo fit, Phormioni. — *Quid nunc taces?* Urget senex: quia intelligit eum nomen nescire. *Don.*

386. *Perii hercle! nomen perdidi.* Egregia arte hic parasitus sycophanta partim seorsum cum servo de nomine quærit, partim aperte moram fiducia frontis et vulgari tergiversantium schemate prætexit. *Bœcler.* — *Geta, si memin.* etc. Hæc Phormio submisse.

387. *Subjice.* C. G. m. *subice.* — *Hem!* Al. *en.* — *Si meministi id quod*, etc. Suggere mihi nomen quod antea tibi dixi. Rogat id clam Getam.

388. *Non dico.* Quum Geta respondere cunctaretur, conversus Phormio ad Demiphonem, ait: «Hem non dico,» id est, «Nolo tibi nomen dicere, quia id a me tentandi causa quæritas, quod probe nosti.»

389. *Stilpho.* Vox Getæ suggerentis. — *Quid mea.* Parum curo velisne me tentare, nec ne.

390. *Noveras.* Annon probe noveras?

392. *Istoc nomine*, quod tu dicis. — *Horum*, talis istius mendacii.

393. *Talentûm rem decem.* Hereditatem decem talentorum. Quota sit hæc apud nos summa, conf. ad Martial. nost. ed. t. I, p. 497.

394. *Dî tibi male faciant!* Exsecrandi formula.

395. *Ab avo.* Perl. *ab ovo*, minus commode. — *Primus esses m. referens.* Absolvit Phormio sententiam quam inceperat, vs. 393, quamque interruperat indignabundus Demipho. Intellige: «Primus omnium, memoriter recitares.»

DE. Ita ut dicis : ego tum quum advenissem, quî mihi
Cognata ea esset, dicerem : itidem tu face.
Cedo, quî est cognata ? G. Eu noster! recte. Heus tu, cave.
PHO. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Judicibus; tum id si falsum fuerat, filius
Cur non refellit? DE. Filium narras mihi?
Cujus de stultitia dici, ut dignum 'st, non potest.
PHO. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi;
Quandoquidem solus regnas, et soli licet
Hic de eadem causa bis judicium adipiscier.
DE. Etsi mihi facta injuria 'st, verum tamen
Potius, quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet

396. *Quum advenis.* Al. *si advenissem.* — *Ita ut dicis*, etc. Esto, sicut tu dicis; de hereditate, quum ego advenissem, probanda mihi cognatio fuerat. *Bœcler.*

397. *Itidem tu face.* I. e. ostende quo pacto mea cognata sit.

398. *Heus tu!* Var. *eu; heu; euge; tu!* — *Eu noster! recte.* Hæc alta voce. — *Heus tu!* Hæc conversus ad Phormionem; qui scilic. quum hactenus satis declinavisset senis disceptationem, nunc ita urgeri videtur, ut nec vitare æquitatem postulati, nec sine periclo respondere posse videatur. Ita adhortatione servi, conspectior fit extemporalis Phormionis calliditas, qui rem judicio definitam, iterum in disceptationem mitti, nec juris nec moris esse respondet. *Bœcler.*

399. *Quibus me oportuit.* Sub. expedire.

400. *Id si.* Lib. antiq. *si id.*

401. *Narras*, commemoras.

402. *Dignum.* Ms. Par. *justum.*

403. *Tu, qui sapiens es.* Ironice dictum.

404. *Reddant.* Tres Bent. codd. *reddatur.* — *Judic. de ead.* etc. Regula juris est : semel causa approbata, sive vera sit, sive falsa, ne retractetur.

405. *Regnas.* Potens, et extra leges communes positus es. Erat autem regis nomen, maxime Athenis invidiosum. Sic alibi, Ad. vs. 176 : « Regnumne hic, Æschine, possides? »

406. *Adipiscier.* Bent. *apiscier*, eodem omnino sensu.

407. *Etsi mihi facta*, etc. Senex confutatus a Phormione, quum parum in judicio spei reponeret, honesta ἐπιεικείας præscriptione, ad transactionem animum adjicit, quasi ex altera parte legis, de dotanda quam proximus non vult ducere orba. *Bœcler.*

409. *Itidem*, etc. Perinde quasi cognata esset. — *Id quod*, etc. *Id* pro *ob id*, *secundum id.*

Dotem dare, abduce hanc; minas quinque accipe.
PHO. Ha, ha, he! homo suavis. DE. Quid est? num iniquum postulo?
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod jus publicum 'st?
PHO. Itane tandem quæso? item ut meretricem ubi abusus sis,
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in se admitteret
Propter egestatem, proximo jussa 'st dari,
Ut cum uno ætatem degeret? quod tu vetas.
DE. Ita, proxumo quidem; at nos unde? aut quamobrem?
PHO. Ohe,
Actum, aiunt, ne agas. DE. Non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. PHO. Ineptis. DE. Sine modo.
PHO. Postremo tecum nil rei nobis, Demipho, est.
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Præterierat jam ad ducendum ætas. DE. Omnia hæc

411. *Ha, ha, he!* Hic risu Phormio destruxit, quod serio intendebat senex. — *Homo suavis.* Ironice dictum. Similiter gallice diceremus: «*Vous êtes un homme délicieux.*»

412. *Quod jus publicum 'st.* Quod jure civili omnibus concessum est.

413 sq. *It. ut meretr.* Hæc omittit Muret. pro quibus ingerit *civem.* — *Itane*, etc. Construe: «Itane tandem, quæso, ubi abusus sis (ingenuam) item ut meretricem, lex jubet dare mercedem ei atque amittere?» — *Amittere*, dimittere. — *An*, junge cum *jussa est*, et intellige: annon jussum fuit, ut daretur?

414. *An.* Particulam hanc ex Lindenbrog. ac Mureto huic apponimus versui, cum Perleto. Vulgo infit ab illa sequens.

415. *Admitteret.* Vulgo post hoc verbum ponitur comma; quod, Pareum ex Perleto secuti, Nos delevimus, quo arctius jungeremus quæ sensus desideraret, *admitt. Propt. egestat.* — *Civis*, virgo ingenua et honesta. — *Quid turpe in se admitteret.* Quæstum corporis sui facere cogeretur.

417. *Cum uno.* Quid enim est pudicitia, ait Donatus, nisi uniùs scientia viri? — *Vetas*, quasi diceret: Vis evertere.

418. *Ohe.* C. G. m. *hoc.* — *Ita*, supp. lex jubet quidem — *Proxumo*, supp. eam dari in uxorem. — *Unde*, proximi ei sumus?

419. *Aiunt.* Sic dicimus, proverbium significantes. — *Agas*, vox forensis. — *Actum.* Res *acta* est, de qua sententia prolata sit.

420. *Donec p. hoc.* I. e. donec istas nuptias dirimam. — *Ineptis*, deliras. — *Sine modo*, suppl. me facere. Minantis verba. Gallice: «*Laissez faire.*»

422. *Gnatus.* C. G. m. *natus.*

423. *Ad ducendum.* Muret. ex Mss. *ducendi.*

Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere;
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
G. Iratus est. PHO. Tute idem melius feceris.
DE. Itane es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix? PHO. Metuit hic nos, tametsi sedulo
Dissimulat. G. Bene habent tibi principia. PHO. Quin, quod est
Ferendum, fers: tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos simus. DE. Egon' tuam expetam
Amicitiam? aut te visum, aut auditum velim?
PHO. Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam
Senectutem oblectet: respice ætatem tuam.
DE. Te oblectet! tibi habe. PHO. Minue vero iram. DE. Hoc age:
Satis jam verborum 'st: nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam ejiciam. Dixi, Phormio.
PHO. Si tu illam attigeris secus quam dignum est liberam,
Dicam tibi impingam grandem. Dixi, Demipho.

424. *Illum.* Antiphonem.

425. *Prohibebo.* Al. *prohibeo.* — *Aut quidem.* Intellige, aut si evenire debet ut non sentiat eadem quæ ego super te. — *Hac,* melius refer τῷ *domo*, quam τῷ *uxore.* I. e. ex domo mea.

426. *Iratus est.* Hæc Geta Phormioni insusurrat. — *Tute idem*, etc. Sensus: «Tu ipse te melius prohiberes domo, ut solus esset filius cum uxore.» Aperte enim non vult dicere: «Melius decederes vita, vel morereris.» *Perlet.*

427. *Me advorsum.* Transpone, *advorsum me.*

428. *Inf.* Palm. *Iulix* (sic Perl.); vox Plautina. — *M. nos.* Mss. Græv. *metuit me.* — *Infelix!* Improbus, ut apud Græcos κακοδαίμων. — *Metuit nos.* Hæc Geta ac Phormio inter se, ut Demipho non audiat. — *Hic*, senex.

429. *Bene habent*, etc. Hoc dicit Geta clam ad Phormionem. — *Principia*, in deterrendo senem a lite. — *Quin*, *quod est*, etc. Cur non, inquit, accommodas necessitati voluntatem?

430. *Fers.* Sic Faern. In lib. antiq. *feras.* Bemb. *feres.* Al. *fer.* — *Tuis factis*, si ut decet egeris. — *Feceris*, pro facies.

433. *Illa*, uxore filii tui.

435. *Minue.* Ien. *minime;* depravate. — *Hoc age.* Sermonem hunc cessa.

436. *Properas.* Al. *properes.*

437. *Dixi*, *Phormio.* Sic solent dicere, perorata causa.

439. *Dicam impingam. Impingere dicam* est *litem intendere.* Nomen est

Si quid opus fuerit, heus! domo me. G. Intelligo.

SCENA QUARTA.

DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINUS. CRITO.

De. Quanta me cura et sollicitudine afficit
Gnatus, qui me et se hisce impedivit nuptiis!
Neque mihi in conspectum prodit, ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ.
Abi, vise, redieritne jam, an nondum domum.
G. Eo. De. Videtis, quo in loco res hæc siet.
Quid ago? dic, Hegio. H. Ego? Cratinum censeo,
Si tibi videtur... De. Dic, Cratine. Cra. Mene vis?
De. Te. Cra. Ego quæ in rem tuam sint, ea velim facias : mihi
Sic hoc videtur : quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, æquum ac bonum est;
Et id impetrabis : dixi. De. Dic nunc, Hegio.

latinum *dica*, *dicæ*, e græco δίκη, lis, causa. — *Dixi, Demipho.* Mire comminationem et ferocitatem ejus imitatus est simili verbo. *Don.*

440. *Si quid opus fuerit.* Hæc Getæ insusurrari a Phormione abeunte debent; quod aliter Donatus putavit. — *Domo me*, scil. evocabis, accerses.

Sc. IV. Hæc deliberativa est, in qua tres advocati sunt : quorum unus suadet, alter dissuadet, tertius, qui se alterutri addere debuisset, ejusmodi sententiam dicit, ut rursum deliberatione opus esse videatur.

441. *Afficit.* C. G. m. et Mss. We. *affecit.*

442. *Impedivit*, implicuit.

443. *Prodit.* Sub. hic filius meus.

445. *Abi, vise.* Al. *Abi tu, vise.*— *Abi, v.* etc. Hæc ad Getam dicuntur.

447. *Quid ago?* Quid mihi agendum est? Formula consilium petentium. — *Cratinum censeo*, scil. de sententia sua priorem interrogandum.

449. *Te.* Quidam extrusum volunt. — *Quæ in rem tuam sint.* Quæ tuis commodis possint favere.

450. *Si hoc videtur.* Explicat sententiam suam in eis quæ sequuntur. — *Quod hic egit filius.* Alludit ad nuptias.

451. *Bon. est.* We. par. *bonum esse.*—*Restitui in integrum.* Rescindi, et in eum reponi statum in quo erant antequam fierent, infecta et irrita declarari.

452. *Id*, sc. rem restitui in inte-

H. Ego sedulo hunc dixisse credo; verum ita est,
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse, et turpe inceptu est. De. Dic, Crito.
Cri. Ego amplius deliberandum censeo.
Res magna est. H. Numquid nos vis? De. Fecistis probe.
Incertior sum multo quam dudum. G. Negant
Redisse. De. Frater est exspectandus mihi.
Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
G. At ego Antiphonem quæram, ut quæ acta hic sint, sciat.
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

grum. — *Dixi.* Hæc mea sententia est.

453. *Sedulo*, benevole, ex animi sententia.

454. *Cuique mos.* Codd. quid. West. add. *est.*

456. *Incept.* Ed. Anon. et Ed. pr. *inceptum.* — *Turpe inceptu est.* Non est honestum tentare id.

458. *Magna.* Magni momenti. — —*Numquid nos vis?* Abiturientium, ut ait Casaub., formula.

459. *Inc. sum multo quam dudum.* Item apud nostratem Molerium, pater quidam postquam consuluit de filiæ suæ morbo: *L'Amour Médecin*, act. II, sc. VII: Sganarelle. « *Me voilà justement un peu plus incertain qu'auparavant.* » In qua insuper comœdia, inducuntur pariter non advocati, sed medici, qui, ut hic fit, sibi invicem loquendi initium obsequiose deferunt. Vide Moler. fabulam cit. act. IV, init.

460. *Neg. redisse.* Antiphonem nempe, quem conquirendum Demipho mandaverat Phædriæ, supra vs. 309. — *Frater*, Chremes.

462. *Dederit de hac re.* Un. Bent. cod. colloc. *do hac re ded.* — *Sequar.* Lib. ant. *exsequar.* Hic versus fere idem est, qui in Ad. 501. — *Quoad se recipiat.* Quandonam rediturus sit.

463. *Hic sint.* Lib. ant. *hic sunt.*— *At ego*, etc. Hæc secum Geta.

464. *Eccum*, pro *ecce eum*, ut sæpe. — *In tempore*, opportune.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

ANTIPHO. GETA.

A. ENIMVERO, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus,
Itane hinc abisse, et vitam tuam tutandam aliis dedisse?
Alios tuam rem credidisti magis, quam tete, animadversuros.
Nam, ut ut erant alia, illi recte, quæ nunc tibi domi'st, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali.
Cujus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ.

ACT. III. Sc. 1. Hæc scena rationem gestorum tenet, cum quæstione et objurgatione Antiphonis in semetipsum, quod dimiserit amorem, et deseruerit eam quam diligebat, neque ei ac sibi attulerit patrocinium. *Eugraph.* (*ex emend. Zeun.*)

465. *Multimodis.* Lib. antiq. *multis modis.* — *Enimvero, Antipho.* Ad semetipsum loquitur.—*Cum ist. anim. es vitup.* Andr. 942: «Dignus es, Cum tua religione, odium.»—*Istoc,* tam timido.

466. *Itane hinc.* Al. *itane te hinc.* — *Vitam tuam tutandam aliis dedisse.* Conf. supra 218: «Vobis commendo Phanium et vitam meam.»

467. *Tete.* Lib. antiq. *te.* — *Alios tuam rem,* etc. Quod raro contingere, venustissimo docuit Æsopus olim apologo: qui apud Aul. Gell. Noct. Attic. lib. II, cap. 9, reperitur; et vividiori etiam fabella depingitur in nostrate *Fontanio*, cui nullum jure comparaveris: *L'alouette et ses petits avec le maître d'un champ.*

468. *Nunc tibi.* C. G. m. *nunc tuæ.* — *Ut ut erant alia.* Quidquid de aliis rebus futurum esset, quidquid evenire mali tibi aut aliis potuisset. — *Illi,* Phanio. — *Recte consuleres.* Sane consulere debuisses.

469. *Pateretur.* Declarat Donat. legi quoque *potiretur.* — *Ne quid pateretur mali.* Vid. quæ minatus erat pater, supra vs. 304, 425. — *Propter tuam fidem decepta,* ideo quod fidei tuæ se credidit.

G. Equidem, here, nos jam dudum hic te absentem incusamus, qui abieris.

A. Te ipsum quærebam. G. Sed ea causa nihilo magis defecimus.

A. Loquere, obsecro; quonam in loco sunt res et fortunæ meæ?

Num quid patri subolet? G. Nihil etiam. A. Ecquid spei porro 'st? G. Nescio. A. Ah!

G. Nisi Phædria haud cessavit pro te eniti. A. Nil fecit novi.

G. Tum Phormio itidem in hac re, ut aliis, strenuum hominem præbuit.

A. Quid is fecit? G. Confutavit verbis admodum iratum senem.

A. Eu! Phormio. G. Ego quod potui, porro. A. Mi Geta, omnes vos amo.

471. *Equid.* C. G. m. et Hal. *Et q.* — *Qui ab.* Propterea quod abieris.

472. *Magis.* In C. G. m. *minus.* — *Ea causa*, quod abesses.—*Nihilo magis defecimus*, non fuimus in agenda causa segniores. Pergit ergo hoc versu loqui ea quæ inceperat vers. præced.

473. *Res, et fortunæ meæ.* Amans est qui de amore verba facit.

474. *Ecquid.* C. G. m. *et quid.* — *Subolet*, in suspicionem, et quasi ad olfactum venit. Intellige: «num suspicatur, rem ex composito gestam, et me mea voluntate esse coactum, ut ducerem Phanium.»—*Nihil etiam*, nihil adhuc. — *Ah!* Dolentis.

475. *Nisi Phædria*, etc. Guyetus explic. nihil aliud boni spe præcipio, nisi quod Phædria haud cessat pro te apud patrem tuum intercedere.—*Nil fecit novi.* Quasi diceret: «solet enim ubique mecum facere.»

476. *Ut aliis.* Lib. antiq. *ut in al.* — *Tum*, præterea; —*Itidem*, pariter ac alibi solet. — *Stren. homin. præb.* Subaudi pronomen *se.*

477. *Iratum senem.* Sic l. Bemb. in aliis, *irat. patrem.* — *Confutavit verbis.* Convicit, exagitavit. Ut si diceret, refutavit. Sed *refutatio* in rem est, *confutatio* in personam. *Donat.* — Adnotat hic docte Dacieria: «*Confutare* est proprement un terme de cuisine, qui signifie *futo aquam ferventem compescere*, jeter de l'eau froide sur de l'eau bouillante, avec un petit pot qu'on appelait *futum* et *truam.* Titinnius dit, dans une pièce appelée *Sétina: Coquus ahenum, quando fervit paulo, confutat trua.* Quand le pot bout trop fort, le cuisinier l'apaise avec un petit pot d'eau froide. Pour conserver cette métaphore en français, on aurait pu dire: Votre père était enflammé, *mais il a bien jeté de l'eau sur son feu*, ou *il a bien mis de l'eau dans son vin.*»

478. *Eu.* Perl. *eu;* errore typogr.

G. Sic habent principia sese, ut dico : adhuc tranquilla res est;

Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat. A. Quid eum? G. Ita aibat,

De ejus consilio velle sese facere, quod ad hanc rem attinet.

A. Quantum metus est mihi, venire huc salvum nunc patruum, Geta!

Nam per ejus unam, ut audio, aut vivam, aut moriar, sententiam.

G. Phædria tibi adest. A. Ubinam 'st? G. Eccum; ab sua palæstra exit foras.

nam subjicit in notis : « Laudantis est. » Præclare fecisti Phormio ; et absentem gratulatur. — *Mi Geta.* C. G. m. *o mi Geta.* — *Ego quod potui.* Suppl. *feci.*—*Porro*, ut nunc de me loquar.

479. *Sic hab. princ. sese.* Hoc modo principium rei successit. — *Tranquilla*, integra et tuta.

480. *Ita aibat.* Sic a Bent. post Perletum recepimus. In lib. antiq. *ut aiebat.* — *Mansurus*, exspectaturus.—*Pater*, tuus. Demipho.—*Quid*, qua de causa. — *Eum*, patruum. Et supp. exspectaturus est.—*Ita aibat*, indicat quæ sunt in vers. sequenti.

481. *Velle sese.* Al. *sese velle.* — *De ejus consilio.* Prout ille suadebit.

482. *Quantum metus.* Sic Fa. ex Bemb. lib. Vulg. *quantus metus.* — *Quantum metus*, etc. Patruos vulgo acres severosque vitiorum reprehensores faciunt satyrici, ait Westerhovius, et citat Horat. Sat. II, 3, 87 ; nostra autem in scena, dissimiliter prorsus evenire solet ; nihilque tam facile reperias in hodiernis comœdiis (non vim comicam Molerii referentibus, ut fateor) quam patruos illos de cælo missos, dum nepotes ære alieno aut juvenilibus implicantur erroribus ; et *dei intersunt ; dignus* sit, necne, *vindice nodus :* quid plura? nemo nescit, quid significent gallicæ voces, *un oncle de comédie ; un oncle qui vient d' Amérique ; un oncle qui paie les dettes de son coquin de neveu.*—*Venire huc salv.* Non optat salvum patruum venire, secundum Apollodorum ; sed ostendit non congruere salutem ejus cum commodo suo. *Don.*

483. *Per ejus unam sent.* Vult Bent. *de ejus una sent.* — *Aut vivam, aut moriar.* Sic solent amantes, ubi se amoribus spoliari vident.—*Per ejus unam sent.* Patruum solum esse suspicatur ex quo metuere debeat, ne sua ipsi Phanium abripiatur.

484. *Ubinam 'st?* Lib. ant. *ubinam ?* — *Ubinam 'st?* Vox circumspectantis. — *Ab sua palæstra.* Bene *palæstram* ejus dixit lenonis domum, in qua exercetur amator assidue. *Don.*

SCENA SECUNDA.

PHÆDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

PHÆ. Dorio, audi, obsecro. DO. Non audio. PHÆ. Parumper.
DO. Quin omitte me.
PHÆ. Audi, quid dicam. DO. At enim tædet jam audire eadem millies.
PHÆ. At nunc dicam, quod lubenter audias. DO. Loquere, audio.
PHÆ. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?
DO. Mirabar, si tu mihi quidquam adferres novi.
A. Hei! metuo lenonem, ne quid suat suo capiti. G. Idem ego metuo.
PHÆ. Non mihi credis? DO. Hariolare. PHÆ. Sin fidem do.
DO. Fabulæ!

Sc. II. Hæc scena petitionem tenet, quod deliberativæ sæpe genus diximus; quippe, quum leno peteret argentum ab adolescente, ille dilationem postulavit. *Eugr.*

485. *Dorio*, leno est.—*Quin omitte me. Quin*, modo corrigendi vel imperandi vim habet; ut, *quin age. Donat.*

486. *Quid dicam.* Lib. antiq. *quod dicam.*

488. *Ut maneas.* Ut exspectes, non tradas militi Pamphilam abducendam. — *Quo nunc abis?* Discedentem retinet.

490. *Ne quid suat suo cap.* Var. Mss. ap. We. Al. *suo suat cap.* al. *ne aliquid suo s. cap.* al. *neque suo assuat. c.* Palmer. *fuat* pro *suat.* — *Id. ego metuo.* Bemb. *id ego vereor.*—*Metuo lenonem, ne quid suat.* Græcismus est, pro «metuo, ne leno quid suat.» — *Ne quid su. suo cap.* Quum dixisset Antipho se metuere ne quid leno *sueret*, i. e. ne quid dolose moliretur; addit, *suo capiti*; quorum verborum ea vis est: quæ quidem res lenoni vertat male, atque in ipsius caput recidat. *Muret.* — Illum Mureti sensum eruditiorem proclamat Bœclerus; dum contra Faber contendit eum *hoc loco nil sensisse.* Melius erit fortasse intelligi hæc, tanquam metuat Antipho, ne suæ protervitatis pœnas denique luat Dorio. Quod acceperunt interpretes gallici. — *Hariolare*, falsa et inepta jactas, more hariolorum seu divinorum.— *Sin fidem do.* Supp. «me argentum confecturum, atque tibi pro psaltria persoluturum.»

PHÆ. Fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices. Do. Logi!

PHÆ. Crede mihi, gaudebis facto; verum hercle hoc est. Do. Somnia!

PHÆ. Experire; non est longum. Do. Cantilenam eamdem canis.

PHÆ. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu... Do. Garri modo.

PHÆ. Adeon' ingenio esse duro te atque inexorabili,
Ut neque misericordia neque precibus molliri queas?
Do. Adeon' te esse incogitantem atque imprudentem, Phædria,
Ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis?
A. Miseritum 'st. PHÆ. Hei! veris vincor. G. Quam uterque est similis suî!

492. *Pulchre tibi.* Al. *tibi pulchre.* — *Fœneratum*, junge cum *pulchre;* et intellige, magno fœnore redditum. Totam hanc sententiam gallice redderes : « C'est un service qui vous sera bien payé; vous pourrez vous en vanter. » — *Logi.* Lindenb. ex græc. esse notat, λόγους λέγειν, pro inaniter verba fundere.

493. *Somnia.* Lib. ant. *somnium.* — *Gaudebis facto.* Lætaberis te fecisse. — *Verum*, neutrum est ex τῷ *verus*, *a*, *um.*

495. *Garri.* Lib. antiq. *garris.* — *Tu...* Plura amicitiæ nomina pronuntiaturus, a lenone interpellatur. — *Garri modo.* Perge, si libet, garrire nunc, quum abeo; et gestum facit abeuntis. Vel intellige, ut interp. Delphin. perge inepta garriendo nos enecare.

497. *Neque misericordia.* Hæc refer ad *duro; precibus* ad *inexorabili.*

498. *Imprudentem.* Sic Be. ex duob. bene. Vulg. *impudent.* — *Adeon' te esse*, etc. Ea est diligentia concinnando sermoni adhibita, ut posterior eadem fere, quæ prior interrogavit, respondeat.

499. *Gratiis.* Al. *gratis.* — *Phaleratis dictis.* Speciosis promissis, verborum fuco et pigmentis. *Phaleræ* sunt proprie equorum ornamenta. *Juvenc.* — *Ducas*, ducere velis. — *Meam*, virginem, quæ mea est. — *Ductes*, abstrahas. — *Gratiis*, gratis, inemptam.

500. *Miseritum 'st.* Antipho quum audiret irritas Phædriæ ad lenonem inexorabilem preces, nondum ipse a Phædria conspectus, dolet vicem ejus, cui res esset cum tam impuro lenone : et ad Getam, sibi adstantem, conversus, *miseritum est*, inquit, h. e. ut me miseret ejus! ut me miseritum est ejus, quum vidi hæc! — *Hei! veris vincor.* Dum sic loquitur Antipho, deplorat interim fortunas suas Phædria : agnoscens vera dicere lenonem, a quo scilicet

PHÆ. Neque, Antipho alia quum occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse mî objectum malum! A. Ah! quid istuc autem est? Phædria.
PHÆ. O fortunatissime Antipho! A. Egone? PHÆ. Cui, quod amas, domi 'st.
Nec cum hujusmodi unquam usus venit, ut conflictares malo.
A. Mihin' domi 'st? immo, id quod aiunt, auribus teneo lupum. 505

nemo gratis amare, vel more, vel jure, exspectet. — *Quam uterque est similis suî!* Geta Antiphoni modo miseranti sortem patruelis, hæc pronuntiat, i. e. avarus et durus leno; impatienter amans et mollioris animi Phædria. Sive: Impurus leno, honestus Phædria. Nam illa vox: *Hei! veris vincor*, honestatis index est. *Bœcler.*

501. *Neque, Antipho*, etc. Ordo verborum ita restituendus est: «neque tum hoc malum mihi objectum esse, quum Antipho alia (id est, leviore) occupatus esset sollicitudine!» Gall. « faut-il que ce malheur ne me soit pas arrivé, lorsque Antiphon avait lui-même moins d'embarras! » — *Neque.* Illud *neque* non habet unde pendeat. Sed in orationibus παθητικαῖς, ubi perturbatus est animus, ad cogitata sæpe referri solent, quæ ex abrupto offeruntur. Quasi si non voce expressum, certe animo hoc agitasset: « hoccine malum nunc mihi tempore tam alieno objici; *neque* tum, quum animus Antiphonis propria ægritudine liber mihi auxiliari potuisset, objectum esse! » *Bœcl.*

502. *Autem est.* Lib. ant. colloc. *est autem.* — *Quid istuc est*, supp. propter quod tu doles.

503. *O fort. Antiph.* Quasi diceret: « quanquam enim maxima sollicitudine occupatus sis, fortunatissimus es tamen, si mecum compareris. » Nimirum suæ cuique calamitates maximæ videntur. — *Quod amas*, uxor quam diligis. — *Domi est*, in tua domo a te possidetur.

504. *Nec cum huj.* etc. Ordo est, et cui nunquam usus venit (accidit) ut conflictares cum malo hujusmodi. — *Conflictares*, depugnares. — *Malo*, homine improbo, qualis est Dorio. — Vel, negotio, et sollicitudine; quod mallemus, præcipue ex vs. 502.

505. *Mihin' domi 'st?* Hoc minus est interrogantis, quam leviter corrigentis. — *Id*, secundum id. — *Quod aiunt*, indicat, proverbialiter dici. — *Aur. teneo lupum.* Græcum affert Don. proverbium: Τῶν ὥτων ἔχω τὸν λύκον· οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι. Dicitur in eos, qui ejusmodi negotio involvuntur, quod neque relinquere sit integrum, neque tolerari possit. — Breviores scilicet sunt lupo aures, quam ut facile teneri possint; et rursus magnum est periculum liberantis feram. Proverbium illud apud nos civitatem non obtinuit; sed fere simili sensu, si non eadem figura, dicimus: « bien embarrassé qui tient la queue de la poële. »

Nam neque quomodo a me amittam, invenio; neque uti retineam, scio.
Do. Ipsum istuc mî in hoc est. A. Heia! ne parum leno sies.
Num quid hic confecit? PHÆ. Hiccine? quod homo inhumanissimus:
Pamphilam meam vendidit. G. Quid? vendidit. A. Ain'? vendidit?
PHÆ. Vendidit. Do. Quam indignum facinus! ancillam ære emptam suo.
PHÆ. Nequeo exorare, ut me maneat, et cum illo ut mutet fidem
Triduum hoc, dum id, quod est promissum, ab amicis argentum aufero.
Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus sies.
Do. Obtundis. A. Haud longum est quod orat, Dorio! exoret sine.

506. *Nam neque*, etc. Hoc versu sententia continetur proverbii præcedentis, quam Antipho causæ suæ applicuit. — *Amittam*, dimittam. — *Invenio*, video, scio.

507. *Ipsum ist. mî in hoc est.* Leno arrepta occasione ex sermone Antiphonis: ipsum *istuc*, inquit, *mihi in hoc* (Phædria) *est;* quem neque diutius contra ingenium meum ferre, neque a me amoliri possum; ita obtundit rogando. *Bæcl.* — *Ne parum leno sies.* Ellipsis est, *metuis*, seu *vereris.* Plenior hæc locutio, Plaut. Pers. IV, 6, 4: « Ne non sat esses leno, id metuebas miser. » Sensus mihi est, ait Perlet. « satis te lenonem, hoc est, improbum, avarum esse ostendis. »

508. *Num quid.* Ald. Mur. Heins. *Nam quid.* — *Num quid h. conf.* Absolvitur interrogatio ante cœpta, vs. 502: «Ah! quid istuc est autem Phædria? » Numquid flagitii est, quod hic confecit leno? *Bæcler.* — *Quod*, etc. confecit, quod facere posset solus homo, etc.

509. *Vendidit.* Infr. 530, 531.

510. *Quam ind. facin. ancill.* etc. Hæc leno vel ad eos, vel ad spectatores sarcastice dicit: « enim vero scelus hoc est, si quis ancillam vendiderit, quam pecunia sua emerit! »

511. *Ut me.* C. G. m. et Hal. *me* non hab. — *Maneat*, exspectet. — *Cum illo.* Sc. cum milite, cui Dorio promiserat se venditurum Pamphilam, videns Phædriam pecunia carere. — *Ut mut. fid. Mutare fidem* cum aliquo est, eum fallere, non stare promissis; proprie vero hic est, *pactionem rescindere:* ut dicat militi, se non amplius ipsi velle vendere Pamphilam.

512. *Triduum hoc.* Per hos tres dies. — *Quod est promiss.* mihi. — *Aufero*, obtineo.

513. *Non tum.* Al. *tum non.* — *Oppertus sies.* Exspectaveris.

514. *Obtundis.* C. G. m. et Hal.

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.
Do. Verba istæc sunt. A. Pamphilamne hac urbe privari sines?
Tum præterea horunc amorem distrahi poterin' pati?
Do. Neque ego, neque tu. G. Dî tibi omnes id quod est dignum duint.
Do. Ego te complures advorsum ingenium meum menses tuli,
Pollicitantem, nil ferentem, flentem; nunc contra omnia hæc,
Reperi qui det, neque lacrumet : da locum melioribus.
A. Certe hercle ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,
Quoad dares huic, præstituta. PHÆ. Factum. Do. Num ego istuc nego?

obtunde. — *Quod orat.* Lib. antiq. *id quod orat.* — *Obtundis;* dicendo toties eadem, cerebrum excutis mihi. — *Haud l. est.* sc. tempus.

515. *Idem hoc.* Alii, *idem hic.* — *Idem hoc tibi,* etc. Beneficium hoc tibi reddet cum fœnore, alterum tantum reponet. Hæc fere eadem Phædria dixerat, vs. 492.

516. *Verba.* Supra vs. 492: λόγοι, inania promissa. — *Istæc,* quæ tu dicis.

517. *Horunc.* Lib. antiq. *horum.* — *Poterin'.* Al. *potero.* — *Horunc,* Horum hunc.

518. *Dî tibi.* C. G. m. *te* pro *tibi.* — *Quod est dign.* Ms. Græv. *quod es dignus.* — *Neq. ego, neque tu.* Quod Antipho de distractione seu separatione serio dixerat, id leno repetit, voce quidem ad miserationem composita; sed ut irridere illum appareat (unde et Getæ indignatio subsequitur). — *Quod est dignum,* supp. *tibi dari.* — *Duint,* pro *dent.*

519. *Ingenium,* meam indolem et consuetudinem.

520. *Omnia hæc.* Abest *hæc* a C. G. m. Necesse est hæc verba serie una continuari. Falso igitur Par. *nunc contra, omnia hæc,* virgula interposita distinxit. — *Pollicitantem.* Plus est quam *pollicentem.* — *Nil,* sc. pecuniæ. — *Contra omnia hæc.* Pro istis promissis et fletibus tuis.

521. *Reperi qui det.* Ego inveni hominem qui dabit, etc. — *Da locum,* cede. — *Melioribus.* Ditiores in honestis dicuntur meliores, quasi per euphemismum.

522. *Tibi q. est olim,* etc. Dorionem alloquitur.

523. *Quoad.* Ita Bent. ex uno cod. Vulg. *quam ad,* per anastrophen. — *Quoad,* ad quam. — *Dares huic.* Pamphilam Phædriæ traderes. — *Factum,* ita est.

A. Jam ea præteriit? Do. Non; verum hæc ei antecessit.
A. Non pudet
Vanitatis? Do. Minume, dum ob rem. G. Sterquilinium.
PHÆ. Dorio,
Itane tandem facere oportet? Do. Sic sum: si placeo, utere.
A. Siccine hunc decipis? Do. Immo enim vero hic, Antipho, me decipit.
Nam hic me hujusmodi esse sciebat; ego hunc esse aliter credidi.
Iste me fefellit; ego isti nihilo sum aliter ac fui.
Sed utut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu adtuleris, Phædria,
Mea lege utar; ut sit potior, prior ad dandum qui est: vale.

524. *Jam.* Quid. Mss. *jamne.* — *Jam ea*, sc. præstituta dies. — *Hæc ei ant.* Id est, ea cras aderit. Ridicula responsio, qua rationem anticipatæ rei reddere velle videtur, nec tamen ullam reddit nisi quod prior dies (quod nemo dubitat), posteriori antecesserit. Quare aperte agnoscit perfidiam suam leno, ut lenone dignum erat, cui nullus pudoris, nullus honesti sensus. Sed et in verborum ambiguitate festive ludit poeta. Ita enim intelligi etiam possunt, ut hanc diem priorem ac potiorem, pretio scilicet oblato ac parato, merito sibi fuisse pronuntiet. Possis et de virgine intelligere, ut ante præstitutam diem hæc aliis cessisse dicatur. Minus tamen commode.

525. *Sterq.* C. G. m. *stercilinium.* Be. ex veterr. C. *sterculinum.* — *Vanitatis*, vanæ et jocularis responsionis, falsitatis, perfidiæ. — *Dum ob rem*, supp. vanitatis sim conscius. — *Ob rem*, lucri causa. — *Sterquilinium.* Stercorum receptaculum.

526. *Utere*, sc. mea opera.

527. *Hic; Antipho, me.* Al. *Antipho, hic me.* — *Decipit.* Perl. *dicipit.*

528. *Nam h. me huj.* etc. Sciebat me lenonem esse perjurum, et perniciem adolescentium; ego credidi hunc esse fide dignum et promissis stantem. *West.*

529. *Iste me fef.* Lib. antiq. *is me fef.* — *Isti*, erga istum.

530. *Utut hæc s.* Utcumque hæc se habeant. Id est, sed hæc sane omittamus; sint ista ut voles. — *Hoc*, quod explicat vs. seq.

531. *Dare se.* C. G. m. invertit, *se dare.* — *Dare*, pro *daturum.*

532. *Ut sit pot.* C. G. m. *ut pot. sit.* — *Prior ad d. qui.* Vocem *prior* emphaticam Bent. anteire jubet. Vulg. *qui pr.* — *Mea lege.* Lenonia scilicet: in qua semper commodum est prius, quam fides. — *Potior*, a me antepositus.

SCENA TERTIA.

PHÆDRIA. ANTIPHO. GETA.

PHÆ. Quid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam? miser,
Cui minus nihilo est; quod, si hinc pote fuisset exorarier
Triduum hoc, promissum fuerat. A. Itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum? qui me dudum, ut dixti, adjurit comiter.
Quin, quum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?
G. Scio equidem hoc esse æquum. A. Age vero, solus servare hunc potes.
G. Quid faciam? A. Invenias argentum. G. Cupio; sed id unde, edoce.
A. Pater adest hic. G. Scio; sed quid tum? A. Ah, dictum sapienti sat est.
G. Itane? A. Ita. G. Sane hercle pulchre suades. Etiam tu hinc abis?

Sc. III. Consultatio de pecunia, ut amissæ postea triginta minæ plus turbæ faciant; et Don. œconomiam inesse putat ad futurum exitum.

533. *Ego nunc.* Al. *nunc ego.*

534. *Si hinc.* Sic Bent. pro *hic* vulg. — *Pote f.* Sic Bent. ex uno codice. Vulg. *Potuisset.* — *Exorar.* Al. *nunc exor.* — *Minus nihilo.* Minus quam nihil. — *Quod*, argentum. — *Hinc*, ab hoc lenone. — *Pote fuisset*, potuisset.

536. *Adjurit.* In lib. ant. *adjuverit.* — *Ut dixti.* Sup. vs. 476. — *Adjurit*, adjuverit. — *Comiter*, humane et benigne.

537. *Exper.* Sic Faern. In lib. ant. *experiamur.* — *Quin*, particula incitantis; et hic, cum indicativo. — *Quin exp.* nitimur, conamur.

538. *Age vero.* Al. *ag. ergo.*

539. *Invenias.* Mur. We. *inveniamus.*

540. *Pater ad. hic.* A quo scilicet emungas. — *Dictum sap. sat est.* Scilicet: ex uno verbo vir sapiens facile rem totam intelligit.

541. *Itane?* Alii addunt *dicis.* — *Itane?* Scilicet satis intellexerat Geta dicentem. — *Sane hercle pul. suad.* hoc est, patrem esse emungendum argento. — *Etiam tu hinc abis?* Quin tu hinc abis? facesse procul cum isto tuo pulchro consilio; vel subaudi, *abis in malam rem et crucia-*

Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali,
Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas malum?
A. Verum hic dicit. PHÆ. Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? G. Haud puto.
Sed parumne est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci? 546
PHÆ. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem,
Tum igitur dum licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho,
Contemplamini me. A. Quamobrem? aut quidnam facturu 's, cedo?
PHÆ. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi, 550

tum; quod tamen servus modeste reticuit. Hæc ad Phædriam; quæ autem sequuntur, ad Antiphonem dicit.

542. *Non tr.* An sufficiens mihi materies triumphi non est.

543. *Malum.* C. G. m. ut lib. ant. *crucem.*—*Q. j. m.* Quid *malum* sit, quod servorum generi metuendum, nemo nescit. Sensum totius sententiæ Farn. capit hunc: «non sufficit tibi, quod ex nuptiis tuis certum malum mihi immineat; nisi etiam hujus, cognati tui, causa quærere me jubeas in malo, aliud *malum*, quod omnium ultimum est, crucem.» Mihi tamen altera placet explicatio hæc: tu me in malo propter te mihi contrahendo, quærere jubes aliud malum, quod item Phædriæ causa commerui. Ad hæc meminimus, quam valde sibi doluerit Geta, munere magistri in utrosque juvenes male defunctus. Supra, vs. 72, 73. *Perlet.*

544. *Verum h. dicit.* Hæc Antipho ad Phædriam. — *Ego v. Geta, al. s.* Intellige: « Non ita alienus vobis sum, ut plane nihil mali propter me pati sustineatis. »—*Haud puto*, scilicet *alienum* te esse nobis. Verba sunt se purgantis.

545. *Sed parumne est*, etc. Sensus est: an iram senis minori habes in momento, minime curas, ita ut velis eum etiam instigemus, etc. — *Senex*, Demipho.

546. *Ni.* C. G. m. *Ne.*—*Inst.* Ad iracundiam incitemus.

548. *Tum ig. d. licet.* Lib. antiq. *Dum ig. diem lic.* Un. cod. veterr. Be. *Tum ig.* et cætt. omn. Faern. pro *diem*, habent *dum.*—*Dum lic. d. ads.* Extremum enim est quod me videtis, quod vos alloquor. Emphatice, ut amantis est, loquitur.

549. *Contempl. me.* Tamquam ultimum visuri. — *Cedo*, dic.

550. *Asport.* sc. amica. — *Persequi*, illam usque sequi.

Aut perire. G. Dî bene vortant, quod agas! pedetentim tamen.
A. Vide si quid opis potes adferre huic. G. Si quid! quid?
A. Quære, obsecro,
Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.
G. Quæro: salvus est, ut opinor; verum enim metuo malum.
A. Noli metuere: una tecum bona, mala tolerabimus.
G. Quantum opus est tibi argenti? eloquere. PHÆ. Solæ triginta minæ.
G. Triginta! hui, percara 'st, Phædria. PHÆ. Istæc vero vilis est.
G. Age, age, inventas reddam. PHÆ. O lepidum! G. Aufer te hinc. PHÆ. Jam opu 'st. G. Jam feres.
Sed opus est mî Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.
A. Præsto 'st: audacissime oneris quidvis impone, et feret.
Solus est homo amico amicus. G. Eamus ergo ad eum ocius.

551. *Pedetentim.* Var. script. *pedetempt.* Apud Non. *pedetemt.*—*Ped. tam.* Sensim tamen, et considerate agas, nec præcipitanter. Vulgo putant, ironice loqui Getam.

552. GET. *Si quid! quid?* Rogando ostendit, ipsum se quid opis ferat nescire.

553. *Ne q. plus min.* etc. Ne Phædria aliquid inconsiderate et per impotentiam faciat, cujus postea nos pœniteat.—*Plus*, si verbi gratia, se ferro interimat; *minus*, si se inedia confici patiatur. *Juv.* — *Post*, adverb.

554. *Quæro*, sub. consilium. — *Salvus est.* Εὕρηκα, jam inveni quod illum salvum faciat. *Farn.* — *Malum*, plagas et supplicium.

555. *Mala.* Codd. Be. *malaque.*

556. *Op. est t.* Al. *tibi op. e.*—*Eloquere.* Al. *loquere.*—*Solæ.* Non plus.

557. *Istæc.* Sic libb. antiq. Alii, *ista.* Alii, *istoc*, scilicet *pretio.* — *Percara 'st*, Phanium. — *Istæc vero v. est.* Amatoris animus bene hic demonstratur.

558. *O lepidum!* C. G. m. ut lib. ant. *caput*, abest a Bemb. — *Auf. te.* Bent. ex tribb. codd. *auferte*; absolute. Sed ex Perleto divisim exhibemus *aufer te*, ad Phædriam solum referendum, qui nimis exsultans a complexu Getæ discedere jubeatur. — *Age, age.* Id est, bono animo sis. — *Inv. reddam*, inveniam. — *Jam opu 'st.* Instat illi ut festinet, præsenti pecunia opus esse affirmans.—*Jam feres*, jam habebis, jam dabitur.

560. *Et feret.* Alii, *ferat*, omisso *et.*

561. *Ad eum oc.* Add. al. Mss. PH. *Abi, dic, præsto ut sit domi.* Quæ vero Faern. ut subdititia delevit. Adsunt quidem in C. G. m. ubi integrum constituunt versum. Par. huic

A. Numquid est, quod opera mea vobis opus sit? G. Nil; verum abi domum,
Et illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare: cessas? A. Nihil est, æque quod faciam lubens.
PHÆ. Qua via istuc facies? G. Dicam in itinere: modo te hinc amove.

versui apponit: Inserit additamentum Lindenbr. post versum nost. 559. C. G. m. cum Bru. C. e. post *ocius*. Perl. — *Sol. est hom. am. amicus*. Solus est ex hominibus qui vere amicum diligat.

562. *Verum*. Un. Ms. We. *vero*.

563. *Illam mis*. Phanium.

564. *Cessas?* quid cunctaris? — *Æque quod fac. l.* quod sit mihi tam jucundum factu.

565. *Itin*. Bent. vult *itere*, antique. — *Via*, ratione. — *Istuc*, scil. ut minas triginta mihi invenias. — *In itinere*, inter eundum. — *Modo*. Quod est de præsenti.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DEMIPHO. CHREMES.

DE. QUID? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chreme?
Adduxtin' tecum filiam? CH. Non. DE. Quid ita non?
CH. Postquam videt me ejus mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam; ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse aibant. DE. Quid illic tamdiu,

ACT. IV. Sc. 1. In hac scena narrâtio itineris et reversionis simplicem continet expositionem, quomodo præterito tempore senes fecerant pactum, ut filiam Chremetis uxorem duceret filius Demiphonis. *Eugraphius.*

Adnotat præterea Bœclerus: « Egregie se explicat οἰκονομία ἐπιτάσεως, dum post duorum adolescentum querelas, senes quoque congressi suas fortunas lamentantur: ita tamen ut querela utraque in officium et solatium ex argumenti serie deinceps processura desinat. Ut fiat nimirum illud vere οἰκονομικὸν in comœdiis, quod in Heautontimorumeno signatur, vs. 416, sq. « Nam quod potero adjutabo senem, Item ut filium meum amico atque æquali suo Video inservire, et socium esse in negotiis. Nos quoque senes est æquum senibus obsequi. »

566. *Quid?* Præmissio ad interrogandum. — *Qua prof. causa*, etc. Quæ causa itineris tui in Lemnum fuit? nempe ut Phanium, tuam e Lemnia uxore filiam, huc Athenas adduceres. *Juv.*

568. *Ejus*, Phanii, nuptæ Antiphoni. — *Hic*, Athenis.

569. *Simul*, ad hæc, præterea. — *Non man.* etc. Ætas virginis jam nubilis longiorem moram non concedebat.

570. *Meam negl.* Cod. Ien. *meam ob negl.* — *Meam negl.* h. e. cunctationem meam, usque dum Athenas eam arcesserem.

571. *Ad me*, sc. Athenas, e Lemno. — *Prof. esse aieb.* Ἀναπόλουθον, pro, profecta esse dicebatur. *Don.* — *Illic*, Lemni.

Quæso, igitur commorabare, ubi id audiveras?
Ch. Pol me detinuit morbus. De. Unde? aut qui? Ch. Rogas?
Senectus ipsa est morbus : sed venisse eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
De. Quid gnato obtigerit me absente, audistin', Chreme?
Ch. Quod quidem me factum consilî incertum facit.
Nam hanc conditionem si cui tulero extrario,
Quo pacto, aut unde mihi sit, dicundum ordine est.
Te mihi fidelem esse æque atque egomet sum mihi
Scibam : ille, si me alienus adfinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas;
Sin spreverit me, plus, quam opus est scitò, sciet;
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.

572. *Quæso.* Cum indignatione quadam loquitur, quippe qui opinatur, hac commoratione factum esse, ut filius interea nuptiis illis implicaretur. *Perl.* — *Id,* sc. mulierem esse cum filia profectam Athenas.

573. *Pol,* per Pollucem. — *Unde,* sc. ortus est morbus? — *Aut qui,* quod genus morbi?

574. *Senectus ipsa est morb.* Cod. Hal. *sen. ipsa morb. est,* hic ordo Terentii esse videtur, vocula *est* plerumque finientis. — *Sen. ips. est morb.* Apollodorus, τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα. *Don.*

576. *Quid gnato,* sc. meo, Antiphoni.

577. *Quod quidem,* etc. Audivi sane; et illud factum, illæ nuptiæ me incertum consilii faciunt, i. e. dubium quid capiam consilii.

578. *Extrario.* Sic plurimi exhib. quid. Mss. et edit. *extraneo.* — *Hanc cond.* Hoc est, nuptias filiæ clam ex uxore Lemnia susceptæ. Valet autem, *ferre cond.* pro *offerre.* Præterea *conditio* de collocanda filia usurpatur. Liv. III, 45 : « sibi *conditionem* filiæ quærendam esse. » — *Extrario,* i. e. alieno, nulla nobis cognatione conjuncto.

579. *Dicundum.* Sic edd. Fa. Par. al. antique, pro *dicendum.* — *Unde,* ex qua matre. — *Mihi sit,* sub. illa suscepta.

581. *Ille, si me alienus adfinem volet,* etc. Ordo est : *si al. vol. me adf. tac.* — *Adfinem,* intellige *socerum.*

582. *Tacebit.* De meo Lemni matrimonio, quod occultum est, nihil dicet. — *Dum int. famil.* Dum amici erimus.

583. *Spreverit,* contempserit, fastidierit. — *Plus, q. op. est sc. sciet.* Plus sciet de rebus meis, quam mihi expediet eum scire.

584. *Vereorque, ne uxor.* Ad id, quod futurum est, figuram præsagitionis, proposito οἰκονομίας, hoc refertur. *Bœcl.* — *Uxor,* Nausistrata. — *Aliqua,* scilic. via, seu *aliqua* ex parte. — *Hoc resc.* Peccatum scilicet

Quod si fit, ut me excutiam atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
DE. Scio ita esse, et istæc mihi res sollicitudini 'st;
Neque defetiscar usque adeo experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

SCENA SECUNDA.

GETA.

Ego hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem: venio ad hominem, ut dicerem,
Argentum opus esse, et id quo pacto fieret.

aut factum meum de Lemnia uxore. Chremes enim merito timet, unde sub exitum fabulæ magna turba exsistet.

585. *Quod si fit.* Ms. Par. tert. *sciet.* — *Ut.* Lib. ant. *ut.* Lib. antiq. *uti.* — *Excutiam.* Donat. notat legi quoque *excutiat.* Par. p. var. *excrucias*, depravate. — *Quod si fit*, i. e. si resciverit. — *Ut me exc.* etc. Ordo est: *Id restat, ut me exc. atque.* — *Me excutiam*, me properanter ejiciam domo.

586. *Meorum.* Exponunt quidam, domesticorum, aut eorum, qui partium sunt nostrarum. At ego putem significari, bonorum seu fortunarum, quas suas Chremes nullas habeat, nisi uxoris; id quod ita esse ipse infra, 678 seqq. satis declarat. Sic fere it. Eugraph. « Illa dives est, ego pauper. » *Perl.* — — *Solus sum meus*, h. e. mei arbitrii. Nam *solus* est, qui ab aliis destituitur.

588. *Defetiscar.* L. Bemb. *defitisc.* In C. G. m. *ego* pro *adeo.* Al. *unquam*, omissa *ego* leg. et collocant, *Neq. adeo def. unq. exp.* Alii aliter. — *Neq. d. usq. ad exp.* Neque lassabor semper tentare.

589. *Id quod pollicitus sum.* Intelligit filii sui cum filia fratris nuptias, jam dudum decretas.

Sc. II. Hæc scena expositionem tenet, quod cum Phormione actum sit: nempe ut argentum quæreretur, quod lenoni ferri posset pro Phædria: ut Phædriæ se ostendat Phormio nihilo minus amicum esse quam Antiphoni.

591. *Venio.* Schmied. et Both. pro *venio*, edd. *veni*; nullius, quantum scimus, codicis auctoritate adjuti. — *Ad hom.* Venuste et comice *hominem* repetit. — *Venio ut dic.* Hæc temporum consecutio nobis quidem minus latina poterit videri, sed comico poetæ non ita. Ac temeritatis esset ex norma consueta mutare, *veni ut dicerem.* Vid. Sanct. Min. de modd. et tempp. verbor. *Perl.*

592. *Arg. op. esse.* Sic l. Bemb. Antiqui enim *opus* esse etiam cum accusativo jungebant. Leg. in lib. ant. aliisque Mss. *argento.* — *Fieret*, pro confici posset. Getæ autem hoc

Vixdum dimidium dixeram, intellexerat.
Gaudebat, me laudabat, quærebat senem,
Dîs gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phædriæ ostenderet nihilominus
Amicum se esse, quam Antiphoni : hominem ad forum
Jussi opperiri : ego me esse adducturum senem.
Sed eccum ipsum! quis est ulterior? at at, Phædriæ
Pater venit : sed quid pertimui autem? bellua!
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc unde a primo institui : is si dat, sat est;

inventum fuisse monstrat series argumenti ; unde antea ipse suo invento gloriabatur, vs. 554 : « Quæro : salvus est, ut opinor. » Jam habeo optimam rationem juvandi Phædriæ; et *Phormionem adjutorem* sibi *dari* subinde, vs. 559, petierat : ex quo satis apparet, Getæ attribui commentum, quo Phormio de dote cum senibus deberet transigere. *Bœcler.*

593. *Vixdum dim.* etc. In Phormione igitur verum, quod supra dicebat Antipho, *dictum sapienti sat est*, vs. 540.

594. *Quær. senem.* Quærebat, ubinam esset Demipho.

596. *Nihil. Am. esse, q. Antiphoni.* Impletur, quod ante dictum erat, vers. 561 : « solus est homo amico amicus. » Quamquam enim in fallendis aliis quæ datur opera, amicitiæ tribui nequeat, nomina tamen et formulas officiosæ amicitiæ imitatur ; commonetque homines, quid in veris officiis inter amicos facere par sit. Quam est enim egregia hic descriptio prompti animi, et in quovis loco parati! *Bœcl.*

597. *Amicum se.* Sic Bent. pron. *se* collocat e cod. Reg. huc reductum. Vulgo ponitur post *Phædriæ*, vs. 596.

598. *Jussi.* Ien. *jussu.* — *Ego me ess. add.* Subaudi, dicebam.

599. *Ulterior.* Guy. *interior ;* nimis argute. — *Quis est ult.* hoc est, quis est præter eum ille alter. — *At at*, vox pertimescentis.

600. *Bellua!* C. G. m. et Hal. *belua*, per unum *l.* — *Phæd. Pater*, scil. Chremes. — *Bellua*, convicium in se ; sicut gall. dicimus : « Grosse bête que je suis! »

601. *An quia, quos fallam*, etc. Ordina ac supple : « *An* propter id *timui quia*, etc. » — *Pro uno duo.* Sensus liquet : « si unum fallere non licebit, alter restat, quem fallam. »

602. *Comm. esse.* Ms. Græv. *est* pro *esse.* Hunc versum expungit Guyetus, sane dignissimum poeta, quem et Priscianus citat laudatum. — *Duplici spe utier.* Habere duos, unde sperare possim me pecuniam ablaturum.

603. *Is si.* Al. *si is.* — *Petam*, experiar obtinere pecuniam. — *Hinc unde*, ab eo a quo. — *A primo.* Sic

Si ab eo nihil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

SCENA TERTIA.

ANTIPHO. GETA. CHREMES. DEMIPHO.

A. Exspecto, quam mox recipiat huc sese Geta.
Sed patruum video cum patre adstantem : hei mihi!
Quam timeo, adventus hujus quo impellat patrem!
G. Adibo hosce : o noster Chreme. CH. O salve, Geta.
G. Venire salvum volupe 'st. CH. Credo. G. Quid agitur?
CH. Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria.
G. Ita : de Antiphone audistin'? quæ facta. CH. Omnia.
G. Tun' dixeras huic? facinus indignum, Chreme!
Sic circumiri? DE. Id cum hoc agebam commodum.

plenius pro, *primo*, *primum*. — *Is si dat*, sc. Demipho.

604. *Fiet*. Alii, *fiat*. — *Tum*. Ed. an. 1469, *tamen*. — *Si ab eo n. fiet*. Si ab hoc nihil impetrem. — *Hunc*, Chremetem. — *Hosp*. Astute *hospitem*, de eo qui supervenit : nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia. *Don*.

Sc. III. Ad errorem cumulandum, persona Antiphonis interponitur : ut ei adaucto metu amittendi uxoris, major vis fiat repentinæ lætitiæ. *Don*.

605. *Huc se rec*. Alii non habent *huc*. — *Exsp. quam mox*. In tota hac scena, sese non conspicuum facit Antipho.

607. *Hujus*, Chremetis. Hoc dicit clam, et nulli eorum qui sunt in scena visus aut auditus. — *Quo impellat patrem*. Recte : nam dixerat idem supra, vs. 461 : « Is quod mihi, etc. »

608. *O nost. Chreme*. Lib. Bemb. *o salve nost. Chr*.

609. *Venire salvum*. Mss. We. add. *te*. — *Volupe*. C. G. m. *voluptas*. — *Venire salvum*. Suppl. *te*. — *Volupe 'st*. Gratum jucundum. Vox vetus, posita adverbii ritu.

610. *Compluria*. Antiq. *pluria*. In C. G. m. *complura*. — *Multa advenienti*, etc. Ordinem ac sensum verborum tene ita : *Multa* advenienti mihi *hic*, *ut fit*, narrantur, inter quæ *nova* sunt *compluria*.

611. *Ita*. Sane verum dicis.

612. *Tun' dixeras huic*. Hæc Geta ad Demiphonem herum. Veretur Bœclerus, et merito, ne nimium exquisita sit Guyeti interpretatio : *Nonne prædixeras huic deceptum iri a lenonibus*. — *Facinus indignum, Chreme!* Iratum se fingit servus fallax et retorridus.

613. *Id cum hoc*. L. antiq. *cum hoc id*. — *Circumiri*, decipi, falli-

G. Nam hercle ego quoque id quidem agitans mecum sedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei. CH. Quid, Geta? 615
DE. Quod remedium? G. Ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. CH. Qui Phormio? G. Is qui istam... CH. Scio.
G. Visum est mihi, ut ejus tentarem prius sententiam.
Prendo hominem solum : « cur non, inquam, Phormio,
Vides, inter vos sic hæc potius cum bona 620
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis est, et fugitans litium.
Nam cæteri quidem hercle amici omnes modo

Hoc verbum de bello sumptum aut venatu. — *Id agebam.* De hac re agebam, loquebar.—*Cum hoc,* cum fratre meo Demiphone. — *Commodum.* Adverbium, pro *modo nunc.*

614. *Nam.* Inservit incipiendæ orationi. — *Ego quoque id q.* etc. Commendat consilium ex cura. — *Agitans,* meditans.

615. *Opinor.* Al. *ut opinor.*—*Huic rei.* De nuptiis Antiphonis et Phanii loquitur, quas dissoluturum se simulat Geta. — *Quid? Geta.* Admirantis cum gaudio.

616. *Quod remedium?* Hæc cum mult. al. tribuimus Demiphoni, non Chremeti.—*Ut abii abs te.* Sup. vs. 463. — *Fit forte obviam.* Mentitur servus, obviam sibi factum esse Phormionem; nam venerat ad hominem, ut ipse dixit, sup. vs. 591.

617. *Qui Phormio?* Qui est iste homo quem tu vocas Phormionem? — *Is qui istam....* Sub. defendit, nobisque obtrusit, Phanium scilicet. Dictum autem vultuose, et ut subblandiretur fastidio Demiphonis. Cujus rei apta est ellipsis. *West.*

618. *Tentarem.* Ed. 1469, *pertentarem.* — *Prius.* Sic Bent. ex veterrimo cod. Abest *prius* ab al. Mss. et edd. — *Visum est mihi.* Placuit. — *Tentarem sententiam.* Mentem scrutarer.

619. *Solum,* seorsum ab aliis. — *Cur non, inquam, Phormio,* etc. Ita rem exponit Geta coram dominis, ut omnem fidem vultu suo faciat illi narratæ. *Perl.*

620. *Inter vos.* In mult. libb. memorante Bent. *nos,* non *vos.* Sed rectius alii, *vos.* — *Sic* abest a compl. Mss.— *Vides,* curas, optas. — *Inter vos sic,* etc. Construe et ordina : « ut hæc componantur inter vos sic : potius cum bona gratia, quam cum mala. » Tò *sic* explicat quod sequitur. — *Bona gratia,* benevolentia.

621. *Mala gratia.* Malevolentia.

622. *Liberalis,* ingenuus, liberalis ingenii. — *Fugitans lit.* Genitivo casui vim nominis habet *fugitans* junctum : accusativo, vim tantum participii. *Donat.* — *Litium.* Quasi quod vult in domino facere, id jam in eo esse dicit : præparans hominem ad contemptum pecuniæ, quæ poscetur statim. *Don.*

623. *Modo,* paulo ante.

Uno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret. »
A. Quid hic cœptat? aut quo evadet hodie? G. « An legibus
Daturum pœnas dices, si illam ejecerit?
Jam id exploratum 'st : heia! sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine : ea eloquentia est.
Verum pono esse victum eum ; at tandem tamen
Non capitis ei res agitur, sed pecuniæ. »
Postquam hominem his verbis sentio mollirier,
Soli sumus nunc, inquam, hic : eho, quid vis dari
Tibi in manum, herus ut his desistat litibus.
Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies? »
A. Satin' illi Dî sunt propitii? G. « Nam sat scio,

624. *Uno ore.* Unanimi consensu. — *Auctores fuere*, suasere. — *Præcipitem hanc daret*, e domo ejiceret.

625. *Hic*, scil. Geta. Loquitur secum Antipho. — *Quo evadet hodie?* Quis futurus est illius sermonis et consilii exitus?

626 sq. *An legib. Daturum pœnas dices?* Mimesin continuat Geta, et nunc responsionem fingit ex sola permissione. *Perlet.* — *Legibus*, pro *ex legibus*. — *Dat. pœnas.* Judicum sententia condemnatum iri. — *Si illam ejecerit*, si Phanium domo sua ejecerit. — *Dices*, putabis.

627. *Id explorat. est.* H. e. satis constat, Phanium tuto posse ejici ex ædibus et sine mulcta legum. *West.* — *Sudabis satis.* Satis exerceberis, satis negotii habebis.

628. *Inceptas. Inceptare* dicitur cum magno nisu efficere. — *Ea eloq. est.* Hic intelligi vult Demiphonis eloquentiam, quam quasi coram parasito laudarit. Eloquentia autem causidico inprimis vel patrono opus est. *Perlet.*

629. *Pono.* Alii, *pone.* — *Pono*, facio, fingo. — *Esse victum*, e causa cadere. — *Eum*, sc. Demiphonem.

630. *Non capit. ei.* Ita cod. Guy. vet. pro *ejus*, vulg. — *Non capitis*, etc. Non agitur vita Demiphonis, non venit ipse in periculum, sed tantum ejus pecunia.

631. *Mollirier*, pro *molliri;* et intellige, *placari*, *mitigari.*

632. *Nunc, inq., hic.* Al. *nunc hic inquam.* — *Quid vis.* C. G. m. *dic quid velis.*

633. *Herus ut.* L. antiq. *ut herus.* — *Dari Tibi in manum.* Datur ei in manum, qui furtum accipit sine arbitro, aut interprete : ut prævaricator, aut judex corruptus. *Don.*

634. *Hæc*, Phanium. — *Hinc facessat.* Hinc abeat. Conf. Liv. I, 47 : « *facesse* hinc Tarquinios. »

635. *Satin' illi*, etc. Hæc secum Antipho; nempe, ignarus consiliorum Getæ, putat eum insanire, qui de dimittenda sua uxore verba faciat. « An dii, inquit, irati mentem illi ademerunt? » Nempe huc spectat, quod veteres credebant, deos his hominibus qui sanam mentem haberent maxime esse propitios. *Casaub.* et *Perlet.*

Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris,
Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. » De. Quis te istæc jussit loqui?
Ch. Immo non potuit melius pervenirier
Eo quo nos volumus. A. Occidi! Ch. Perge eloqui.
G. A primo homo insanibat. De. Cedo, quid postulat?
G. Quid? nimium quantum libuit. Ch. Dic. G. « Si quis daret
Talentum magnum. » De. Immo malum hercle: ut nil pudet!
G. Quod dixi adeo ei: « quæso, quid si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est, quæ dotem petat. »
Ad pauca ut redeam, ac mittam illius ineptias,

636. *Aliquam partem.* Et si non totum, vel *aliquam partem.* — *Dixeris*, promiseris.

637. *Ut*, valet pro *utpote qui.* — *Tria non commutab. Verb.* etc. Sic dicebant, jurgium significantes. Proprie *verba commutare* est, quod *altercari* dicimus. *Donat.*

638. *Istæc loqui.* Cum Phormione illo. Persuasus scilicet ostenditur Demipho; sed simul difficilior Clremete fratre, qui se faciliorem præbeat fraudis periculo. *Perlet.*

639. *Melius*, quam ita loquendo.

640. *Perge eloqui.* Hæc in quibusd. codd. teste We. Demiphoni tribuuntur. — *Eo quo nos vol.* Scil. ut Phanium discederet ab Antiphone, et sejungeretur.

641. *A primo.* We. p. var. *At primo.* — *Cedo.* We. p. var. *credo.* — *A primo*, etc. Pergit Geta fictum suum cum Phormione sermonem. — *Homo*, Phormio. — *Insanibat.* Id est, immensum et insanum pretium postulabat.

642. *Libuit.* Bent. ex veterr. *voluit.* — *Quid?* Interrogatio animum suspendens audientis. — *Nimium q.* Hoc utrumque junctim, item Cic. Fin. IV, 25: « Zeno dicit differre inter honestum et turpe *nimium quantum*, nescio quid immensum. » Male igitur West. post *nimium* distinxit. *Perlet.*

643. *Talentum magnum.* Vide ad calcem nostri Martial. t. I. — *Immo malum hercle.* Sub. *daret:* illi rectius et potius aliquis malum, i. e. necem, vel gravioris aliquid incommodi dederit quam talentum. *Juv.* — *Ut nil pudet!* quam impudens est!

644. *Quod dixi adeo ei.* Ego vero idem omnino illi respondi, quod tu nunc merito dicis. — *Quid*, suppl. *postulasses.*

645. *Suam unicam.* Huic verbo oppositum intellige, quod sequitur *inventa est*, scil. aliena. — *Locaret*, in matrimonium collocaret. — *Parvi retulit non suscepisse.* In græca fabula senex hoc dicit: « Quid interest me, non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienæ? »

647. *Ac mittam.* Al. *ac omittam.*

Hæc denique ejus fuit postrema oratio.
« Ego, inquit, jam a principio amici filiam,
Ita ut æquum fuerat, volui uxorem ducere.
Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodum,
In servitutem pauperem ad ditem dari.
Sed mî opus erat, ut aperte nunc tibi fabuler,
Aliquantulum quæ adferret, quî dissolverem
Quæ debeo; et etiam nunc, si volt Demipho
Dare quantum ab hac accipio, quæ sponsa 'st mihi,
Nullam mihi malim, quam istanc uxorem dari. »
A. Utrum stultitia facere ego hunc an malitia
Dicam, scientem an imprudentem, incertus sum.
De. Quid, si animam debet? G. « Ager oppositu 'st pignori
Ob decem minas, » inquit. De. Age, age, jam ducat; dabo.
G. « Ædiculæ item sunt ob decem alias. » De. Oi, ei!
Nimium 'st. Ch. Ne clama : petito hasce a me decem.

648. *Ejus*, scil. Phormionis.

649. *Amici filiam.* Hanc Phanium.

651. *Incommodum.* Bent. *incommodi.*—*Ejus incommodum.* Nempe, quod in servitutem danda foret, si nuberet diviti. Invidiose dixit *servitutem*, quum de conjugio sermo sit; quasi innueret : eam, quæ sit inops, in servitutem divitis viri, potius quam in matrimonium venire.

653. *Fabuler*, loquar, rem totam explicem.

654. *Op. erat aliq. quæ adf.* Supple, et intellig. opus erat uxore ea quæ adferet, etc. — *Quî*, unde. — *Dissolverem*, creditoribus meis solverem.

655. *Et etiam.* C. G. m. et alii omittunt *et.*

656. *Dare*, suppl. *mihi.*—*Ab hac*, ab altera muliere.

657. *Istanc*, Phanium.

658. *Stultitia*, temeritas, quæ caret consilio; cui opp. *malitia*, malis artibus plena. — *Hunc*, Getam, quem simul indicat.

659. *Incertus sum.* Clanculum hæc dicit Antipho.

660. *Si anim. deb.* Proverb. Græc. τὴν ψυχὴν ὀφείλει, dicitur de eo, qui immodico ære alieno teneatur, ut plus quam omnes facultates debeat, ac denique se ipsum seu vitam suam debeat. *Erasm.* — *Ager oppos. e. pign.* Id est, agrum dedi loco pignoris, i. e. vadimonii.

661. *Ob decem minas.* Noluit semel summam proponere, ne magnitudo terreret. — *Jam ducat*, scilic. Phanium.

662. *Ei, ei.* C. G. m. ut Bent. cödd. *hui.* Lib. antiq. *hoi*, *hui.* — *Ædiculæ.* Diminutivum nomen, sicut *aliquantulum*, vs. 654, ut attenuet rem suam.

G. « Uxori emenda ancillula 'st; tum autem pluscula
Supellectile opus est; opus est sumptu ad nuptias.
His rebus pone sane, inquit, decem. »
De. Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas.
Nil do : impuratus me ille ut etiam irrideat?
Ch. Quæso, ego dabo, quiesce : tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. A. Hei mihi!
Geta, occidisti me tuis fallaciis.
Ch. Mea causa ejicitur, me hoc est æquum amittere.
G. « Quantum potes, me certiorem, inquit, face,
Si illam dant, hanc ut mittam; ne incertus siem.

664. *Ancillula, pluscula.* Pergit diminutivis nominibus uti, quo minorem faciat impatientiam.

666. *Pone sane.* Alii, *sane pone.* — *Decem.* Vulg. add. *minas.* Abest a duobus Bent. codd. — *His rebus.* Ad ea omnia comparanda.— *Pone,* destina. — *Sane.* Bene *sane;* quasi plus quiddam exigat, sed hoc contentus sit. *Donat.*

667. *Proinde scribito.* Mss. West. et ed. 1469, *Proinde potius scribito.* — *Sexcentas proinde,* etc. Magnitudine summæ excitatus clamat : « Quascumque et quotquot velit calumnias mihi et causas Phormio indicet. » — *Scribito,* intendat ille. — *Dicas,* lites.

668. *Impuratus ille.* Sceleratus ille; loquitur de Phormione. — *Ut irrideat.* Intellig. fierine potest, ut irrideat.

669. *Quæso, ego dabo, quiesce.* Semper poeta morum ὑπερβολὴν comparatione moderatioris instituti, temperat: iracundo placidum, timido constantem componens; idque, non tantum varietatis causa, sed etiam ad argumentum et exitum fabulæ aptando ista, quasi ita necesse foret, aut certe peropportunum. Demipho et Chremes hic conferuntur, ut in Andria Simo et Chremes. *Bœcler.* — *Quiesce,* tranquillo sis animo.

670. Hunc versum testatur Lindenbr. a vett. codd. abesse.—*Illam q. volumus.* Intelligit filiam suam, clam in Lemno susceptam; et eam esse Phanium nondum uterque sciebant.

671. *Geta, occ.* etc. Secum semper loquitur Antipho indignabundus.

672. *Mea causa.* Nempe ut mea filia tuo filio Antiphoni nubat. — *Ejicitur,* suppl. illa Phanium. — *Me hoc est æquum omitt.* Ratio cur ipse viginti dare debeat minas, dante Demiphone decem. *Donat.*

673. *Quant. potes.* Sic lib. antiq. in Bemb. *q. potest.* — *Inquit.* Simulat Geta pergere loquendo Phormionem.

674. *Mittam.* Alii, *omittam.* — *Illam,* scilic. Phanium. — *Hanc,* nempe quam Phormio sibi sponsam esse ex commento Getæ dixisset. Cf. vs. 656.

Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare. »
CH. Jam accipiat, illis repudium renuntiet;
Hanc ducat. DE. Quæ quidem illis res vortat male!
CH. Opportune adeo argentum nunc mecum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia.
Inde sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.

SCENA QUARTA.

ANTIPHO. GETA.

A. Geta! G. Hem! A. Quid egisti? G. Emunxi argento senes.
A. Satin' id est? G. Nescio hercle, tantum jussus sum.

675. *Illi*, parentes ejus. — *Jam.* Vis omnis est in voce *jam*. Unde adeo Chremes respondet, *Jam accipiat.*

676. *Accipiat.* L. antiq. *accipiet.* — *Illis repud. renunt.* Dicat illis quorum filia est ipsi promissa, se ipsam repudiare, ducere aliam hanc, nempe Phanium.

677. *Illis.* Uxori et marito; vel nuptiis. Non desinit poeta ostendere avaritiam Demiphonis, qui nec ideo libenter fert dari aliquid Phormioni, quia sic commodum ei est. Virg. Ecl. IX, 6 : « Hos illi (quod nec bene vertat!) mittimus hædos. » *Donat.*

678. *Nunc mecum attuli.* Comice argentum præsto est, quo commodius emungatur a Geta.

679. *Lemni.* Palmer. *Lemno.* — *Fructum, quem Lemni*, etc. Fructus agri et rei familiaris. — *Lemni*, in urbe Lemno.

680. *Inde.* Al. *id.* — *Uxori.* Nausistratæ dicam, te eguisse hac pecunia. — *Dixero*, pro *dicam.* Jurgio paratur locus.

Sc. IV. In hac scena iracunde interrogat dominus, ac servus simpliciter respondet. Scilicet, interrogari se credens, narrat quid egerit. — In eo versatur hujus scenæ principium, quod Antipho, nullius artificii conscius, invehitur sine more adversus Getam, et dira imprecatur contra servum; dum hic contra, qui egregiam juveni operam navare non destitit, rem explicat et sensim tumescentem confutat. Status idem ille comicus reperitur apud Molerium, *l'Étourdi*, act. I, sc. X; ubi vide; et in comœdia quam auctor, *Al. Piron*, inscripsit *la Métromanie*, act. II, scen. III et IV.

681. *Geta!* Prorumpit iracunde Antipho. — *Emunxi.* Metaph. a quadrupedibus, quibus lac subtractum est.

682. *Satin' id est?... tantum jussus sum.* Ludit Terentius in ambiguitate

A. Eho, verbero, aliud mihi respondes ac rogo.
G. Quid ergo narras? A. Quid ego narrem? opera tua
Ad restim mî quidem res rediit planissume.
Ut te quidem omnes Dî Deæque, Superi, Inferi
Malis exemplis perdant! hem, si quid velis,
Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo auferat.
Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? injecta est spes patri,
Posse illam extrudi: cedo, nunc porro Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum.
Quid fiet? G. Non enim ducet. A. Novi: cæterum

orationis. Dixerat Antipho: «Satisne putas te fecisse, quod a senibus argentum hauseris; nullam vero curam mei habueris?» Respondet autem Geta, quasi Antipho quæreret, an tanto argento senes emunxisset, quantum Phædriæ satis esset: ideo dicit: «an satis sit, nescio; sed quantum jussus sum providere, tantum me providisse scio.»

683. *Verbero*, flagrio. Substantivum est, et convicium in servos Planto frequens. — *Aliud ac rogo.* Rogaverat enim Antipho, *quid egisti?* Id est, non quantum? sed quid?

684. *Quid ego narrem?* Sub. tu audes rogare.

685. *Ad restim*, etc. Formula desperationis. *Restis* idem est ac funis, laqueus. Sententia est: «Nihil jam mihi superest aliud, nisi ut abeam et suspendam me.»

686. *Ut te*, etc. Subaudi, velim, precor.

687. *Malis exemplis.* Pœnis gravioribus, quæ cæteris exempla sint et documenta, ne quid, itidem ac tu, peccent. — *Si quid velis*, si quid cordi habeas. Generaliter dictum.

688. *Huic mandes.* Vulgo sequuntur verba, *quod quidem recte curatum velis.* Sed hunc integrum versum a plerisque omissum Nos, post Perletum, cum Bent. Mur. et Both. ex Adelph. 373, huc traductum putaverimus. — *Auferat.* Var. *inferat*, *afferat*, *auferat.* — *Qui*, ut ille. — *Ad scopul. e tranquill.* Sensus est: ut ille te ex re tranquillissima in summum periculum, vel perniciem projiciat.

689. *Utibile.* Al. usitatius, *utile.* — *Quid minus utibile.* Quid minus in rem meam, minus mihi commodum? — *Ulcus tangere.* Hoc est, dolorem excitare. Quod significat, mentionem facere rei, quæ alteri, ad quem pertineat, ingrata sit. Gallice dicitur item figurative: «mettre le doigt sur la plaie.»

690. *Nominare*, intellige supplendo: coram patre.

692. *Uxor ducenda est domum.* Phanium, factam sibi uxorem, secum abducet. Sic erat necesse. Qui nempe dotem accipiet, ei etiam ducenda est uxor.

693. *Quid fiet*, sup. de me. Quo res evadet? — *Novi.* Unde novit

Quum argentum repetent, nostra causa scilicet
In nervum potius ibit. G. Nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id, quod boni est, excerpis; dicis quod mali est.
Audi nunc contra jam: si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi.
Spatium quidem tandem apparandis nuptiis,
Vocandi, sacrificandi dabitur paululum.
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt.
Id ille istis reddet. A. Quamobrem? aut quid dicet? G. Rogas?
« Quot res, post illa, monstra evenerunt mihi!

Antipho non esse illum ducturum? Novisse poterat ex illo dicto Phormionis, *act. aiunt, ne agas.* Cf. supra, vs. 419. *Perlet.*

694. *Quum argentum repetent.* Sc. Demipho et Chremes. — *Scilicet*, per ironiam.

695. *Nost. caus. in nervum pot. ib.* Hæc accipi debent εἰρωνικῶς, i. e. in vincula se duci potius patietur, quam nos prodet, i. e. quum repetent argentum, potius nos prodet, quam in nervum compingi se (quod iis qui solvendo non pares erant usu veniebat), patietur. Vid. etiam Joh. Weitz. *Bœcler.*

696. *Quin possit.* Quod non possit.

697. *Excerpis*, eximis, prætermittis.

698. *Argentum*, pecuniam dotalem. — *Acceperit*, sc. Phormio.

699. *Ducenda est uxor.* Oportebit eum uxorem ducere.

700. *Apparandis nuptiis.* G. Fabric. *adparandi nuptias.* — *Spatium*, mora. — *Tandem*, ad minimum, saltem. Gallice, *après tout, au bout du compte.* — *Apparandis nupt.* etc. Sensus est totius sententiæ: spatium certe tu aliquod temporis nanciscaris, antequam ille ad nuptias accedat. Quibus enim *apparandis* opus est, convivas *vocare*, Diis *sacrificare*, etc. Hæc vero et alia hujus modi anteire solebant. *Perlet.*

701. *Paululum.* Adjectivum hoc refer ad *spatium*, vs. præced.

702. *Quod polliciti sunt.* C. G. m. et al. add. *argentum.* Glossam olet. — *Quod polliciti sunt.* Supp. argentum. Cf. supra, vs. 535.

703. *Id ille.* Lib. antiq. *inde iste.* — *Id.* Acceptum, a Phædria argentum. — *Ille*, Phormio. — *Istis*, senibus. — *Reddet*, adjice: et, negabit se posse Phanium jam uxorem ducere. — *Quamobrem?* qua de causa? cur reddat?—*Rogas*, supp. quid causæ poterit portendere; et statim Geta Phormionem inducit loquentem: *Quot res, post illa*, etc.

704. *Post illa*, post conventionem nuptiarum. — *Monstra evenerunt mihi.* Quam multa mihi acciderunt portenta, quibus impediar ne ducam. — Egregius sequitur locus,

Introiit ædes ater alienus canis;
Anguis in impluvium decidit de tegulis;
Gallina cecinit; interdixit hariolus;
Aruspex vetuit, ante brumam autem novi
Negotii incipere; quæ causa est justissima.»
Hæc fient. A. Ut modo fiant. G. Fient : me vide.
Pater exit : abi, dic esse argentum Phædriæ.

quo superstitio circa omina et religiones, vel observandas, vel ementiendas κωμῳδεῖται. De quibus fuse admodum, et prolixius quam in rem nostram est, disseruit Zeun. in sua Terentii edit. ubi vide.

705. *Ædes.* Al. *in ædes.* — *Introiit ædes ater alienus canis.* Multa de *canibus* prodigia recenset Julius Obsequens; quem vide. — *Ater;* color pro infausto habitus. — *Alienus canis.* Id quoque fuit prodigium. Cf. Suet. Vesp. 5 : « Prandente eo, quondam *canis extrarius* e trivio manum humanam intulit, mensæque subjecit.»

706. *In impluv.* Vulgo, *per impluv.* Sequimur nos Bent. ex Guy. sic quoque Perl. — *Anguis*, etc. Liv. I, 56 : « Portentum terribile visum, anguis ex columna lignea elapsus.» — *In impluvium.* Locus est apertus et patens in medio ædium unde lumen deorsum capitur; ita dictus quod eo impluat, quod aqua e tectis eo decidat. *Juv.*

707. *Gallina cecinit.* Observatum est, in qua domo gallina canat, superiorem (superstitem) marito esse uxorem. *Donat.* — Petron. sat. 74 : « Gallus gallinaceus cantavit». et paulo post, « aut incendium oportet fiat, aut aliquis in vicinia animam abjiciet.» Sed id ipsum prodigium erat, *gallinam* cecinisse. — *Interdixit*, vetuit ne nuptias conficerem. — *Hariolus*, quasi *fariolus;* qui fatur et divinat.

708. *Autem novi.* In lib. antiq. *aliquid novi.* Al. sicut Nos, *aut. novi.* Alii omnino respuunt *aliquid.* — *Aruspex.* Eugraph. hic *aruspicem* ab *hariolo* distinguit ita, ut *hariolus* divinet de humanis, *aruspex* de divinis. — *Ante brumam.* Quod ante brumam dies decrescant, post brumam, quæ incipit die decembris vigesima prima, crescere incipiant. Erat autem religio apud Veteres aliquid aggredi anno senescente, et antequam dies crescere inciperent. Hoc irridet Geta, dum ait esse causam hanc justissimam : vel potius hanc maxime causam probat, ut sit spatium longius ad nuptias istas disturbandas. *Juvencius.*

709. *Justissima.* Bent. unicus edid. *sontica.* — *Quæ c. est just.* Huc usque verba a servo simulata Phormionis.

710. *Hæc fient*, hæc evenient impedimenta. Id est responsum ad dubitationem Antiphonis, supra, vs. 693. — *Ut modo.* Inverte, *modo ut.* I. e. sit ita sane, modo ut hæc fiant quemadmodum tu dixisti. — *Me vide.* Formula asseverandi, jam adnotata.

711. *Pater*, sc. tuus. — *Esse*, pro *adesse.* Ordo est : *Dic Phædriæ*, adesse, vel *esse* nobis *argentum.*

SCENA QUINTA.

DEMIPHO. GETA. CHREMES.

DE. Quietus esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit.
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testes adhibeam.
Cui dem, et quamobrem dem, commemorabo. G. Ut cautus est, ubi nihil opu 'st!
CH. Atque ita opus facto est, et mature, dum libido eadem hæc manet. 715

Sc. v. In hac scena, Demiphonis continentur verba promittentis fratri, omnia se esse facturum, uti Phormio cogatur et argentum accipere, et uxorem ducere. *Eugr.*

712. *Duit.* Vulg. *duint.* — *Quietus esto.* Hæc Demipho ad Chremetem conversus. — *Inquam.* Inde patet sermonem fuisse incœptum, ante quam prodirent in scenam. — *Ego.* Pronomen, quod inservit fortius asseverando. — *Ne quid verborum duit. Verba dare*, sumitur sæpius, pro *decipere, fallere.* Scilicet metuebat Chremes, ne Phormio ubi accepisset triginta minas, eluderet senes, nec Phanium duceret. *West.*

713. *Hoc.* Διυκτικῶς. Ostendit enim marsupium cum argento. — *Amittam*, dimittam. — *Quin m. testes adhib.* etc. Formula cautionis in numeranda pecunia debita, adhibitis testibus, expressa causa. *Bœcler.*

714. *Cui.* Var. *cui, quum, cur.* — *Ut cautus est.* Quam cautus est. — *Ubi nihil opu 'st.* Sc. eum cautum esse. Cautio scilicet ridicula. Nam consulit, Donato observante, quemadmodum detur, ubi omnino dare non debuerit: siquidem argentum Phædriæ jamjam sit dandum, sub nomine Phormionis.

715. *Et mature.* Vulg. *at matura.* — *Ita opus facto est.* I. e. danda omnino hæc pecunia est. — *Dum libido*, etc. Dum perstat Phormio in voluntate accipiendæ Phanii, et bene *libidinem* posuit, ait Don. pro voluntate hominis incerti ac levis. — Quid autem magis comicum inveniri potest, quam illa senis diligentia in captanda voluntate nebulonis, ut hic accipiat pecuniam, quasi non ipse cuperet magis subripere? Præterea par illud senum præ se fert prudentiam, quam retorridus ille, parasitus inquam, facetissime deludit. Timet alter, ne pecunia imprudenter tradatur; et traditur imprudentissime. Timet alter, ne Phormio non accipiat argentum; et nihil

Nam si altera illa magis instabit, forsitan nos reiciat.
G. Rem ipsam putasti. De. Duc me ad eum ergo. G. Non moror. Ch. Ubi hoc egeris,
Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc, prius quam hinc abeat,
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne succenseat;
Et magis esse illum idoneum, ipsi qui sit familiarior;
Nos nostro officio nil degressos; quantum is voluerit,
Datum esse dotis. De. Quid tua, malum! id refert? Ch. Magni, Demipho.
De. Non satis est tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
Ch. Volo ipsius quoque voluntate hæc fieri, ne se ejectam prædicet.

vividius optat Phormio quam id arripere.

716. *Reiciat.* Al. *rejiciat*, sine syncop. — *Altera illa*, quæ sponsa est Phormioni. Supra, vers. 656. — *Magis instabit*, ut ipsam ducat uxorem. — *Nos*, sc. mulierem, quam nos illi destinamus.

717. *Rem ipsam putasti.* Rem vera conjectura assecutus es. Hæc Geta ad Chremetem. — *Ubi hoc egeris*, id est, ubi duxeris herum tuum ad Phormionem.

718. *Abeat.* Al. *abit*, male. *Perlet.* — *Ad uxorem meam*, Nausistratam. — *Hanc*, sc. Phanium, Antiphonis uxorem.

719. *Eam dare nos.* Alii, *nos dare eam.* — *Dicat*, sc. Nausistrata dicat huic Phanio. — *Ne succenseat*, sub. puella.

720. *Ipsi qui sit.* In lib. antiq. *qui ipsi sit.* — *Magis esse illum idoneum.* Præstare ut ipsi potius quam Antiphoni nubat. — *Ipsi qui sit*, etc. Ut qui sit ei usu familiaritatis notior, utpote Phanii patri notus.

721. *Degressos.* Lib. antiq. *egress.* Al. *digress.* Al. add. *esse.* — *Nos nostro off. nil degress.* Sensus: «Nos nihil fecisse, quod ab officio nostro alienum sit.» — *Is*, Phormio. — *Voluerit;* cf. sup. 643, 656.

722. *Malum!* Adverbii loco ponitur; et est male precantis. — *Magni*, sc. refert. Demipho quidem asperior et iratior vix opus esse existimat, Phanium de repudio placari. Ab eo tamen Chremes mitior ac humanior longe dissentit. *Perletus.*

723. *Fecisse.* Bent. *facere.* — *Si non id.* Var. ord. *id si non; si id non.* — *Non satis est*, etc. Recte judicat Chremes, fratrem male auditurum, si Phanium quæ nupta gnato suo esset, domo prohibuisset, vel ejecisset. — *Si non id fama approbat.* Nisi id quod facis recte, hominibus quoque probetur ac placeat.

724. *Hæc fieri.* Lib. antiq. *hoc fier.* — *Ipsius quoque voluntate.*

DE. Idem ego istuc facere possum. CH. Mulier mulieri magis congruet.

DE. Rogabo. CH. Ubi ego illas nunc reperire possim, cogito.

Both. mutat *ipsa quoque volente.* — *Volo ipsius quoq. volunt.* etc. Volo id a Phanio probari; ea non invita has fieri nuptias. — *Ejectam*, a nobis expulsam.

725. *Congruet.* Alii, *congruit.* — *Idem ego istuc.* Scilic. quod demandatum erat Nausistratæ; scil. eam consolari tam facile, quam tua uxor Nausistrata. — *Mulier mulieri mag. congr.* Adagium simile, laudante Plutarcho: Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει, Παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ προσφορὰν γυνή.

726. *Ubi ego illas nunc.* Lib. ant. *ubi nunc illas ego.* Al. *ego* pro *ergo.* Cæterum variat ordo verborum. — *Rogabo.* Sc. Nausistratam uxorem fratris, ut conveniat Phanium; cf. vs. 718. Hæc dicens, abit cum Geta. — *Illas.* Uxorem meam Lemniam, et filiam mihi ex illa natam. His verbis facit transitum Chremes ad actum sequentem.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

SOPHRONA. CHREMES.

So. Quid agam? quem mî amicum misera inveniam? aut quo consilia hæc referam
Aut unde mihi auxilium petam?
Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne injuria afficiatur :
Ita patrem adolescentis facta hæc tolerare audio violenter.
Ch. Nam quæ hæc anus est exanimata, a fratre quæ egressa 'st meo? 731

Act. V, Sc. I. «Dum quærere filiam et uxorem meditatur Chremes, nutrix filiæ a Demiphone egreditur in scenam. Quam querentem de heræ periculo ubi aliquantum audisset et agnovisset, ipse ad eam accedit, ac resciscit, filiam suam, quod voluerat, nuptam esse Antiphoni.» Hæc Bipontini editores, qui simul Donatum forte secuti, hac indicata catastrophe, ab sequente demum scena quintum actum incipiunt.

727. *Misera inv.* Al. *inveniam misera.* — *Quo.* Lib. ant. *cui*, pro *quo.* — *Quid agam?* etc. Hæc et sequentia secum loquitur Sophrona, quæ metuit ne forte pater Phanii sibi malum inferat, quod nuptias cum filia Antiphonî concessisset. — *Quo.* Intell. ad quem hominem. — *Consilia hæc*, quæ cepimus de collocanda Antiphoni Phanio. — *Referam*, communicabo.

728. *Aut.* Utrumque *aut* Bent. ejecit, posito pro hoc posteriore *atque.* — *Unde*, a quo.

729. *Indigne.* L. Bemb. *indigne* et *indigna*, et Par. ed. *indignâ injuriâ*, in ablativo. — *Hera*, Phanium.

730. *Ita*, etc. Per epiphonema dictum. — *Patrem adolescentis.* Demiphonem, patrem Antiphonis. — *Violenter.* Quod Græci dicunt δεινῶς.

731. *Anus est.* Bent. distinguit post *est;* We. post *exanimata.* — *Nam quæ.* Per metathesin, pro *quænam.* Virg. Georg. IV, 445 : «*Nam quis te juvenum...*» pro, *quisnam*, etc. — *Exanimata*, exterrita, parum sui animi compos, propter metum. — *A fratre meo.* A domo fratris mei.

So. Quod ut facerem egestas me impulit, quum scirem infirmas nuptias
Hasce esse; ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret.
Ch. Certe ædepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi,
Meæ nutricem gnatæ video. So. Neque ille investigatur.
Ch. Quid agam?
So. Qui ejus pater est. Ch. Adeo, an maneo, dum ea quæ loquitur, magis cognosco?
So. Quod si eum nunc reperire possim, nihil est quod verear. Ch. Ea 'st ipsa.
Conloquar. So. Quis hic loquitur? Ch. Sophrona! So. Et meum nomen nominat?
Ch. Respice ad me. So. Dî, obsecro vos, estne hic Stilpho? Ch. Non. So. Negas?
Ch. Concede hinc a foribus paulum istorsum sodes, Sophrona.

732. *Quod ut facerem*, sc. ut ei suaderem. Pergit ergo Sophrona, neque viso, neque audito Chremete. — *Infirmas*. Non firmas, non mansuras fore, nempe a Demiphone impediendas.

733. *Ut id consul.* etc. Supp. feci, ut consulerem id, scilicet, ut vita heræ, etc. — *In tuto foret.* Ne fame periret.

734. *Par. prosp. oc.* Colloc. alii, *oculi prospiciunt.* Al. *prosp. par. oc.*

735. *Quid agam?* L. Bemb. *quid ago?* — *Neque ille investigatur.* Nota continuari, ut jam indicavimus, orationem Sophronæ, Chremete non animadverso. Itaque conserenda una serie sunt, *neque ille investigatur qui ej. pat. est.*

736. *Qui ejus pater est.* C. G. m. coll. *qui est ej. pat.* Par. *quid* pro *qui.* — *Adeo?* Al. *adeon'?* Par. c. Fa. *adeo? maneo?* omisso *an.* — *Cognosco.* Al. *cognoscam.* — *Qui ej. pat. Qui*, pro *quis.* Nescit enim, quo nomine lateat Phanii pater Athenis. — *Adeo.* Ab *adire*, *adeo*, scil. se ipsum interrogat, cessans nutricem adire.

739. *Estne hic Stilpho?* Cognitum dominum eo nomine appellavit, quo apud villam. In urbe, idem dicebatur nomine Chremetis. — *Non.* Negat hoc nomen, ne cognoscatur ab uxore.

740. *Paulum.* Fa. *paululum* antefert lectioni *paulum*, quam recentiorum libb. esse existimat. At ego in recent. C. G. ch. ann. 1472 exarato *paulum* inveni. *Perl.* — *Istorsum.* C. G. m. *istrorsum.* C. gl. *in hanc partem.* — *Concede*, amove te. — *Hinc a foribus; hinc*, e loco ubi stas. Quasi simpliciter esset, a *foribus.*

Ne me istoc posthac nomine appellassis. So. Quid? non, obsecro, es,
Quem semper te esse dictitasti? Ch. St! So. Quid has metuis fores?
Ch. Conclusam hic habeo uxorem sævam; verum istoc me nomine
Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.
So. Istoc pol nos te hic invenire miseræ nunquam potuimus.
Ch. Eho! dic mihi, quid rei tibi est cum familia hac, unde exis?
Ubi illæ? So. Miseram me! Ch. Hem, quid est? vivuntne? So. Vivit gnata.
Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.

—*Paulum istorsum*, pauxillum versus istam partem.

741. *Ne.* C. G. m. *nec.* — *Appellassis.* Var. *appellaris*, *appellasses.* — *Non.* Libb. ant. *is.* Abest a Bemb. — *Istoc nomine*, sc. Stilphonis. — *Appellassis*, forma antiqua pro, *appellaveris.* — *Quid?* Formula interrogaturæ.

742. *St!* Pro *st*, codd. Be. exhib. *est*, quod Riv. tuetur. Sic item in plusc. Mss. — *St!* Nota silentii. — *Quid h. met. for.* Recedere nempe a foribus jusserat Sostratam, supr. 740.

743. *Me.* Vulg. *de.* Non placet. Omittit *de* lib. Vict. quem cætt. sequuntur. — *Conclusam*, etc. Illaturus sævam, bene *conclusam* prætulit; ut si diceret *feram*; et innuit Nausistratam.

744. *Eo*, ideo, ob id, hanc ob causam. — *Me dixi*, me nominavi. — *Foris*, palàm.

745. *Effutiretis.* De meis in Lemno nuptiis diceretis et effunderetis; ducta vox a vase rimoso et *futili.* Juv. —*Id*, nomen; vel intellige, hoc quod a me factum est. — *Porro*, postea; serius ociusve. — *Aliqua*, aliqua ex via, aliquo pacto.

746. *Istoc.* Sc. Stilphonis nomine.

747. *Hac*, harum ædium; et simul indicat. — *Unde exis.* Cf. vers. 731.

748. *Ubi.* Lib. ant. *Aut Ubi.* Delev. Fa. ex fide o. libb. suor. et ratione versus. — *Illæ.* L. antiq. *sunt.* Non agnosc. duo Be. codd. Nec hab. Ms. quid. ap. We. — *Mis. me!* Libb. antiq. *hem! mis. me!* Delevit Fa. Nec est in Bemb. et Vat. antiquiss. libb. — *Ubi illæ.* Phanium et ejus mater.

749. *Ægritudine.* L. Bemb. add. *hac.* Abest a compl. al. — *Ægritudine*, quod te non inveniret; sc. natæ aut tibi metuens. — *Mors consecuta est.* Bene moderatus est, ut neque nimis ægre ferat, neque rursum ἀπαθὴς sit. Et hæc est οἰκονομία, ne in eadem urbe duæ uxores, plus mali ex sollicitudine afferant Chremeti, quam ex alterius morte tristitiæ. Neque in

CH. Male factum! So. Ego autem quæ essem anus, deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus ædium. CH. Antiphonine? So. Isti inquam ipsi.
CH. Quid? duasne is uxores habet? So. Au! obsecro, unam ille quidem hanc solam.
CH. Quid illam alteram, quæ dicitur cognata? So. Hæc ergo 'st. CH. Quid ais?
So. Composito factum 'st, quo modo hanc amans habere posset
Sine dote. CH. Dî vostram fidem! quam sæpe forte temere
Eveniunt, quæ non audeas optare! Offendi adveniens
Quicum volebam, atque uti volebam, filiam locatam.
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret,

comœdia possunt nimis miserabiles mortes esse; ne res in tragœdiam transeat. *Don.*

750. *Male factum!* Vetus formula, pro, valde doleo. — *Quæ essem*, utpote quæ essem. — *Anus, deserta*, etc. Purgatio veniali statu posita.

752. *Ipsi.* L. antiq. *Antiphonin? Hem, isti ipsi:* sed Be. ex codd. duob. inserit *inquam*, omisso *hem.* Sic it. Mss. We. — *Har. qui est dom. æd.* Mirari possumus, filium patre vivo *dominum ædium* appellari. Sed We. ex jurisconsult. sententia hoc ita esse affirmat. *Perlet.* — *Isti ipsi*, quem tu nominas.

753. *Habet.* Delet Be. *habet*, contra omnes, quod existimat esse ex interpretatione interlin. natum. — — *Duasne*, etc. *Duas* dicit, solam recordans, quam a Phormione scit injunctam adolescenti. — *Au! obs.* Formula interrumpentis. Quasi si quis gallice diceret : « Halte là, s'il vous plaît. Il n'a bien que celle-là. » — *Unam ille hanc solam*, supp. *habet.*

754. *Alteram.* L. antiq. *illa altera.* Bemb. ut supra. — *Quid illam alteram?* Supp. dices esse. — *Quæ dicitur cognata.* I. e. quæ cognata Antiphonis contenditur a Phormione; sup. v. 352 sqq. — *Hæc est.* Hæc eadem est. — *Ergo*, inquam. Cum affirmatione.

755. *Compos. fact. est.* Ex industria id inter nos convenit. — *Quomodo.* Ea mente, ut.

758. *Quicum.* Fa. *quocum.* — *Uti.* L. antiq. *ut.* — *Filiam locatam.* Alii, *collocatam filiam.* — *Quicum volebam*, etc. Ordo est : Filiam locatam ei cum quo volebam, et ut volebam eam locatam.

759. *Dab. op. ut fieret.* Al. ord. *dab. ut fier. oper.* — *Quod nos ambo*, etc. Construe : Hæc sola fecit sua cura, sine nostra cura maxima, ut hoc, secundum quod nos dabamus maxumopere operam, fieret.

Sine nostra cura maxuma, sua cura hæc sola fecit.
So. Nunc quid opus facto sit, vide: pater adolescentis venit;
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt. Ch. Nil pericli 'st.
Sed, per Deos atque homines! meam esse hanc, cave resciscat quisquam.
So. Nemo ex me scibit. Ch. Sequere me: intus cætera audies.

SCENA SECUNDA.

DEMIPHO. GETA.

De. Nostrapte culpa facimus, ut malis expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.

760. *Maxuma.* Distinguo post *maxuma* cum Par. Be. Mu. non cum We. post *cura*. Hunc vers. Be. ut subdititium uncinis inclusit. *Perl.* — *Sine nostra cur. maxuma.* Recte *maxuma*, quia dixerat *maxumo opere*, vs. 758. — *Hæc*, Sophrona scilicet.

761. *Nunc quid opus f. sit.* Mss. quid. et ed. 1469 ap. West. *Numquid op. facto est.* — *Vide.* Nunc a patre, cui consilia placent, auxilium petit, cujus ipsa inops fuit ab initio scenæ. *Perl.*

762. *Eumque animo iniquo*, etc. Cf. sup. vs. 730.—*Hoc*, has nuptias. — *Nil pericli est*, supp. metuendum ab illo.

763. *Per D. atque homin.* Supp. obsecro te. — *Meam esse*, supp. filiam.—*Hanc*, puellam, sc. Phanium.

764. *Audies.* Be. *audiemus.* Sic vult. Sic ponit in vitis libris.—*Scibit.* Antique pro *sciet.* — *Intus.* Par. explicat, in ædibus Demiphonis. — *Audies*, me scil. declarante.

Sc. II. Hæc scena verba tenet Demiphonis revertentis, posteaquam datum est argentum. Aut arctius ab ea parte argumenti: Demipho se ipsum excusat, quod, dum avaritiæ maculam studet effugere, in stultitiæ reprehensionem incideret. Dolet enim Phormioni datum esse argentum. *Eugraph.*

765. *Malis.* Sic Be. ex trib. veterr. Recte. Placet enim *expedit* cum duplici dativo, ut *licet;* etsi careamus exemplis aliorum. Vulg. *malos.* Perl. —*Nostrapte culpa facimus.* Per nostram culpam efficitur. — *Ut malis expediat esse.* Ut aliquibus hominibus expediat esse improbis; ut fructum e sua improbitate et dolo capiant; ut malis hominibus sua malitia feliciter cedat.

766. *Bonos*, faciles.

Ita fugias, ne præter casam, quod aiunt. Nonne id sat erat,
Accipere ab illo injuriam? Etiam argentum 'st ultro objectum,
Ut sit quî vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat.
G. Planissume. De. His nunc præmium est, qui recta prava faciunt.
G. Verissume. De. Ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
G. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
De. Etiamne id dubium 'st? G. Haud scio hercle, ut homo 'st, an mutet animum.
De. Hem! mutet animum? G. Nescio; verum, si forte, dico.

767. *Ne præter casam*, supp. aufugias. — *Quod aiunt.* Hæc indicant proverbium esse. Sensus est : Ne fias, per tuam erga malos facilitatem et benignitatem, immemor tuî. Ad id spectat adagium illud, ut admoneantur ii quos improbi deceperunt, ne ita procul a domo sua, *sua casa;* sese amoveant, ut a conspectu ablatam non possint jam tutari; quod scilicet Demiphoni accidebat. Delusus enim a Phormione, non dubitabat cum eo pactionem inire. Cf. præterea græcum proverbium: Μὴ παρὰ θύραν εἰσθιάζεσθε, ne præter fores vos patiamini abstractos. Nos etiam Lucianus docet in *Nigrino*, usitatissimum fuisse et in tragœdiis et in comœdiis proverbium illud : Καὶ τοῦτο δὲ ὃ ἐν ταῖς τραγωδίαις τε καὶ κωμῳδίαις λεγόμενον, ἤδη καὶ παρὰ θύραν εἰσθιαζόμενοι, etc.

768. *Objectum.* Erasm. add. *ei.*—

769. *Quî*, unde, quare.

770. *Planissume.* Omnino sic est; et assentando Geta deridet senis seram pœnitentiam. — *Qui recta prava faciunt.* « Candida de nigris, et de candentibus atra. » *Mer. Casaub.* Hæc vultuose dicta. Tangit autem cum Phormione causidicos omnes.

771. *Ut stultissime*, quam imprudenter et inepte. — *Illi rem gesserimus.* H. e. illi lucrum conciliaverimus.

772. *Modo ut*, etc. Supp. ante hæc: « Bene cesserit nobis consilium huic dandi argenti. » — *Modo*, dummodo. — *Discedi*, eo perveniri.

773. *Ut homo est.* Prout est hominis indoles.

774. *Mutet animum.* Vulg. *mut. autem*, pro *mut. animum.* Sed Mss. quid. West. *m. animum*, idque ex more Terentii repetendi prius. *Perl.* — *Nescio*, sc. an mutet. — *Si forte, dico.* Sub. *mutet.* Non affirmo; id aio tantum, quod fieri potest. Ita callide domini præparat animum ad ea quæ eventura sint; ut, quæ ipse machinatus sit, videatur prædixisse. *Perl.*

DE. Ita faciam, ut frater censuit, ut uxorem huc ejus adducam,
Cum ista ut loquatur: tu, Geta, abi præ, nuntia hanc venturam.
G. Argentum inventum 'st Phædriæ: de jurgio siletur.
Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto hæsitas: vorsuram solves,
Geta: præsens quod fuerat malum, in diem abiit; plagæ crescunt,
Nisi prospicis. Nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut ejus orationem.

775. *Ut uxorem.* Recentt. codd. Bentleio test. non habent *ut.* — *Huc ejus.* Al. *ejus huc.* — *Ut uxor. huc ej. adduc.* Scilicet Nausistratam in domum Demiphonis, ubi Phanium sit cum Antiphone marito.

776. *Cum ista ut*, etc. Conf. inf. 1010. — *Nuntia hanc*, etc. Phanium præmone, futurum ut Nausistrata ipsam conveniat, adeoque illam exspectet domi. Hæc ubi dixit Demipho, Nausistratam evocatum it; manet Geta, et sibi partim gratulatur, partim timet.

777. *Argentum invent. est.* Quo sc. emunxerat senes. Cf. sup. vs. 681. — *Phædriæ.* Dativ. commodi. — *De jurgio*, inter Demiphonem et Phormionem. — *Siletur.* Senes enim cavebunt, ne quid de jurgio illo ad Nausistratæ veniat aures.

778. *In præsentia.* Hocce temporis momento. — *Hæc*, Phanium. — *Quid nunc*, supp. eveniet. — *Porro*, postea.

779. *Vorsuram.* Mss. var. *vorsuram* et *vorsura.* — *In eod. luto hæsit.* A viatoribus et viis lutulentis translata metaphora. Quasi diceret: in eadem difficultate implicitus teneris. *West.* — *Vorsuram solves.* Id est, in simili conditione es, atque ii, qui ut unam syngrapham dissolvant, pecuniam mutuam majori fœnore iterum accipiunt: in dies enim deteriorem conditionem suam faciunt. *Vorsuram facere* dicitur, qui æs alienum ex ære alieno solvit; quod nihil aliud est quam *vertere* creditorem et mutare. *Ed. Delph.*

780. *Abiit.* Cod. Hal. *abit.* — *In diem abiit.* Non hodie quidem te assequetur; sed alio die redibit; ad tempus differtur, non penitus aufertur. — *Dies* (*le terme*) dicitur de pecunia non statim, sed tempore statuto solvenda.

781. *Edocebo*, præmonebo.

782. *Phormionem.* Mutat Bent. in *Nausistratam.* — *Ne q. v. Ph.* Quum dicet se velle Phanium ducere: faciam ut hæc omnia simulari sciat.

SCENA TERTIA.

DEMIPHO. NAUSISTRATA. CHREMES.

DE. Agedum, ut soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis;
Ut sua voluntate, id quod est faciundum, faciat. N. Faciam.
DE. Pariter nunc opera me adjuves, ac dudum re opitulata es.
N. Factum volo, ac pol minus queo viri culpa, quam me dignum 'st.
DE. Quid autem? N. Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his prædiis talenta argenti bina
Statim capiebat: hem, vir viro quid præstat! DE. Bina, quæso?

Sc. III. Divitis uxoris de marito licentius conquerentis hæc allocutio est, cum dispositione futurarum turbarum. *Donat.* — Scenam hanc delendam censet Guyetus, quem confutant Bœclerus et Faber; ille quidem solertissima totius fabulæ indagatione; hic vero, acutissima et elegantissima ironia. Quos vide interpr. in editione anglica.

783. *Illa ut.* Lib. antiq. *ut illa.* — *Ut soles.* His verbis benevolentiam captat: pro solita tua solertia et humanitate. — *Illa,* Phanium.

784. *Id quod est f.* Abeat scilicet ab Antiphone viro, nuptum Phormioni. — *Faciam,* ut placetur.

785. *Adjuves.* Var. *adjuvas, adjuva.* — *Dudum re.* Lib. Bemb. *re dud.* — *Par. nunc,* etc. Ordina, *nunc p. ac dudum.*—*Par. ac.* Est, æque atque, itidem ut. — *Opera,* consilio, verbis. — *Ac dudum re.* Pecunia mutua. Supra enim, vs. 680, dixerat Chremes: « Inde sumam: uxori, tibi opus esse dixero. » *Don.*

786. *Factum volo.* Non est quod Gallus aliquis credat. Idem enim est latine, atque id quod alibi dixit Terentius: *non muto factum;* aliter diceres: « id me fecisse gaudeo. » *Fab.* — *Minus queo,* supp. vel tibi, vel amicis aliis opitulari.

787. *Bene parta.* Bonis artibus acquisita.

788. *Tutatur,* servat, administrat; sc. maritus.

789. *Bina.* Al. *Binan'.* — *Statim,* perpetuo, æqualiter, quasi uno statu, ait Don. et habet primam longam: quando autem significat aliud, primam brevem habet. — We. explic. Ita singulis annis, ut nunquam minus. — *Cap.* sc. pater meus. — *Vir viro q. præst.* Quam sunt viri aliis alii præstantiores. Eunuch. v. 232;

N. Ac rebus vilioribus multo, tamen talenta bina. De. Hui!
N. Quid hæc videntur? De. Scilicet. N. Virum me natam vellem!
Ego ostenderem... De. Certo scio. N. Quo pacto. De. Parce, sodes,
Ut possis cum illa; ne te adolescens mulier defatiget.
N. Faciam, ut jubes: sed meum virum abs te exire video. Ch. Ehem, Demipho,
Jam illi datum est argentum? De. Curavi illico. Ch. Nollem datum.
Hei! video uxorem: pæne plus quam sat erat. De. Cur nolles, Chreme?

«Homo homini quid præstat! stulto intelligens Quid interest?» Sensus: Quod pater industria et diligentia auxit, id maritus vel negligentia, vel luxu perdidit.

790. *Multo.* Vocem hanc ejicit Bentl. — *Ac rebus vil. multo.* Ac etiam tunc temporis, quum res viliores erant, quam nunc sunt.

791. *Natam.* Sic lib. ant. In Bent. codd. *natum.* — *Quid h. vid.* Quid censes? — *Scilicet.* Sane miror et credo. Obscure et negligenter annuentis, ut qui Nausistratæ sermone non delectaretur. *Casaub.*

792. *Ego ost.* etc. Adde quod sequitur; et junge sic: Ostenderem quo pacto res familiaris probe administranda sit. —*Certo scio.* Id est, minime dubito, et hoc placide interponit, ut Nausistrata sermonem (quæ jam vocem altius tollere, et iram suscitare incipiebat, *Ego ostenderem... Quo pacto*, inquiens,) interciperet, ac sisteret. Quo etiam spectant et sequentia, *Parce, sodes*, etc. id est, parce tibi, ut par esse possis illi juniori, si forte opus, etc. *Casaubon.*—*Parce*, pluribus abstine.

793. *Def.* Var. *defetiget, adfatiget, adfetiget.* — *Ut poss. cum illa.* Putat Perletus *possis* absolute dici. At West. supp. contendere verbis. — *Cum illa.* Phanio, quam nominare reformidat. Explic. Par. «si forte sua voluntate nolit abire.» — *Ne te ad. m. def.* Quippe quæ *adolescens*, eoque valentior, facile eam superabit loquendo.

794. *Ehem.* C. G. m. *hem.* Hic Bip. edd. novam incipiunt scenam.

795. *Illi*, Phormioni. —*Argentum*, quod convenerat inter patres, sup. vs. 713, 721. — *Curavi*, supp. numerandum. Quod videlicet transactum fingitur post scenam.—*Illico*, confestim. — *Noll. dat.* Cf. sup. vs. 791. Bene *nollem datum* dicit, postquam a nutrice repertam sibi natam cognovit.

796. *Video.* Perlet. *videro*, errore typogr. — *Pæne pl. quam sat erat.* Subaud. dixi. Argentum innuit commemoratum, cujus intempestiva esset mentio præsente uxore. — *Cur nolles*, supp. datum argentum.

CH. Jam recte. DE. Quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?
CH. Transegi. DE. Quid ait tandem? CH. Abduci non potest. DE. Quî non potest?
CH. Quia uterque utrique est cordi. DE. Quid istuc nostra? CH. Magni: præter hæc,
Cognatam comperi esse nobis. DE. Quid! deliras? CH. Sic erit.
Non temere dico: redi mecum in memoriam. DE. Satin' sanus es?
N. Au! obsecro, cave ne in cognatam pecces. DE. Non est. CH. Ne nega.
Patris nomen aliud dictum est: hoc tu errasti. DE. Non norat patrem?
CH. Norat. DE. Cur aliud dixit? CH. Nunquamne hodie concedes mihi,
Neque intelliges? DE. Si tu nil narras. CH. Pergis? N. Miror, quid hoc siet.

797. *Jam recte*, supp. factum. Id quasi retractans dicit: bene habet, gaudeo datum. — *Ecquid*, etc. An dixisti Phanio, quæ causa sit cur eam ejiciamus? — *Hanc*, nempe filiam amici nostri, i. e. tuam. Usus est pronomine, tum in re nota, ut sæpe, tum ad dissimulandum. *Bæcl.*

798. *Quî non pot.* Al. leg. *quid? non potest?* — *Transegi*, feci quod optabas. — *Abduci*, ab Antiphone.

799. *Uter utrique*. Antipho et Phanium.—*Quid ist. n.* Supp. refert.

800. *Cognatam comp.* A Sophrona scilicet. Supra vs. 754. — *Sic erit.* Hoc verum esse reperietur.

801. *Redi mecum in mem.* Vult enim meminisse fratrem, quid narraverit ei de altera uxore Lemnia, atque inde nata filia. Demipho autem et tardus et importunus est. *West.—Satin' sanus es?* Nequaquam credere potest Demipho illam, de qua cum Phormione tam acriter contenderit, et quam ipse voluerit prohibere domo, sibi esse cognatam. Inde obstupet hac re audita.

802. *Cave.* Lib. antiq. *vide.* — *Pecces*, ea sc. domo ejecta. — *Non est*, supp. cognata.

803. *Aliud*, quam revera est. — *Hoc*, ob eam causam. — *Non norat patr.* Nonne sciebat quis pater esset.

804. *Cur al. dixit?* Supp. nomen. — *Concedes*, consenties.

805. *Pergis.* Lib. Vict. *perdis.* — *Intel.* Rem ipsam mente capies. — *Si tu nil narr.* Quasi diceret: « Non equidem intelligam, si nihil quidquam mihi dicas. » — *Pergis*, supp. adhuc mihi adversari. — *Miror.* Nescio. Loquitur secum.

DE. Equidem hercle nescio. CH. Vin' scire? at ita me servet Jupiter,
Ut propior illi, quam ego sum ac tu, homo nemo 'st.
DE. Dî vostram fidem!
Eamus ad ipsam : una omnes nos aut scire aut nescire hoc volo. CH. Ah!
DE. Quid est? CH. Itan' parvam mihi fidem esse apud te?
DE. Vin' me credere?
Vin' satis quæsitum mî istuc esse? age, fiat : quid? illa filia
Amici nostri quid futurum 'st? CH. Recte. DE. Hanc igitur mittimus?
CH. Quidni? DE. Illa maneat? CH. Sic. DE. Ire igitur tibi licet, Nausistrata.

806. *Nescio*, non intelligo, quæ mihi significas. Loquitur ad Chremem.

807. *Homo nemo*. Abest *homo* a lib. Bemb. — *Propior*. Sub. genere et consanguinitate.

808. *Scire aut nesc.* Dubitationem demum amovere. — CH. *Ah!* Indignabundus inclamat; ac nutu capitis, ob Nausistratam timens, loquitur, quod tardior frater non intelligit.

809. *Parvam*. Al. *parum*. — *Me cred.* C. G. m. *me hoc cred.* — *Itan' parv.* etc. Itane parum mihi confidis?

810. *Vin' sat. quæs.* etc. Hoc est, visne, me ultra nihil quærere? — *Fiat*, sc. ut vis. — *Illa fil.* supp. *de* ante hæc.

811. *Amici nostri*. Hoc est, tua. Convenerat Chremes cum fratre Demiphone, ut filiam suam Phanium clam daret uxorem Antiphoni, idque ut ne sciret Nausistrata, fingebant illam esse amici cujusdam filiam. *Juv.*—*Recte*. Recte admones; aut tale quiddam. Nihil significat hoc adverbium, sed adhibebatur, quum aut negare honeste, aut nihil volebant respondere. *Juv.* — *Hanc*. Scilicet amici nostri filiam, quam collocare Antiphoni destinatum erat. — *Mittimus*. Sic sup. 674 : « si illam dant, hanc ut mittam. »

812. *Illa*. Phanium, quæ abduci non potest. — *Maneat*, in matrimonio Antiphonis. Qua re ita inter senes constituta, nihil opus erat Nausistratam, ut a Demiphone rogata erat, ire ad Phanium, eique persuadere, ut sua voluntate ex matrimonio Antiphonis ad Phormionem se transferri pateretur. Dimittitur ergo : « Ire igitur tibi licet, Nausistrata.» Domum scilicet redire tibi fas est. Neque enim nunc tua opera amplius opus est, postquam placet Phanium manere in matrimonio Antiphonis. Potest tamen illud : « hanc igitur mittimus, » etiam aliter accipi : hanc, Nausistratam, igitur domum dimittamus, ne pergat ire, quo cœpit, ad Phanium. *Bœcl.*

N. Sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut cœperas,
Manere hanc: nam perliberalis visa 'st, quum vidi, mihi.
De. Quid istuc negotî 'st? Ch. Jamne operuit ostium? De. Jam. Ch. O Jupiter!
Dî nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. De. Hem!
Quo pacto id potuit? Ch. Non satis tutus est ad narrandum locus.
De. At tu intro abi. Ch. Heus, ne filii quidem nostri hoc resciscant volo.

SCENA QUARTA.

ANTIPHO.

Lætus sum, ut meæ res sese habent, fratri obtigisse, quod volt.

813. *In omnes.* Ad omnium utilitatem commodius arbitror, hanc, Phanium, manere in domo nostra cum Antiphone, quam ejici, ut cœperas velle, ac dari Phormioni.

814. *Perliberalis.* Perlet. *liberalis*, tacite. — *Perliberalis.* Cf. sup. 168. Post hæc abit Nausistrata.

815. *Quid ist. n. est?* Postquam abiit Nausistrata, Demipho fratri propius accedit, ut ab eo audiat an verum sit, quod is Phanium sibi ex Lemnia uxore natam esse annuisset. — *Operuit.* Occlusit, et sub. Nausistrata uxor. Meticulosus Chremes est, ne uxor, paulum aperta janua, auscultet.—De. *Jam.* Scil. operuit ostium. — *O Jupiter!* Hæc uxore jam remota clarius exclamat Chremes.

817. *Ad narr. locus.* C. G. m. *ad narr. hic locus.* — *Quo pact. id pot.* supp. *fieri.* — *Ad narr.* illa scilicet quæ ex Sophrona de Phanio audiverit, ejusque matre mortua.

818. *Intr. ab.* Al. *ab. intr.*—*Intro.* Intelliguntur ædes Demiphonis.

Sc. IV. Antipho adolescens ignorans quod comperta sit uxor sua, secum loquitur, laudans fortunas Phædriæ. *Eugr.*

819. *Ut meæ res.* Lib. ant. *ut ut m. r.* — *Habent.* Ed. an. 1469, *habeant.* — *Ut meæ res sese hab.* Explicat Bent. pro malo rerum mearum statu; in quantum res meæ me lætari patiuntur. — *Fratri.* Intelligit Phædriam patruelem. Sic Suet. Cæs. 29: «C. Marcello, qui fratri patrueli successerat.»

Quam scitum 'st ejusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, quum res adversæ sient, paulo mederi possis.
Hic simul argentum reperit, cura sese expedivit.
Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro sim.
Neque me domum nunc reciperem, ni mî esset spes ostenta
Hujusce habendæ. Sed ubinam Getam invenire possum?
Ut rogem, quod tempus conveniundi patris me capere jubeat.

SCENA QUINTA.

PHORMIO. ANTIPHO.

PHO. Argentum accepi, tradidi lenoni; abduxi mulierem;
Curavi, propria ea Phædria ut potiretur: nam emissa 'st manu.

820. *Ejus m. par.* Ms. Pal. quint. *hujusm. parere.* — *Quam scit. est.* Quantæ prudentiæ et felicitatis. — *Cupiditates*, hoc est, meretricii amoris.

821. *Quas.* Ms. Pal. quint. *quibus.* — *Possis.* Perl. *posses*; tacite. — *Quas med. possis.* Quæ remedium accipiunt. — *Paulo*, facile. — *Quum res adv. sient.* Quum aliquid intervenit, quod voluptatibus adversetur.

822. *Reperit.* Ms. quidam apud West. *ut reperit.* — *Hic*, Phædria. — *Simul*, pro *simul ac.*

823. *Evol.* C. G. m. *exsolvere.* — *Ex his.* Ms. Lindenbrog. *istis.* — *Turbis*, anxietatibus animi.

824. *Hoc*, meum cum Phanio matrimonium. — *In probro sim*, apud patrem.

825. *Ostenta.* Var. *ostensa*, *ostentata.* — *Me d. rec.* Cf. vs. 605. — *Ni mí esset spes ost.* Hanc *spem* ostenderat Geta, supr. act. IV, sc. IV, vs. 693, sq. si quidem Phormio, vel maxima accepta pecunia, non erat ducturus Phanium, quanquam promiserat senibus.

826. *Habendæ.* Bent. *habendi.* — *Possum.* Al. *possim.*

827. *Jubeat.* In mult. antiq. Bent. monente, *suadeat.* — *Quod tempus*, adde, *commodum.*

Sc. v. Hæc scena jactationem Phormionis continet, quod consiliis suis quæ voluerit cuncta compleverit. *Eugr.*

828. *Arg. accepi*, a Demiphone. — *Tr. lenoni*, pro redimenda puella.

829. *Propr. ea.* Sic libb. Bent. in ant. *ea propria.* — *Potir.* Lib. Bemb. *poteretur.* — *Propria*, ut stabili uxore et perpetua. Virg. Æn. II, 778: "Connubio jungam stabili, pro-

Nunc una mihi res etiam restat, quæ est conficiunda, otium
Ab senibus ad potandum ut habeam : nam aliquot hos sumam dies.
A. Sed Phormio 'st : quid ais ? Pho. Quid? A. Quidnam nunc facturu 'st Phædria?
Quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere?
Pho. Vicissim partes tuas acturu 'st. A. Quas? Pho. Ut fugitet patrem.
Te suas rogavit rursum ut ageres, causam ut pro se diceres.
Nam potaturus est apud me : ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, quam dudum dixit Geta;
Ne, quum hic non videant, me conficere credant argentum suum.

priamque dicabo. » — *Emissa 'st m.* Proprie de servis et ancillis libertate donatis, atque e potestate heri dimissis. Donaverat enim Phormio libertate puellam; quod licebat emptori.

830. *Mihi r. et.* Lib. ant. *res mihi etiam.* — *Conficiunda.* Perficienda.

831. *Sumam*, ad hilaritatem scilicet, et pocula.

832. *Facturu 'st.* Vulgo, *facturus*, omisso *est*. Par. ed. *factur's;* improbante Perleto.

833. *Absumere.* Alii, *sumere.* — *Sat. amoris abs.* Amori suo satisfacere. Intelligit Perlet. « cavere ne satietate amoris corripiatur, tota possessione amica accepta. » Scil. *satietatem* accipit pro *fastidium*, ex Eunuch. vs. 403. Vol. I, p. 184.

834. *Ut fugitet.* Ien. cod. *vi fugit et.* — *Vicissim.* Secundum illud, vs. 267 : « tradunt operas mutuas. » — *Ut fugitet.* Eugr. notat. « Quemadmodum tu propter facinus ductæ uxoris patrem fugisti, ita quoque ille propter meretricem adfuturus est. »

835. *Suas.* Lib. ant. *suam*, scil. partem. Sed Faerno placuit *suas*, supp. partes, quod item Nobis.

836. *Sunium.* Fuit Sunium, in extremo Atticæ promontorio, oppidum et æde Minervæ magnifica et servorum mercatu celebratum.

837. *Quam dudum dixit.* De qua jam pridem locutus est. Cf. vs. 664.

838. *Me.* Quam ante *me* præponimus virgulam, alii postponunt. — *Hic*, Athenis. — *Conficere arg.* Quid proprie sit *conficere argentum*, vide vers. 38. Hic plane contraria notione, pro *dilapidare*, ut mox; et fortasse ex ambiguitate captatus jocus. *Casaub.* — *Arg. suum*, quod datum fuerat Phormioni, pro Phanio ducenda uxore. Cf. sup. 795;

Sed ostium concrepuit abs te. A. Vide, quis egrediatur. PHO. Geta 'st.

SCENA SEXTA.

GETA. ANTIPHO. PHORMIO.

G. O fortuna! o fors fortuna! quantis commoditatibus,
Quam subito, hero meo Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem!
A. Quidnam hic sibi volt? G. Nosque, amicos ejus, exonerastis metu!
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio;
Atque hominem propero invenire, ut hæc, quæ contigerint, sciat.
A. Num tu intelligis, quid hic narret? PHO. Num tu? A. Nil. PHO. Tantumdem ego.
G. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. A. Heus, Geta! G. Hem tibi!

et quod ipse fatetur se accepisse, sup. 828.

839. *Quis egred.* Bent. *qui egr.* ex auctorit. Faer. — *Abs te.* Abs tua domo: tuæ domus ostium.

Sc. VI. Hæc scena totum solvit errorem, quod puella est cognita, et quod conceditur Antiphoni. Nam Geta servus narrationem supponit, qua docet, quemadmodum cognitio sit effecta. *Eugr.*

840. *O fors fortuna!* Fortuna est incertus rei exitus: *fors fortuna* est *bona fortuna.*

841. *Onerastis*, cumulastis.

842. *Nosque.* Ms. We. *nos quoque.* — *Quidn. h. sibi v.* Hæc ad Phorm. loquitur Antipho, non audiente Geta. — *Nosque*, etc. Per particulam *que* continuatio indicatur Getæ sermonis. — *Exonerastis*, antithesis elegans.

843. *Humerum.* Al. *umerum*, litt. *h* præcisa. — *Mihi cesso*, me ipsum moror.—*Humerum hunc*, sc. meum. —*Pallio.* Servi palliati vulgo prodibant foras.

844. *Hominem.* Antiphonem.

845. *Num tu.* Al. *Non tu.* — *Intellig.* etc. Perl. *intelligis? Q. h. narrat.*

846. *Sunt*, scil. Antipho et Phædria. — *Hem tibi.* Eadem vox repeti debuit. Gall. *hé! Géta!* G. *Hé! toi-méme.* Faber.

Num mirum aut novum est revocari, cursum quum institueris? A. Geta.
G. Pergit hercle: nunquam tu odio tuo me vinces. A. Non manes?
G. Vapula. A. Id quidem tibi jam fiet, nisi resistis, verbero.
G. Familiariorem oportet esse hunc: minitatur malum.
Sed isne est, quem quæro, an non? ipsu 'st. PHO. Congredere actutum. A. Quid est?
G. O omnium, quantum est, qui vivant, hominum homo ornatissime!
Nam sine controversia ab Dîs solus diligere, Antipho.
A. Ita velim; sed, quî istuc credam ita esse, mihi dici velim.
G. Satin' est, si te delibutum gaudio reddo? A. Enicas.

847. *Institueris.* We. p. var. *institeris.* — *Num mirum.* etc. Negat sic interrogando.—*Novum*, inusitatum.

848. *Pergit.* Al. leg. *Pergin.* Post *hercle*, Bip. revocat ex libb. quibusdam: *Curialis vernula est, qui me vocat.* Nos vero omittimus, editionum et Mss. fere omnium consensu (necessario quidem, quum de sententia tota agatur) obfirmati. — *Tu odio.* Un. Bent. cod. *hodie.* —*Pergit hercle.* Sub. me revocare. Alii hæc tribuunt Phormioni; et ideo intelligunt: pergit abire. — *Odio tuo*, odiosa tua importunitate.

849. *Vapula.* Sic L. Bembin. et Vatic. At We. ex Leidens. *vapulabis.* — *Vapula.* Festus notat, *vapula*, tum dici solitum, quum vellet quis minitantibus significare, se eos negligere et non curare. — *Resistis*, sistis gradum. — *Verbero*, flagrio. Substantivum est, ut jam vidimus.

850. *Minitat. mal.* Vulg. præmitt. *qui minit. m.* Quod vero pronomen nec Bent. libb. agnoscunt. — *Familiariorem esse.* Omnino e meis conservis esse. Geta enim opinatur se ab alio quodam suæ conditionis, non a domino, vocari.

851. PH. *Congredere act.* Bent. continuat verba hæc Getæ, deleto nomine Phormionis. Non placet. — *Congredere actutum.* Accede huc. Loquitur ad Getam.

852. *Vivant.* L. Bemb. *vivunt.* — *Hominum homo.* Al. *homo hominum.* — *Ornatissime.* Al. *honoratissime.* — *Quantum est*, quam multi sunt, quotquot sunt. — *Ornatissime.* Dicuntur ornatissimi, qui maxime hujusmodi rebus instructi sunt, quæ gloriam et magnam laudem existimationis pariunt. H. l. servus beatissimum prædicat ac felicissimum herum, matrimonio concesso. *Perl.*

853. *Diligere*, pro *diligeris.*

854. *Quî.* Cur. Ordo est: «Sed velim dici mihi quî (cur) credam (credere debeam) esse ita.

855. *Satin' est.* Sufficietne tibi?— *Delibutum.* Perfusum; figurative dicitur. — *Enicas.* Occidis me ista mora. Alii, *enecas.*

PHO. Quin tu hinc pollicitationes aufer, et quod fers, cedo.
G. Oh!
Tu quoque aderas, Phormio? PHO. Aderam; sed tu cessas?
G. Accipe, hem!
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.
A. Quamobrem? G. Omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me adcurrit Mida,
Pone apprehendit pallio, resupinat; respicio, rogo,
Quamobrem retineat me: ait, esse vetitum intro ad heram accedere.
« Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumque nunc esse intus cum illis. » Hoc ubi ego audivi, ad fores

856. *Hinc aufer.* H. e. omitte. — *Pollicitationes*, quas scil. Antiphoni velut beatissimo hominum fecerat. — *Quod fers*, quod habes dicendum novi. — *Cedo*, dic. — GET. *Oh!* Sic Geta occupatus a Phormione, quem non viderat.

857. *Aderas.* L. antiq. *hic aderas.* Non hab. Bemb. — *Sed tu cessas?* Al. *sed cessas?* omisso *tu.* — *Tu cessas*, supp. dicere id quod affers boni. — *Hem!* Simul tussit.

858. *Ut*, ubi, postquam. — *Modo argentum.* Huic narrationi initium est, unde oportuit, sumptum. Et totum hoc transactum fingitur post scenam. Nam de argento illo dato vel accepto nihil commemoratum est, nisi quod sup. vs. 794, Demipho dedisse, et, 828, Phormio accepisse testatur. Sed recte dicit, *dedimus*, *sumus profecti*, non, dedi, sum profectus; quia una fuit dominus. — *Tibi.* Loquitur hic ad Phormionem; dum in vs. sequenti, spectat oratio ad Antiphonem.

859. *Herus*, Demipho.

860. *Proloqui.* Causam primum dicere.

861. *Gynæceum.* Secretum conclave, quo non dabatur viris ingressus. Cf. Nepot. præfat. — *Puer Mida*, servulus, nomine Mida.

862. *Apprehendit.* C. G. m. *me apprehendit.* — *Resupinat*, retro trahit.

863. *Ad heram.* We. p. var. *ad eadem.* Quod depravatum forsitan est ex *aderam*; quomodo exhib. Mss. — *Heram*, sc. Phanium.

864. *Senis*, Demiphonis.

865. *Intus.* C. G. m. *intro.* — *Hoc.* C. G. m. *hæc.* — *Eumque nunc esse.* Oblique loquentem nunc inducit, qui directa oratione, vs. præcedenti, utebatur. — *Cum illis*, Sophrona et Phanio.

Suspenso gradu placide ire perrexi; accessi, adstiti,
Animam compressi, aurem admovi: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans. A. Eu, Geta. G. Hic pulcherrimum
Facinus audivi: itaque pæne hercle exclamavi gaudio.
A. Quod? G. Quodnam arbitrare? A. Nescio. G. Atqui mirificissimum:
Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuæ. A. Hem,
Quid ais? G. Cum ejus consuevit olim matre in Lemno clanculum.
Pho. Somnium! utin' hæc ignoraret suum patrem? G. Aliquid credito,
Phormio, esse causæ; sed me censen' potuisse omnia
Intelligere extra ostium, intus quæ inter sese ipsi egerint?
A. Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam. G. Immo etiam dabo,

866. *Suspenso gradu.* Hoc modo graditur felis, apud Phædr. II, IV, 18. *Perl.* — *Placide*, leniter.

867. *Animam compressi.* Spiritum continui, quo melius audirem. — *Ita*, quum sic me composuissem.

868. *Eu.* L. antiq. *Euge.* — *Hoc modo.* Eodem sensu, quo *ita*, in vs. præcedenti.—*Eu.* Vox blandientis.

869. *Fac.* Vocem hanc in utramque partem, etiam Cicero, usurpat.

870. A. *Quod.* G. *Quodnam*, etc. In ed. 1469 West. testatur esse; A. *Quid?* G. *Quidnam*, etc. In C. G. m. prænotatum est, Phormio, ante *quid?* sed rectius vulgo Antiphonis nomen præfigitur; quippe qui Getæ proxime interroganti confestim respondet, *nescio.*—*Quodnam arbitrare?* Sc. facinus esse. — *Mirificissimum.* Vox a servo ficta verniliter.

871. *Inventus*, cognitus. — A. *Hem.* Cum magna admiratione.

872. *Consuevit.* Habuit consuetudinem veneream.

873. *Utin' hæc.* Duo Bent. codd. *ut hæc.* — *Somnium!* Hoc somnii figmentum est. — *Utin' hæc.* Fierine potest, ut hæc, etc.

874. *Esse causæ*, nempe, cur patrem ignoraret suum.

875. *Intelligere*, percipere. — *Extra ostium*, supp. dum starem.

876. *Inaudivi.* Sic Donat. In lib. antiq. *audivi.* Verba *atque... fab.* Be. ex Bod. Acad. Antiphoni tribuenda esse censet.—*Illam inaudivi fabulam.* Audivi qui ita fabularentur, sive narrarent. Potuit scilicet Antipho illud audire e Sophrona, nutrice Phanii, quam edocuerat Chremes, sup. vs. 764. Sed vetulæ narratio-

Quo magis credas : patruus interea inde huc egreditur foras;
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo;
Ait uterque tibi potestatem ejus habendæ se dare.
Denique ego sum missus, te ut requirerem atque adducerem. A. Hem! 880
Quin ergo rape me : quid cessas? G. Fecero. A. O mi Phormio,
Vale. PHO. Vale, Antipho : bene, ita me Dî ament! factum gaudeo.

SCENA SEPTIMA.

PHORMIO.

Tantam fortunam de improviso esse his datam!
Summa eludendi occasio 'st mî nunc senes,

nem acceperat, quasi fabulam. — *Dabo*, dicam, narrabo.

877. *Inde huc*. G. Fabric. tuetur *intus*. Mur. *hic*, pro *huc*. — *Inde*. E gynæceo, in ædibus Demiphonis.

878. *Recipit*. Vividius, pro *recepit*.

879. *Habendæ*. Faern. ed. *exhibendæ* ex codd. Bemb. — *Se dare*. Al. *dari*, omisso *se*.

880. *Sum missus*. Al. *missus sum*. — Tò *hem* plures non exhibent. — *Adducerem*, ad senes ipsos. — *Hem!* Laudantis et exsultantis.

881. *O mi Phormio*. C. G. m. invert. *o Ph. mi*. — *Rape me*. Aufer me tecum. — *Fecero*, pro *faciam*; et intellige, jam te rapio.

882. *Factum gaudeo*. Post *factum*, plurimi distinguunt. Perl. aliter; nam videtur ei *factum gaudeo* speciem formulæ habere. — *Bene factum gaudeo*. Gaudeo rem evenisse feliciter.

Sc. VII. Hanc scenam separatim a cæteris edid. Faern. Bent. Par. ac Schmieder; qui vero incipit a verbis, *bene ita me Dî ament* scenæ prioris. Quod ipsum ex Enn. 615, facile probetur. Verum tamen videmus hanc scenam in C. G. utroque, ut in aliis compluribus priori continuatam. *Perl.* — Hac scena Phormio novum consilium invenit, quo senes eludat, argento non reddito.

883. *His*. C. G. m. *iis*, ut solet. Ibid. Bru. c. ed. hoc uno tantum loco; nisi forte illinc desumptum. — *Tantam fort*. Est non tam gaudium, quam admiratio improvisæ aliorum fortunæ, qua Phormio, ut homo parasitus, afficitur. Igitur non placent, qui hæc verba, *Tant. fortunam*, etc. putant cum *gaudeo* præcedente esse jungenda. *Perlet.* — *His*, Antiphoni et uxori cum patribus.

884. *Eludendi*. Codd. quid. ap.

Et Phædriæ curam adimere argentariam;
Ne cuiquam suorum æqualium supplex siet.
Nam idem hoc argentum, ita ut datum 'st, ingratiis
Ei datum erit: hoc quî cogam, re ipsa repperi.
Nunc gestus mihi voltusque est capiundus novus.
Sed hinc concedam in angiportum hoc proxumum.
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
Quo me adsimularam ire ad mercatum, non eo.

We. *ludendi.* — *Summa*, præclara. — *Occasio.* Ea namque occasio est, ut fingat Phormio velle se eam ducere uxorem, quæ jam a viro avelli non potest; ita ut, quum illi non dederint uxorem, necessario dotem amittant.

885. *Adimere.* Ἀναχόλουθον pro, *adimendi.* — *Curam argentariam*, curam conquirendi argenti. Nota, non solvendam significari pecuniam, quæ jamdudum soluta erat pro Phædria lenoni; sed cf. v. 837, 838, quomodo argentum illud non reddatur senibus deceptis. *Perlet.*

886. *Ne cuiquam suorum*, etc. Non necesse erit illi mutuari ab amicis et æqualibus. Supra, vs. 534, 535.

887. *Ita ut datum 'st.* C. G. m. et Bru. c. e. expl. *mihi.* — *Ingratiis.* Vulg. *ingratis*; et intellige, ab invitis senibus.

888. *Ei datum*, etc. *Ei* recte. Sc. Phædriæ. Al. *his*, perperam. — *Ei datum erit.* Sub. Phædriæ; hoc sensu: «nam hoc argentum, ita ut datum est (quidquid est hoc argenti quo emunxi senes), ingratiis ei datum erit, i. e. id vel invitis his senibus habebit; neque de reddendo cogitare opus habebit.» Est qui ita explicat et distinguit: «Nam idem hoc argentum ita ut datum est ingratiis, His datum erit.» Id est: «Argentum ita ut datum est ingratiis, seu a senibus sine justa causa per fraudem extortum», his datum erit, scil. in usum horum (adolesc.) cedet. Sed hoc durum est; nec latine doctis approbari potest. *Bœcler.* — *Hoc quî cogam.* Quo pacto colligam hoc argentum.

890. *Hinc.* Al. *hic*, invito Terentio. — *Hoc.* Duo Bent. codd. *hunc.* Non inepte. Dicitur enim *angiportum* et *angiportus.* — *Angiportum.* Via angusta est.

891. *Hisce*, senibus nempe Chremeti et Demiphoni. — *Egressi foras*, ex ædibus Demiphonis.

892. *Quo me adsimular.* etc. Vid. supr. 837. — *Non eo*, pro *non ibo.* —Quærit non nemo: quid opus fuit hæc dicere? Responderi debet: omnino opus fuisse. Antea enim, loc. cit. constituerat Phormio, absentiam simulare, obtentu mercatus, tempusque perpotando trahere; nunc oblata nova occasione aliquam ad senes fabricam fingendi, proditurum in publicum se ait, neque itineris prætextu usurum. *Bœcler.*

SCENA OCTAVA.

DEMIPHO. PHORMIO. CHREMES.

De. Dîs magnas merito gratias habeo atque ago,
Quando evenere hæc nobis, frater, prospere.
Quantum potest, nunc conveniendus Phormio est,
Priusquam dilapidet nostras triginta minas,
Ut auferamus. Pho. Demiphonem, si domi est,
Visam, ut, quod... De. At nos ad te ibamus, Phormio.
Pho. De eadem hac fortasse causa? De. Ita hercle. Pho. Credidi.
Quid ad me ibatis? ridiculum! an veremini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus, quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen

Sc. VIII. Hæc scena concertationem habet senum ac Phormionis. Illi enim argentum repetunt; hic pugnat ex pacto, uti aut argentum perdant, aut uxorem dent. *Eugr.*

894. *Quando*, quoniam. — *Evenere*, vel *evenerunt.*

895. *Quantum potest*, quam citissime, quam primum.

896. *Dilapidet.* Cod. Bemb. *dilapidat.*—*Dilapidet*, disperdat. Translatum inde est verbum, quod *lapides* sine cura, temere jacimus, atque ita disperdimus. — *Nostras triginta minas;* quas scilicet ambo senes pro sua quisque parte contulerant. Supr. vs. 678, sq.

898. *Ut, quod...* Nisi interpellasset sermonem Demipho, dicturus erat Phormio: « *ut*, secundum illud, *quod* de uxore ducenda dictum et constitutum inter nos est, eam nunc ducam. » Vel simile quid. *West.* — *At*, occupantis.

899. Hunc versum Bentleius, integrum dat Phormionis personæ. Nos præferimus vulgat. lectionem de dictinctione personarum. — *De ead. hac fort. caus.* Simulat se credere, senes cum ipso acturos, ut mox Phanium abducat. *Bip.* — *Ita hercle.* Demipho ex sua ipsius, non ex Phormionis, sententia consentit. — *Credidi.* Assentientis, sed animo averso.

900. *An veremini.* Lib. antiq. *verebamini*, omisso *an.* Guy. hunc versum ponit inter adulterinos. — *Ridiculum!* Supp. vos venire ad me.

901. *Recepissem*, promisissem. Vulgo dicitur, *ad me*, vel, *in me recipio.* Hoc autem promisisse Phormionem uterque senex per Getam audivere, v. 657, sq. « Nullam mihi malim quam istanc, etc. »

902. *Quanta quanta.* Sic geminamus ex libb. antiquis. Al. exhib. *quanta*, detracto altero; C. G. m. *heus! heus! quantacumque.*—*Quanta quanta.* Pro quantacumque.

Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mî esset fides.
CH. Estne ita, ut dixi, liberalis? DE. Oppido.
PHO. Idque adeo advenio nuntiatum, Demipho,
Paratum me esse : ubi voltis, uxorem date.
Nam omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam, tantopere id vos velle, animadverteram.
DE. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem.
« Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Olim quum honeste potuit, tum non est data.
Nunc viduam extrudi turpe 'st; » ferme eadem omnia,
Quæ tute dudum coram me incusaveras.
PHO. Satis pol superbe illuditis me. DE. Quî? PHO. Rogas?

903. *Curavi unum.* C. G. m. *un. curavi.* — *Adhuc.* Hucusque. — *Ut mî esset fides.* Ut promissam servarem fidem.

904. *Estne ita.* Lib. ant. *Estne ea ita.* Omittimus *ea* ex Fa. Bent. et al. Ab hoc vs. Bip. scenam incipiunt sequentem. — *Estne ita*, etc. Chremes a Phanio egreditur, quo introductus erat, supra, 864. — *Ita ut dixi.* Fingitur dixisse, tum forsitan, quando sup. vs. 817, cum fratre ad narrandum recessit. — *Liberalis.* Hoc *liberalis* varie interpretantur, modo de facie Phanii vel modestia matronali, modo de ingenio ejus, pudore ac vultu modesto honestoque, aut de aliis rebus, quas non æque putent ad servos ancillasve pertinere. *Perlet.* — *Oppido*, supple, *est;* scil. liberalis. Etiam Demipho eam vidit.

905. *Idque adeo adv.* Lib. antiq. *Itaque ad vos venio.* Multi libb. et in his Vict. pro *itaque* hab. *Idque* Bemb. *Idque adeo.* — *Adeo*, itaque.

906. *Uxorem date.* Tradite mihi Phanium ducendam.

907. *Posth. mihi.* Quasi diceret: minori in momento posui. Simulat veterator, se gratum id illis facere, quo satis graventur. — *Par*, conveniens.

908. *Id*, scil. nuptias meas cum Phanio, relicta priore sponsa. Urget autem dolose nuptias, quas sibi non fieri scit.

909. *Hic*, Chremes, frater meus. Hoc dicens, fratrem intuetur.

911. *Olim*, etc. Antequam nuberet Antiphoni, poterat honeste cuilibet alteri dari in uxorem; nunc sine ignominia non potest, jam collocata scilicet Antiphoni, et ab illo ejecta, *vidua.* Juv.

912. *Viduam*, separatam a viro. Certa, quæ extrudebatur, antequam nuberet Phormioni, vidua erat. Sed et senex ficta, nec vera dicit Phormioni. — *Extrudi turpe.* Longe aliter Demipho, supra, vs. 425.

913. *Quæ t. d.* etc. Nova locutio : *coram me incusaveras :* non, *quæ hic incusaveras.* — *Incusav.* hujusmodi sunt inter alia, vs. 413, seq.

914. *Satis.* Al. ex Don. *satin'*, per interrogat. Itid. C. G. m. — *Superbe*, quasi non legibus essetis obnoxii.

Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
Nam quo redibo ore ad eam, quam contempserim?
Ch. Tum autem, Antiphonem video ab sese amittere
Invitum eam, inque. De. Tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rursum jube rescribi, Phormio.
Pho. Quod? næ ego discripsi porro illis, quibus debui.
De. Quid igitur fiet? Pho. Si vis mî uxorem dare,
Quam despondisti, ducam; sin est, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho.
Nam non est æquum, me propter vos decipi,

915. *Ne alt. q. illam.* Fingebat se Phormio desponsam sibi uxorem repudiare, ut Phanium duceret.

916. *Contempserim*, respuerim.

917. *Tum autem*, etc. Dicit hæc tacitus Chremes fratri, ei suggerens quid Phormioni dicat. — *Tum autem*, præterea.

918 sqq. *Inque*, dic, scil. Phormioni. Et est imperativus verbi *inquio*. — *Tum autem video*, etc. Ridiculum est alterum senem submisse verba prædicere, quæ alter clara voce reddat Phormioni.

920. *Ad forum;* ubi scilicet erant tabernæ et mensæ argentariorum.

921. *Rescribi.* Dicuntur *nummos scribere* creditores, quibus moris erat, ut in argentariorum, apud quos pecunias collocarant, tabulis expensum alicui ferrent, et argentario id nomen dictarent. Hor. Sat. II, III, 69: « Scribe decem a Nerio; non est satis: adde Cicutæ Nodosi tabulas centum. » *Rescribere* dicebatur debitor, qui mutuam pecuniam reddebat vel per se, vel per argentarii scripturam, aut qui in codicem suum referebat æs alienum a debitore creditori esse dissolutum. *Rescribi*, ait Don. est reddi, seu per mensæ scripturam dari. Horat. Sat. II, III, 75: « Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli Dictantis, quod tu nunquam *rescribere* possis. » *Rescribere* est mutuum per scripturam mensæ reddere, quum mandato debitoris, qui pecuniam apud mensam deposuerat, mensarius, sive argentarius, ferebat acceptum creditori. Veteres apud mensam, magnam pecuniæ partem deponebant. Quum per argentarium solvebat debitor, dicebatur *ex mensæ scriptura* id fieri. Sin ipse debitor satisfaciebat, dicebatur de domo, vel ex arca numerari. *Edit. Delph.*

922. *Quod? næ ego*, etc. Al. *Quodne ego.—Discripsi.* Ita lib. Bemb. In antiq. *perscripsi.* Codd. Fa. *descr.* — *Discripsi.* Vid. not. vs. præcedentis.

924. *Despondisti.* Recte *despondisse* dicebatur, qui dotem dederat; cf. supra, vs. 722. — *Sin est, ut velis.* Pro simpl. *si velis.*

925. *Man. illam apud te.* Cf. 775 et 814. — *Dos hic man.* Gestu adjuvandum; se enim indigitat, dicendo *hic.*

Quum ego vostri honoris causa repudium alteræ
Remiserim, quæ dotis tantumdem dabat.
De. In malam rem hinc cum istac magnificentia,
Fugitive! etiamnum credis, te ignorarier
Aut tua facta adeo? Ph. Irritor. De. Tune hanc duceres,
Si tibi data esset? Pho. Fac periclum. De. Ut filius
Cum illa habitet apud te, hoc vestrum consilium fuit.
Pho. Quæso, quid narras? De. Quin tu mî argentum cedo.
Pho. Immo vero uxorem tu cedo. De. In jus ambula.
Pho. In jus? enimvero, si porro esse odiosi pergitis....
De. Quid facies? Pho. Egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini;
Etiam dotatis soleo. Ch. Quid id nostra? Pho. Nihil.

927. *Alteræ.* Sic vulgo. In Bemb. Vict. al. *alteri.* — *Vostri h. causa.* In vestram gratiam, ut vobis gratum facerem.

928. *Repud. rem.* Eodem sensu, quo, repudiaverim. — *Dotis tant.* Cf. supra, vs. 656.

929. *In mal.* etc. Bent. *In'* contracte, pro, *Isne.* Magis equidem putarim rectius intelligendum esse *I in.* Lib. ant. *I hinc in m. rem.* Sic it. C. G. m. *Perl.* — *Magn.* Quia dixerat, vs. 927, *vestri honoris causa;* qui magnificus prætextus.

930. *Etiamnum.* Lib. antiq. *etiam nunc.* — *Fugitive.* Homines nequam fugitivi dicebantur, quia sæpe servi fugiebant ex herili domo. — *Etiamnunc*, pro, *adhuc.*

931. *Aut tua facta*, scilic. credis ignorari. — *Irritor*, Ringor indignatione. Hoc verbum nonnulli ab *ira* deducunt, vel ab ἐρεθίζειν, provocare, iram commovere.

932. *Data esset.* Sic codd. Be. L. Bemb. *daretur.* — *Fac per.* Experire. — *Ut fil. c. illa*, etc. Sententia est: hoc solum convenerat inter vos, ut in tuis ædibus filius meus habitaret cum illa, non ut ipsam pro uxore haberes.

934. *Cedo.* C. G. m. *cede*; sicut et in vs. seq. — *Cedo*, da, redde.

935. *In jus ambula.* Ad judicem eamus scilicet. Nam *jus* pro loco est. Cicero (Mur. XII): « Quandoquidem te in jure conspicio. » *Don.*

936. *In jus?* Hoc *in jus* posterius, quod tam convenienter Comico nostro repetitum sit, a Lindenbrogio omittitur. — *Enimvero, si porro*, etc. Comminatio est cum aposiopesi. *West.* — *Porro*, ultra, diutius.

937. *Indotatis*, ut Phanio. Dicit autem quasi de universis. Sed *indotata* Phanium erat, nondum filia Chremetis cognita.

939. *Dotatis*, hoc est, dote auctis ornatisve. Et significat hic Nausistratam, *dotatam* sane, quippe quæ sit uxor Chremetis; et cujus honori se consulere ostendit Phormio. — *Soleo*, supp. patrocinari. Phormio

Hic quamdam noram, cujus vir uxorem... Ch. Hem! De. Quid est?
Pho. Lemni habuit aliam. Ch. Nullus sum. Pho. Ex qua filiam
Suscepit; et eam clam educat. Ch. Sepultus sum.
Pho. Hæc adeo ego illi jam denarrabo. Ch. Obsecro!
Ne facias. Ph. Oh, tune is eras? De. Ut ludos facit!
Ch. Missum te facimus. Pho. Fabulæ! Ch. Quid vis tibi?
Argentum quod habes, condonamus te. Pho. Audio.
Quid vos, malum! ergo me sic ludificamini,
Inepti, vostra puerili sententia?
« Nolo, volo; volo, nolo rursum; cape, cedo. »
Quod dictum, indictum 'st; quod modo erat ratum, irritum 'st.
Ch. Quo pacto, aut unde hæc hic rescivit? De. Nescio;

innuit se claudestinum Chremetis matrimonium renuntiaturum Nausistratæ, quod postea mire facit. *Juv.* — *Quid id nostra?* supp. refert.

940. *Vir.* C. G. m. *viri.* — *Hic quamd. noram*, etc. Κωμικῇ μιμήσει, non sine suavitate et lepore, ad ἀντανακλωγὴν transit. *Bœcler.* — *Hic*, Athenis. — *Quamdam*, innuit Nausistratam *uxorem.* Sermo Phormionis hic interruptus, versu seq. continuatur.—Ch. *Hem!* Ingemiscentis. — *Quid est?* Non quærentis quod scit; sed perturbati de re patefacta.

941. *Nullus sum*, perii. — *Filiam susc.* Cf. infr. vs. 1006.

942. *Educat.* Legitur etiam *educit.* — *Sepultus sum.* Multi, ait ingeniose Casaubonus, conclamatæ spei ad vitam revocati sunt: sed *sepultis* nulla spes reliqua.

943. *Adeo*, profecto. — *Illi*, uxori ejus viri.

944. *Tune is eras?* supp. de quo loquebar, qui aliam uxorem in Lemno habuisti. Sarcastice fingit se nescire, quod dudum ex Geta intellexerat. — *Ut ludos fac.* scilic. nobis. Ut nos ludibrio habet!

945. *Missum te fac.* Quasi dicat: « abi sane; nihil tecum nobis rei esse volumus. »—*Fabulæ!* Vana sunt ista verba quæ jacitis.

946. *Cond. te.* Remittimus tibi. Placatum sibi volunt, modo ut taceat. Notetur insuper, Terentium cum Plauto dicere, *condonare aliquem*, non *alicui*, ut alias solemne. *Perl.* — *Audio.* Intellige: adquiesco vestræ sententiæ.

947. *Malum!* Adverbium est interpositæ indignationis. — *Ludificamini.* Junge cum vers. sq.

948. *Puerili*, levi.

949. *Cedo.* C. G. m. *cede*, *cape.* —*Nolo*, *volo; volo, nolo rurs.* Primo singula separatim: deinde simul utraque pronuntianda sunt. *Don.*

950. *Indictum*, pro, *non dictum.*

951. *Hæc hic.* C. G. m. *hic hæc.*

Nisi me dixisse nemini, id certo scio.
CH. Monstri, ita me Dî ament! simile. PHO. Injeci scrupulum. DE. Hem!
Hiccine ut a nobis tantum hoc argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est.
Animo virili præsentique ut sis, para.
Vides peccatum tuum esse elatum foras;
Neque jam celare id posse te uxorem tuam.
Nunc quod ipsa ex aliis auditura sit, Chreme,
Id nosmet ipsos indicare, placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. PHO. Atat, nisi mihi prospicio, hæreo.
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.
CH. At vereor, ut placari possit. DE. Bono animo es.
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Quum e medio excessit, unde hæc suscepta 'st tibi.

952. *Nemini, id.* C. G. m. ordin. *id nemini*, ut *id* referatur ad *dixisse*, non ad *scio*.

953. *Monstri simil.* Prodigii instar illud evenit. — *Injeci scrupul.* Vide Adelph. vs. 229, et And. vs. 942. Hæc Phormio ad spectatores.

954. *Tantum hoc arg.* Alii omittunt *hoc*. — *Hiccine.* Lib. ant. *Hicine*. — *Hiccine ut a nobis.* Supp. antea, *fietne*.

956. *Para*, accinge te, fac. Adhortatur Chremetem.

957. *Pecc. tuum.* Bent. add. *hoc*. — *Elatum.* L. Bemb. *delatum*. Alii, *latum*. — *Pecc. tuum.* Quod scilicet clam habueris uxorem in Lemno. — *Elatum foras*, cognitum, detectum.

959 sq. *Aud. sit.* Alii *est*, pro *sit*. —*Nunc quod*, etc. Ordo est: « Chreme, placabilius est nosmetipsos indicare nunc id quod ipsa, etc. » — *Plaeab.* ad placandum aptius et efficacius.

960. *Ipsos.* Omittunt Faern. et alii.

961. *Tum*, hoc pacto. — *Hunc imp.* Omni scelere contaminatum. Innuit Phormionem.—*Nostro modo.* Nostro arbitrio, ut nobis lubebit.

962. *Atat, nisi mihi*, etc. Hæc secum Phormio. — *Hærèo*, involvendus scilicet et implicandus.

963. *Glad. animo.* Id est, infesto, pernicioso, sanguinolento : sumpta a gladiatoribus metaphora, quibus aut occidere aut occidi dicta lex est. — *Ad me aff. v.* in me tendunt.

964. *Ut*, pro *ne non* — *Bono*, securo. — *Es*, esto.

965. *Vos*, te et uxorem Nausistratam. — *Red. in grat.* conciliabo. — *Hoc fr. quum*, etc. Huic rei confisus, quod.

966. *E medio*, e vivis. — *Unde*, mulier ex qua. —*Hæc*, Phanium.

PHO. Itane agitis mecum? satis astute adgredimini.
Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho.
Ain' tu? ubi peregre, tibi quod libitum fuit, feceris,
Neque hujus sis veritus feminæ primariæ,
Quin novo modo ei faceres contumeliam;
Venias mihi precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrumis si exstillaveris.
DE. Malum, quod isti Dî Deæque omnes duint!
Tantane adfectum quemquam esse hominem audacia?

967. *Adgredimini.* Alii addunt *me.* Post *sat. astute*, Bentl. mire distinguit, et accipit *adgredimini*, pro imperativo.—*Satis ast. adg.* Εἰρωνεία. Et proprie *adgredi*, accedere ad dimicandum est.

968. *Non h. ex re ist.* etc. Non est utile isti tuo fratri Chremeti, nec commodum, quod me irritaveris.—*Istius.* Hanc vocem enuntians, aspicit Chremetem.

969. *Ain' tu?* Ms. Lindenbr. add. *tandem.* — *Libitum fuit.* L. Bemb. *lib. fuerit.* — *Ain' tu?* Modo ad Chremetem cum invectione conversus est. *Don.* — *Peregre*, peregrinans in Lemno. — *Ubi*, postquam. — *Tibi q. libit.* etc. Libidini tuæ satisfeceris.

970. *Hujus.* Lectionem *hujus* Gu. pro glossa habet. Nec vero inficiandum est τὸ *veritus*, genitivo junctum, maxime novum videri.—*Sis ver.* Verens, reverens fueris.—*Hujus.* Δειατικῶς, ut nobis videtur; et indicat simul aedes Nausistratæ. — Secundum alios, *hujus* est genitivus pretii; quasi quum dicitur, id *hujus* non facio, ostendendo floccum vel titivilitium. — *Primariæ*, honestæ.

971. *Contumeliam.* Lib. ant. *contumelias.* — *Novo*, inaudito.

972. *Venias.* C. G. m. pro var. *veneas;* cum glossa *vendas*, mire. — *Lautum*, ut laves, ut purges.

973. *Hisce*, etc. Palmer. et Par. hoc non pronomen, sed verbi putant esse imperativum ab *hisco*, ut sensus sit, *hisce*, id est, mutire incipe, si quid audes. Ita quoque gallic. interpr. *Lemonnier.* Sed placet pronomen; ut scilicet h. l. pergat, *hisce ego ill. dictis*, etc. Siquidem supra idem dixerat, vs. 943: *hæc adeo ego*, etc.

974. *Restinguas.* C. G. m. *exstinguas.*— *Ut ne*, pro, *ut non.* — *Restinguas*, sc. incensam ira.—*Si*, etiamsi. —*Lacr. exst. Stillare* est guttas emittere ex corpore. *Exstillare*, ipsum corpus guttatim fiuiri. Ergo quasi totum in lacrymas converti, et ex toto stillare corpore. *Don.*

975. *Malum, q. isti*, etc. In magna ira aut indignatione, *malum* usitatissima est interjectio. Hanc igitur vocem (quæ vox alioquin infausta est) quum justa Demiphoni hic expressisset indignatio; omnis diritatem (ita enim illi de talibus verbis judicabant) statim a se depre-

Non hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras! CH. In id redactus sum loci,
Ut, quid agam cum illo, nesciam prorsum. DE. Ego scio.
In jus eamus. PHO. In jus! huc, si quid lubet.
DE. Adsequere ac retine, dum ego huc servos evoco.
CH. Etenim solus nequeo : adcurre huc. PHO. Una injuria 'st
Tecum. CH. Lege agito ergo. PHO. Altera est tecum, Chreme.
DE. Rape hunc. PHO. Itan' agitis? enimvero voce 'st opus.
Nausistrata! exi. CH. Os opprime. DE. Impurum vide,
Quantum valet. PHO. Nausistrata! inquam. CH. Non taces?
PHO. Taceam! DE. Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.

catur, dum addit, *quod isti*, etc. *Mer. Casaub.*

977. *Non hoc.* Lib. antiq. *Nonne hoc.* — *Publicitus.* Publico decreto.

978. *Solas*, desertas.

979. *Cum illo.* Alii, *ex illo.* — *Prorsum.* Alii, *prorsus.* — *Loci*, status. — *Cum illo*, Phormione.

980. *Huc*, *si quid lubet.* Si quid sit contendendum, contendamus huc. Apparet parasitum niti ad domum Chremetis, senes vero ad forum conari eum attrahere.

981. *Huc s. evoc.* Lib. antiq. *hinc s. evoc.* — *Adseq. ac ret.* Phormionem nempe, ad ostium Chremetis ædium recta vadentem.

982. *Etenim.* L. Bemb. *enim.* — *Solus nequeo*, supp. hunc retinere. — *Una injur. est Tecum.* Scilicet cum Demiphone, qui adcurrens ipsum retinebat. — *Injuria*, actio injuriarum.

983. *Lege ag. ergo.* Hæc verba in codd. quibusdam, teste Westerh. Demiphoni tribuuntur ; quippe qui respondeat ad proxime superiora. Satis commode. *Perl.* — *Lege agito.* Si actionem injuriarum habes, agito ex lege, vade in jus, ubi legibus apud judices contendes. — *Altera*, supp. *injuria.* Quam factam contendit parasitus dotatæ uxori.

984. *Rape hunc*, supp. *in jus.* Ut in Hor. Sat. I, IX, vs. 77: « *rapit in jus.* » Hoc facere jubet verisimiliter servum aliquem convocatorum.

985. *Naus. exi.* Hæc cum clamore quam maximo. — *Opprime*, occlude, obrue; ne scil. Nausistratam evocet.

986. *Quantum valet.* Ut robustus est, qui contra duos unus depugnat! Est autem græca locutio, quam sæpius indicavimus, pro, vide quantum impurus valet.

987. *Taceam!* Exclamatio renuentis cum indignatione. — *Nisi seq.* sc. rapientem. — *In ventrem.* Quam putide, ni fallimur, adnotat hic grex commentatorum; « Dicit *in ventrem*, quia parasitus est. » De quibus Terentius rursum diceret : *nodum in scirpo quærunt.*

PHO. Vel oculum exclude : est ubi vos ulciscar locus.

SCENA NONA.

NAUSISTRATA. CHREMES. PHORMIO. DEMIPHO.

N. Quis nominat me? CH. Hem! N. Quid istuc turbæ 'st, obsecro,
Mi vir? PHO. Ehem, quid nunc obstipuisti? N. Qui hic homo 'st!
Non mihi respondes? PHO. Hiccine ut tibi respondeat?
Qui hercle, ubi sit, nescit. CH. Cave isti quidquam creduas.
PHO. Abi, tange; si non totus friget, me eneca.
CH. Nihil est. N. Quid ergo est, quid istic narrat? PHO. Jam scies.
Ausculta. CH. Pergin' credere? N. Quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nihil dixit? PHO. Delirat miser
Timore. N. Non pol temere 'st, quod tu jam times.

988. *Oculum.* C. G. m. *oculos.* — *Exclude.* Lib. ant. et Par. ed. *exculpe.* Lib. antiq. claudunt versum per τὸ *probe*, omisso, *locus.* — *Exclude*, exsculpe. — *Est locus*, est mihi occasio et facultas.

Sc. IX. Hic velut controversia est, in qua reus fit maritus malæ tractationis : et est status qualitatis venialis. *Don.*

989. *Quis.* C. G. m. *Qui.* — *Quis nom. me?* audivit enim se vocatam, 985, 986. — *Hem!* vox mariti pavescentis.

990. *Obstip.* Sic L. Bemb. In al. *obstup.* Par. p. var. *obticuisti.* — *Qui hic h. est.* C. G. m. *quis h. hom. e.* — *Obstipuisti*, stupidus et quasi saxeus effectus es. Hæc Phormio ad Chremetem irridens.

991. *Hiccine.* Vir hic tuus. — *Ut t. resp.* supp. an fieri possit?

992. *Creduas.* In Mss. est *credas.* — *Ubi sit, nesc.* Præ terrore scilicet et consternatione mentis. — *Isti*, Phormioni. — *Creduas.* Vox antiqua, pro *credas.* Alloquitur uxorem suam.

993. *Abi*, accede ad illum. Hæc Phormio ad Nausistratam. — *Friget*, præ pudore ac metu.

994. *Quid ergo est.* L. Bemb. non habet *est;* hab. codd. Bent. et C. G. m. — *Quid istic.* Be. *quod ist.* — *Narrat;* alii, *narret.* — *Istic*, in hoc loco, ubi versamini. — *Narrat*, supp. hic homo.

995. *Pergin' cred.* Jam antea dixerat, v. 992 : «Cave isti quidquam creduas.» Hic iterum alieno loco ingerit; et expostulat cum uxore, quasi jam pronuntiata sententia; quæ tamen nihil adhuc audiverat. *Casaub.*

997. *Jam tim.* C. G. m. *tam t.* — *Timore*, præ metu. — *Temere*, sine causa.

CH. Ego timeo? PHO. Recte sane; quando nil times,
Et hoc nihil est, quod ego dico; tu narra. DE. Scelus!
Tibi narret? PHO. Eho tu, factum 'st abs te sedulo
Pro fratre. N. Mi vir, non mihi dicis? CH. At. N. Quid at?
CH. Non opus est dicto. PHO. Tibi quidem; at scito huic opu 'st.
In Lemno... CH. Hem, quid agis? DE. Non taces? PHO. Clam te. CH. Hei mihi!
PHO. Uxorem duxit. N. Mi homo, Dî melius duint!
PHO. Sic factum 'st. N. Perii misera! PHO. Et inde filiam
Suscepit jam unam, dum tu dormis. CH. Quid agimus?
N. Pro Dî immortales! facinus indignum et malum!
PHO. Hoc actum 'st. N. An quidquam hodie est factum indignius?
Qui mî, ubi ad uxores ventum 'st, tum fiunt senes.

998. *Recte sane*, sub. simulas. Ironia est. — *Quando*, quoniam. Ex concessis hominem confutat et redigit ad absurdum.

999. *Nihil*, nullius momenti. — *Dico*, pro *dicam*. — *Tu narra*. Acuendum est *tu*, pro *tu ipse*. — *Scelus*, sceleste.

1000. *Tibi narret?* Hic tibi dativum commodi; scil. ex tua voluntate.—*Eho tu, factum 'st*, etc. Quasi diceret: desine tu tandem: satis jam fratris causam egisti.

1001. *Dicis*. Alii, *narras*. — *At*. Indignantis, et aliquid jam præparantis ad excusationem.—*Quid at?* Sic solent Terentianæ personæ vocem interdum repetere prioris.

1002. *Tibi quidem*. Dicto non opus est Chremeti, quod non prosit ipsi, sed obsit. — *Huic*. Nausistratæ.—*Scito*, ut sciatur.

1003. *Quid agis?* Lib. ant. *Quid ais*. — *In Lemno*. Incipit reformidatam narrationem. — *Hem*, loquentem vult opprimere. — *Clam te*. Pergit Phormio.

1004. *Mi homo*. Dolentis est et subindignantis. Non autem ironice dictum, ni fallimur, ut vult Perlet. — *Dî mel. duint!* Intellige: « hoc omen avertant Superi. »

1005. *Sic factum est*. Vividius affirmare properat nebulo.

1006. *Dum tu d.* Dum tu secura es, et sola dormis. — *Quid agimus?* Hæc ait conversus ad Demiphonem; et sunt verba metu stupentis, meditantisque de fuga.

1007. *Indignum*. Al. *miserandum*. — *Pro Dî immortales!* etc. Nunc in iram erumpit Nausistrata.

1008. PH. *Hoc actum 'st*. MSS. We. verba hæc Chremeti tribuunt; et immo hanc sententiam, ubi incipit, *An quidquam*, etc. dat id. We. Phormionis personæ, quasi matrona indignam. — *Hoc*, quod narro. — *Hodie*, hoc tempore.

1009. *Qui mî*. Tò *mî* redundat,

Demipho, te appello; nam cum isto distædet loqui.
Hæccine erant itiones crebræ, et mansiones diutinæ
Lemni? hæccine erat ea, quæ nostros fructus minuebat, vilitas?
De. Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritam non nego;
Sed ea quin sit ignoscenda. Pho. Verba fiunt mortuo.
De. Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo.
Vinolentus, fere abhinc annos quindecim, mulierculam
Eam compressit, unde hæc nata 'st; neque post illa unquam attigit.
Ea mortem obiit; e medio abiit, qui fuit in hac re scrupulus.

ut alibi sæpe. — *Qui*, tales, tam infidi mariti : et sensus est: « tales ergo mariti, quando coeunt cum legitimis uxoribus, senilem tantummodo ardorem ad Veneris prælia depromunt. » Non sic quidem plana est oratio; quæ plenior nempe vix deceret matronam honestam.

1010. *Nam*. Lib. ant. *nam me*. — *Cum isto*. Al. *cum hoc*. Al. *cum h. ipso*. — *Te appello*, sc. testem. — *Isto*, tuo fratre. — *Distædet*, nimium tædet.

1011. *Hæccine*. Lib. ant. *Hæcine*. — *Hæc*. etc. Interrogat, ut affirmet : « ex hac causa ergo nascebantur, etc. »

1012. *Minuebat*. Lib. ant. *minuit*. — *Vil*. Alii, *utilitas*; mire, nisi forte ironice. — *Hæc. erat ea... vil*. Cf. supr. vs. 790. Nunc videt Nausistrata, rem suam viliorem olim simulari, propter sumptus alienæ uxoris. *Perlet*. — *Nostros*, hoc est, ex meis prædiis captos.

1013. *Meritam*. Sic lib. antiq. In Bemb. *meritum*. — *Culpam mer*. Meritam ob delictum pœnam.

1014. *Ea*. Sic lib. Bemb. In ant. *eam*. — *Quin*. Lib. antiq. *quæ*. — *Quin s. ignosc*. Quis, qui sit paulo æquior, dubitet. Vel tale quid. Alii edidd. *sed eam, quæ sit ignoscenda*: in eamdem sententiam. — *Verba f. mortuo*. « Oratio hæc fit in gratiam mortui, id est, non proderit illi cujus causa habetur. » Dissentimus autem et a Donato; et item a Bentl. qui *mortuo* (et illud mascul. gener.) vult referri ad Nausistratam. — *Mortuo*. Vid. infra, vs. 1025.

1015. *Negl. tua... odio tuo*. Intellige *tua*, *tuo*, pro *tui*.

1016. *Fere*. Ien. *vero*. — *Vinol. comp*. Hic quoque, ut sæpe fit, in Bacchum stupri culpa confertur.

1017. *Post illa*. Ed. ann. 1469, *post illam*. — *Compress*. Bene dixit, *compressit;* quod interdum est non amoris, sed injuriæ. *Don*. — *Hæc*, Phanium. — *Neq. post illa*, etc. Ita facti pœnituit. Hic locus ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως est, id est, ab eo quod futurum sit : facilius enim ignoscitur non ultra peccaturis.

1018. *Qui fuit*. L. Faern. *qui fit*. —*In h. re*. Al. *in re hac*.—*Ea*. Uxor

Quamobrem te oro, ut alia tua sunt facta, æquo animo et hoc feras.

N. Quid! ego æquo animo! cupio misera in hac re jam defungier.

Sed quî sperem? ætate porro minus peccaturum putem? Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.

An mea forma atque ætas nunc magis expetenda 'st, Demipho?

Quid mî hic adfers, quamobrem exspectem, aut sperem porro non fore?

Pho. Exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, hem! tempus est.

altera Lemnia. — *E medio*, e vivis. — *Scrup.* Quasi diceret: hæc difficultatum et dissidiorum occasio.

1019. *Et hoc.* C. G. m. *hæc.* Al. *hoc;* omisso utrimque *et.*—*Tua sunt facta.* Al. *facta tua sunt.* — *Ut alia t. s. facta.* Ut benigne et humaniter in aliis rebus facere soles.—*Et hoc,* etiam hoc, hoc quoque.

1020. *Quid!* Exclamatio indignatæ uxoris. — *Ego æq. an.* supp. feram hoc! — *Cupio misera*, etc. Guyeto assentimur post *defungier*, subaudienti Chremetem, et intelligimus cum gallico interp. *Lemonnier:* «cupio maritum meum in hac re fecisse finem peccandi.» — Alii explicant quasi Nausistrata defungatur. Denique Dacieria vertit: « je veux rompre avec lui pour toujours. » — *Defungier.* Defungi, desinere.

1021. *Qui.* Sic Mss. Lind. pro *quid*, vulg. — *Ætate.* Alii addunt *hac.* — *Quî*, quam ob causam. — *Sperem*, sc. illum esse defuncturum. — *Porro*, postea.

1022. Effert Bent. hunc versum per interrogationem, præmisso *non*. — *Jam t.* Quum eam primum compressit. Vetuit autem pudicitia mulieris enuntiare. — *Si*, conditionis particula, hoc sensu: si verum est, quod ponatur. *Perl.*

1023. *An mea forma*, etc. Sensus est: Provectiorem me ætate multo magis spernet, qui potuit olim præferre alienam.

1024. *Hic adf.* Vulgo *nunc.* Nos L. Bemb. et Donatum sequimur.— *Quid*, supp. rationis, causæ.

1025. *Chremeti.* Sunt qui legunt *Chremetis;* et ex iis West. — *Exs. Chremeti*, etc. Scilicet exsultans in indignatione mulieris parasitus, ad spectatores convertitur, casum Chremetis funeri comparat, et præconem funeris agit. *Bip.*—*Hem, t. est.* Insultat tamquam jam mortuo, seu de quo plane actum sit. Formulam hanc observa funerum indictivorum; in quibus hæc verba solemnia in usu erant, L. TITIVS VIXIT. L. TITIO. EXSEQVIAS IRE CVI COMMODVM EST. HEM TEMPVS EST. OLLVS ECFERTOR. *Don.*

Sic dabo. Age, age nunc, Phormionem, qui volet lacessito:
Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: jam supplici satis est mihi.
Habet hæc ei quod, dum vivat usque, ad aurem obganniat.
N. At meo merito credo. Quid ego nunc commemorem, Demipho,
Singulatim, qualis ego in hunc fuerim? De. Novi æque omnia
Tecum. N. Meriton' hoc meo videtur factum? De. Minume gentium;
Verum, quando jam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce: orat, confitetur, purgat; quid vis amplius?
Pho. Enim vero priusquam hæc dat veniam, mihi prospiciam et Phædriæ.

1026. *Age, age.* Alii omittunt *age* posterius. — *Sic dabo.* Formula triumphandi, quando res successit ex voto. Bene vertit Dacieria : « ce sont là de mes tours. »

1027. *Eum mact.* Lib. Bemb. *sit mactatus*, absque pronom. *eum.* — *Atq. hic.* Alii, *atq. Chremes.* Glossa videtur. — *Faxo*, faciam, curabo. — *Mactatum*, perditum, obrutum. — *Macto*, verbum est sumptum a sacris. Dictum putant, quasi *magis aucto*, id est, *augeo;* nam priusquam victimam immolarent, thus aut vinum super eam fundebant; unde *mactam* illam dicebant, quasi *magis auctam. Mactare* morte, supplicio, damno, *infortunio*, dicitur per metaphoram. *Ed. Delph.*

1028. *Supplici.* Al. sine syncop. *supplicii.* — *Redeat s. in gr.* Etiam si reconcilietur cum uxore.

1029. *Dum vivat usq.* Distinguunt Bent. West. post *vivat.* — *Hæc*, scil. Nausistrata. — *Obganniat*, occinat et obmurmuret.

1030. *At.* Al. *An.* — *Comm.* Alii, *ea commemor.* — *At meo mer. cr.* Scilicet commisisse hoc maritum. Ironice loquitur. — *Quid*, cur.

1031. *Singulatim.* C. G. m. *sigillatim.* Erasm. ed. *singillatim.* — *Singulatim*, minutatim. — *Æque tecum*, tam plane quam tu ipsa.

1032. *Meriton'.* L. Bemb. *merito.*

1033. *Quando*, quoniam. — *Accusando*, criminationibus et increpationibus. — *Fieri inf. non potest.* supp. « hæc non tuo merito facta, » vs. præced.

1034. *Purgat.* Expostulat, ut suam purgationem accipias.—*Quid vis amplius?* Precator omnia concedit, dummodo venia detur.

1035. *Dat.* C. G. m. *det.* — *Hæc.* Nausistrata. — *Dat ven.* supp. suo marito. — *Mihi pr. et Phæd.* Hæc seorsim dicuntur.

Heus, Nausistrata! priusquam huic respondes temere, audi. N. Quid est?
Pho. Ego minas triginta per fallaciam ab isto abstuli;
E s dedi tuo gnato; is pro sua amica lenoni dedit.
Ch. Hem! quid ais? N. Adeon' hoc indignum tibi videtur, filius,
Homo adolescens, si habet unam amicam, tu uxores duas?
Nil pudere? quo ore illum objurgabis? responde mihi.
De. Faciet ut voles. N. Immo ut meam jam scias sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,
Priusquam gnatum video: ejus judicio permitto omnia.
Quod is jubebit, faciam. Pho. Mulier sapiens es, Nausistrata.

1036. *Respondes.* C. G. m. *respondeas.* — *Huic*, Chremeti. — *Resp. temere*, h. e. nesciens, necdum causa bene cognita.

1037. *Fallaciam.* Unus cod. Bent. *fallacias.* — *Ab isto.* L. antiq. *ab illo.* — *Min. trig. per fall. abstuli.* Conf. sup. vs. 954. — *Per fallac.* Non dubitat impudentissimus Phormio, quæ est Chremetis nunc timiditas, coram ipso suam confiteri fallaciam; non vituperandus, ut bene scit, a Nausistrata. — *Ab isto*, tuo marito.

1038. *Eas dedi tuo gnato.* Cf. vs. 888. — *Pro amica sua.* Cf. sup. 81, 82. — *Lenoni*, sc. Dorioni; de quo supra act. III, sc. II, vs. 485, sqq.

1039 sq. *Adeon' hoc.* C. G. m. omittit *hoc.* — *Adeon' hoc indignum*, etc. Graviter enuntianda sunt verba, *filius*, *homo*, *adolescens*, quibus quasi opponat, *tu*, pater, senex. Nam quod filio condonandum, hoc satis erit dedecori marito. *Perl.*

1040. *Homo.* In C. G. ch. *nam*, pro *homo*, mendose.

1041. *Nil pudere?* Tene pudore nullo affici. Infinitivus modus in usu est indignantis—*Quo ore ill. objurg.* Sententiam hanc tangit Juvenalis, Satir. XIV, 56: « Unde tibi frontem libertatemque parentis, Quum facias pejora senex. »

1042. *Scias.* Al. *sciat.* Male, ait Perletus; nam conversa ad virum mulier loquitur.

1044. *Video.* Lib. Faern. et C. G. m. *videro.* — *Gnatum.* Sup. meum.

1045. *Sapiens es.* Al. omitt. *es.* — *Mulier sapiens es.* In postrema parte parasitus beneficio conclusit. Qua-

N. Satin' tibi est? Ch. Immo vero pulchre discedo et probe,
Et præter spem. N. Tu tibi nomen dic quod est? Pho. Mihin'? Phormio,
Vestræ familiæ hercle amicus, et tuo summus Phædriæ.
N. Phormio, at ego ecastor posthac tibi, quod potero, et quæ voles,
Faciamque et dicam. Pho. Benigne dicis. N. Pol meritum 'st tuum.
Pho. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? N. Cupio. Pho. Me ad cœnam voca.
N. Pol vero voco. De. Eamus intro hinc. Ch. Fiat; sed ubi est Phædria,

propter blanditur Nausistratæ, ut ab ea vocetur ad cœnam. Hoc autem supra volebat dicendo, *mihi prospiciam*. Cf. vs. 1035.

1046. *Satin' tibi est.* Al. *satis id*, omisso *tibi*. Bent. add. *Chreme* post *est*, contra codd. — *Satin' tibi est?* Hæc ad maritum dicit Sostrata, rogatque an rem judicio filii permittendam esse censeat. Chremes igitur gaudio elatus, quum sibi nihil a filio metuendum esset, *pulchre*, inquit, etc. Itaque omnes, more Terentii, qui in culpa aut metu erant, læti hinc abeunt, placata Nausistrata.

1047. *Tu tibi.* Illud *tibi*, quod Bent. e cod. reg. restituit certo probabitur. Apparet enim hoc *tibi* magis respondere τῷ *mihi* quod sequitur, quam τῷ *tuum*, vulg. lect.—*Phormio.* Hoc alii rejiciunt in vs. sequentem. — *Tu tibi nomen dic quod est?* Bene *tu* pronomine utitur; quia non habet nomen. Nam potentiorum blandimenti circa inferiores hoc fuit, ut nomina eorum quærerent; et quum audissent, ipsis nominibus eos compellarent statim. *Donat.*

1048. *Vestræ.* Sic dixit, propter Antiphonis amicitiam.—*Tuo.* Supp. filio.—*Summus*, amicissimus.

1050. *Faciamque et.* C. G. m. *faciam et.* C. G. ch. *faciam atque.* — *Benigne dicis.* Formula gratias agentium. — *Meritum 'st tuum.* Fit illud, te merente.

1051. *Quod ego gaud.* Exple, aliquid propter quod ego gaudeam, et propter quod, etc.

1052. *Tuo viro*, sc. me invitatum et accumbentem non volenti videre. — *Oculi doleant.* Quod fiat illi ἀλγηδὼν ὀφθαλμῶν, ut Græci vulgo. *Casaub.* — *Me ad cœnam voca.* Facete ex persona parasitica beneficii optio facta est, quod promiserat mulier. *Donat.*

1053. *Fiat.* Verbum hoc Chremeti adscribatur. — *Ubi est Phædr. jud.*

Judex noster? PH. Jam hic faxo aderit: vos valete et plaudite. 1054

nost. In jocum convertitur; et senex cura ac miseria liber, non sine facetia ex scena exit.

1054. *Aderit.* Post hanc vocem in quibusd. Mss. adest signum Ω vel ω; quod pars interpretum existimat esse cantoris, in fine actæ fabulæ, *Plaudite* exclamantis alta voce. — *Plaudite.* C. G. m. et al. Mss. sicut editt. vett. add. in marg. «CALLIOPIUS RECENSUI.» Quæ nota ibi etiam est in fine priorum quoque fabularum Terentii, ut indicandum Nos curavimus. Quis vero hic fuerit Calliopius, in eo sunt interpretum sententiæ divisæ. Alii enim æqualem ipsi faciunt Terentio, cui is prologum cujusque fabulæ dicendum demandavit. Alii hoc nomine latere opinantur Alcuinum, Carolo Magno imperatori familiarem. Sunt denique qui illum, criticum nescio quem fuisse sibi persuadent, qui in comœdiis Nostri seu castigandis seu emendandis multum curæ impenderit. *Perl.* — Vid. cæterum Andr. in fin. vol. I, pag. 125. — *Judex noster.* Terribilis scilicet censor paternarum deliciarum. Vides igitur hic omnino sublatam uxoris iracundiam. *Donat.* — *Faxo*, fecero, curavero. — *Vos*, ad spectatores.

SCENA ADDITA*.

ACT. V, SC. X.

PHÆDRIA. PHORMIO.

PHÆ. Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque et videt.
Neque id verum existimo, quod vulgo dicitur:
« Fortuna humana fingit artatque, ut lubet. »
PHO. Ohe, quid istuc est? Socratem non Phædriam
Offendi, ut video. Cesso adire et colloqui?
Heus, Phædria, unde tibi hæc nova sapientia,
Idque in tam magno, quod præ te fers, gaudio?
PHÆ. O salve, amice! o Phormio dulcissime,

* Hanc scenam, quæ in nulla omnino editionum nostrarum citatur, repræsentat et vernaculam traducit in linguam Gallicus interpres *Lemonnier;* causaturque eam adjici plerumque in calce editionum ad usum juventutis accommodatarum; quamquam de ea ne mentionem quidem faciat ipse Juvencius. Utut sit, placuit eam hic referri, quæ scilicet alteram fabulæ ipsius partem satis dilucide expediat, et in qua non adeo inepte auctor imitatus sit veram Terentii manum. Non ita autem insanire libebit in exaggerandis commentariis, ut velimus adulterinum hoc fragmentum, notis illustrari (absit verbo invidia); quæ laus maneat concessa soli Terentio. Cavebimus tantum, ne quid transeat, interpretatione indigens, et necessario explanandum.

1055. *Gerimus*, agimus. Sup. v. 145.

1057. *Fortuna humana fingit*, etc. Claudian. in Rufin. lib. I, initio: «..... causæque viam non sponte sequebar Alterius, vacuo quæ currere semina motu Affirmat, magnumque novas per inane figuras *Fortuna*, non arte regi, etc.»—*Humana*, res humanas.—*Artat*, vel *arctat*, constringit, adjungit. Martial. Ep. lib. II: «Atriaque immodicis artat imaginibus.» Non male legi arbitraremur *aptat.*

1059. *Ut video.* Scilicet ex sententia quam pronuntiavit adeo sapienter.

1061. *Idque.* Et quidem. Similiter Græci, καὶ ταῦτα. Τὴν Ἀθηνᾶν ἐν κεφαλῇ ζωογονῶν ὁ Ζεὺς, καὶ ταῦτα, ἔνοπλον. Luc. Dial. Deor. 8. Jupiter in cerebro vivam nutriens Minervam, *et quidem* armis instructam.

1062. *O salve, amice! o Phormio*

Salve. Nemo est omnium quem ego magis nunc cuperem quam te :

PHO. Narra istuc quæso, quid siet. PHÆ. Immo ego te obsecro hercle, ut audias.

Mea Pamphila civis Attica est, et nobilis,

Et dives. PHO. Quid ais ? Anne, obsecro, somnias ?

PHÆ. Vera hercle narro. PHO. Sed et hoc recte dicitur :

Verum putes haud ægre, quod valde expetas.

PHÆ. Immo audi, quæso, quæ dicam mira omnia,

Idque adeo mecum tacitus cogitans, modo

Erupi in illam quam audisti sententiam :

Nutu Deorum, non cæco casu regi

Et nos et nostra. PHO. Jam dudum animi pendeo.

PHÆ. Phanocratem nosti ? PHO. Tanquam te. PHÆ. Illum divitem ?

PHO. Teneo. PHÆ. Pater est is Pamphilæ. Ne te morer,

Sic se res habuit. Servus huic Calchas erat,

Nequam, scelestus. Is domo aufugere parans,

dulcissime. Est hominis fortunati, in verba blandientia et amica sese effundere. Nempe, ut cecinit nostras *Béranger :*

Le plaisir rend l'ame si bonne.

1063. *Cuperem quam te.* Supp. obviam mihi venire.

1064. *Istuc.* Scil. propter quod tu tantopere gaudes.

1065. *Mea Pamphila*, etc. Hac scena addita, huic providetur, ut ambo juvenes in legitimo acquiescant et honesto matrimonio; quod in ipsa Terentii fabula, ex Antiphonis solius parte, contigerat. Satis ergo concinnum videri poterit illud additamentum. Vid. not. initio scenæ.

1067. *Sed et hoc.* His verbis *sed et* alludit ad prius effatum quod enuntiavit Phædria, vs. 1055; et indicat se item loqui proverbialiter.

1068. *Verum.* Neutrum est adjectivi *verus, a, um.* — *Valde expetas*, pro, valde quis expetat.

1070. *Adeo*, ideo.

1071. *Quam audisti*, sc. vs. 1055.

1072. *Nutu Deorum.* Claudian. loc. supra citato : « tunc omnia rebar Consilio firmata Dei. » — *Non cæco casu.* Idem, ibidem : « ... an nullus inesset Rector, et *incerto* fluerent mortalia *casu*. »

1073. *Et nos et nostra.* Horat. Art. Poet. vs. 63 : « Debemur morti, nos nostraque, etc. » — *Animi pendeo*, exspectans quid sit narraturus.

1074. *Tanquam te.* Formula affirmandi rem hujusmodi, quæ occurrit supra, vs. 65.

1075. *Teneo*, intelligo quem dicis. — *Pamphilæ*, quam scilicet amat perdite Phædria, et quam habet Dorio mancipium.

1077. *Domo aufugere par.* Deli-

Hanc virginem, quam rure educabat pater,
Quinque annos natam rapit, ac secum clanculam
In Eubœam deportat, et vendit Lyco,
Mercatori cuidam. Is longo post tempore
Jam grandiorem Dorioni vendidit.
Et illa claris se quidem parentibus
Norat prognatam, quum se liberaliter
Comitatam ancillis, educatam, recoleret;
Nomen parentum haud norat. PHO. Quî igitur agniti?
PHÆ. Mane, illuc ibam: captus est fugitivus is
Heri, ac Phanocrati redditus: de virgine
Quæ dixi mira narrat; et illam emptam Lyco,
Tum Dorioni. Mittit Phanocrates statim,
Sibique gnatam vindicat; sed venditam
Ubi rescit, ad me adcurrit. PHO. O factum bene!
PHÆ. Quin illam ducam in Phanocrate nulla est mora,
Neque in patre opinor. PHO. Me vide: totum tibi hoc
Factum transactum reddo; nec te supplicem
Patri esse statuit Phormio, sed judicem.

ctum servis usitatum, ut jam vidimus.

1080. *In Eubœam.* Plin. lib. IV, cap. 12: « Insula avulsa Bœotiæ, tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur: a meridie promontoriis duobus, Geresto ad Atticam vergente, ad Hellespontum Caphareo insignis, a septemtrione Ceneo, nusquam latitudinem, ultra XL m. passuum extendit. » De Eubœa vide Solinum, cap. 18. Eubœa hodie *Nigriponti* insula dicitur. *Rob. Steph.*

1082. *Dorioni.* Lenoni, quem vidimus sup. act. III, sc. II, vs. 485, sqq.

1084. *Liberaliter*, ut liberalem et ingenuam decet puellam.

1085. *Comitatam.* Olim fuisse stipatam. Verbum *comitari* nonnunquam passive sumitur. — *Recoleret*, sibi revocaret in memoriam.

1087. *Mane.* Hortantis est ad audiendum. — *Illuc ibam.* Illud jam eram tibi narraturus.

1088. *Heri.* Sic optime incidit in unum idemque tempus felix utriusque juvenis, Antiphonis et Phædriæ, fortuna. Vide vs. 1065.

1090. *Tum*, i. e. *postea.*

1091. *Vindicat*, ex jure postulat, reddendam. — *Venditam.* Scil. cum pecunia qua senes Geta emunxerat, supra 681 sqq. — *Factum bene!* Felicem eventum.

1093. *In Phanocrate nulla est mora.* Minime moram objicit Phanocrates.

1094. *Me vide.* Formula affirmantis.

1095. *Factum transactum reddo.* Quasi diceret, omni difficultate et impedimento expediam.

1096. *Statuit Phormio.* Servili fa-

PHÆ. Garris. PHO. Sic, inquam, est. Tu modo quas Dorio
Triginta minas..... PHÆ. Bene mones, intelligo:
Habeas : nam reddat oportet, quippe lex vetat
Vendi liberam : et hercle gaudeo tempus dari,
Quum et te remunerer, et illum ulciscar probe :
Monstrum hominis, ferro duriorem animum gerit.
PHO. Habeo nunc, Phædria, gratiam; referam in loco,
Si liceat unquam. Grave onus imponis mihi,
Ut tecum officiis certem, quum opibus non queam;
Et amore ac studio solvam quod debeo tibi.
Bene merendo vinci, turpe est forti viro.
PHÆ. Benefacta male collocata, malefacta existimo.
Sed te haud quemquam novi gratum ac memorem magis.
Quid istuc quod de patre narrabas modo?
PHO. Sunt multa, quæ nunc non est dicendi locus.
Eamus intro : nam ad cœnam Nausistrata
Vocavit me; et vereor ne simus in mora.
PHÆ. Fiat, sequere me. Vos valete et plaudite.

cetia utitur, et de se graviter dicit.— *Sed judicem.* Alludit scilicet ad vss. 1044, 1054; ubi vide.

1097. *Tu modo.* Verte *modo tu;* et intellige : « statuam te judicem tuo patri, dummodo. » — *Quas Dorio Triginta minas...* Totum illud supple sic : « dummodo mihi concedas triginta minas quas Dorio a te accepit, pretium puellæ liberandæ ».

1100. *Tempus,* occasionem.

1101. *Probe,* ut decet de lenone impuro.

1103. *Habeo gratiam.* Notatum velis, hunc *habere gratiam,* qui beneficium acceptum debet.

1107. *Turpe est forti viro.* Generosum comice agit parasitus.

1109. *Te gratum magis.* Raro invenitur *magis* cum ablativo, nec nisi in scriptoribus prioris ævi.

1110. *Quod de patre narrabas.* Sc. quomodo statuar patri judex.

1111. *Nunc,* quum cœnæ adsit tempus. Persona parasiti bene servatur.

1112. *Intro,* in ædes parentum tuorum.

1113. *Vocavit me.* Confer supra, vs. 1053.

1114. *Fiat.* Hoc est, intro eamus. — *Vos,* ad spectatores.

EXEMPLA

IMITATIONIS E COMŒDIA,

QUAM V. C. *MOLIÈRE* INSCRIPSIT:

LES FOURBERIES DE SCAPIN.

Etsi multis in locis Gallicus auctor Terentium satis fideliter repræsentet, non tamen eumdem in modum totius latinæ fabulæ summam expressit. Quæ in Terentio tres inter homines, Getam sc. Phædriam, et Phormionem, dispertitur opera deludendorum senum, solus eam suis sustinet humeris heros comœdiæ Gallicæ *Scapin;* et solus invenit fraudem, quæ nuptiis adolescentis prætexatur; solus emungit argento senes; e quibus alterum præterea *ridiculo* illo inclusum sacco plagis operit, et egregie lumbos fuste dolat. Vividior denique magni Molerii actio, et eadem plenior, quæ scilicet aptius* in duas, pro duobus juvenibus, partes scindatur.

ACTE I, SCÈNE II.

OCTAVE.

Tu sais, Scapin, qu'il y a deux mois que le seigneur Géronte et mon père s'embarquèrent ensemble pour un voyage qui regarde certain commerce où leurs intérêts sont mêlés (1).

SCAPIN.

Je sais cela.

* Huic vitio latinæ fabulæ occurrit scena addita, quam adjecimus in finem actus quinti, ubi vide, pag. 348 et seqq.

(1) GET. Evenit, senibus ambobus simul
Iter, illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam. E vs. 65 ad vs. 68.

OCTAVE.

Et que Léandre et moi nous fûmes laissés par nos pères, moi sous la conduite de Silvestre, et Léandre sous ta direction (1).

SCAPIN.

Oui. Je me suis fort bien acquitté de ma charge.

OCTAVE.

Quelque temps après, Léandre fit rencontre d'une jeune Égyptienne dont il devint amoureux (2).

SCAPIN.

Je sais cela encore.

OCTAVE.

Comme nous sommes grands amis, il me fit aussitôt confidence de son amour, et me mena voir cette fille, que je trouvai belle, à la vérité, mais non pas tant qu'il voulait que je la trouvasse. Il ne m'entretenait que d'elle chaque jour, *etc.* (3).

SCAPIN.

Je ne vois pas encore où ceci veut aller.

OCTAVE.

Un jour que je l'accompagnais (4) pour aller chez les gens qui gardent l'objet de ses vœux, nous entendîmes, dans une petite maison d'une rue écartée, quelques plaintes mêlées de beaucoup de sanglots. Nous demandons ce que c'est : une femme nous dit en soupirant que nous pouvions voir là quelque chose de pitoyable en des personnes étrangères, et qu'à moins que d'être insensibles, nous en serions touchés.

SCAPIN.

Où est-ce que cela nous mène ?

OCTAVE.

La curiosité me fit presser Léandre de voir ce que c'était (5). Nous entrons dans une salle, où nous voyons une vieille femme mou-

(1) Abeuntes ambo hinc tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. Vs. 71.

(2) Hic Phædria
Continuo quamdam nactus est puellulam. Vs. 80, sq.

(3) Ille qui illam amabat fidicinam, etc. Vs. 109, sq.

(4) Interea dum sedemus illic, etc. Vs. 90, sqq.

(5) Ibi continuo Antipho:
« Voltisne eamus visere? » Vs. 101, 102.

rante, assistée d'une servante qui faisait des regrets, et d'une jeune fille toute fondante en larmes, la plus belle et la plus touchante qu'on puisse jamais voir (1).

SCAPIN.

Ah! ah!

OCTAVE.

Une autre aurait paru effroyable en l'état où elle était (2); car elle n'avait pour habillement (3) qu'une méchante petite jupe, avec des brassières de nuit qui étaient de simple futaine; et sa coiffure était une cornette jaune, retroussée au haut de sa tête, qui laissait tomber en désordre ses cheveux (4) sur ses épaules : et cependant, faite comme cela, elle brillait de mille attraits, et ce n'était qu'agréments et que charmes que toute sa personne.....

.....

.....

SILVESTRE, *à Scapin.*

Son cœur prend feu dès ce moment (5); il ne saurait plus vivre qu'il n'aille consoler son aimable affligée. Ses fréquentes visites sont rejetées (6) de la servante, devenue la gouvernante par le trépas de la mère. Voilà mon homme au désespoir. Il presse, supplie (7), conjure; point d'affaire. On lui dit que la fille, quoique sans bien et sans appui, est de famille honnête (8), et qu'à moins que de l'épouser on ne peut souffrir ses poursuites. Voilà son amour augmenté par les difficultés. Il consulte dans sa tête, agite, raisonne, balance, prend sa résolution. Le voilà marié avec elle depuis trois jours (9).

(1) Modo quamdam vidi virginem hic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam, etc. Vs. 95, sq.
(2) Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem. Vs. 105.
(3) Vestitus turpis. Vs. 107.
(4) Capillus passus. Vs. 106.
(5) Jam amare cœpit. Vs. 111.
(6) Illa (*anus*) enim se negat. Vs. 113.
(7) Obsecrat, etc. Vs. 112.
(8) Illam civem esse Atticam
Bonam, bonis prognatam. Si uxorem velit, etc. Vs. 114, sqq.
(9) Persuasit homini : factum 'st; ventum 'st; vincimur.
Duxit. Vs. 135, seq.

ACTE I, SCÈNE IV.

OCTAVE, *à Scapin.*

Je t'avoue que l'abord de mon père me fait trembler par avance, et j'ai une timidité naturelle que je ne saurais vaincre (1).

SCAPIN.

Il faut pourtant (2) paraître ferme au premier choc, de peur que sur votre faiblesse il ne prenne le pied de vous mener comme un enfant. Là, tâchez de vous composer par étude. Un peu de hardiesse ; et songez à répondre résolument sur tout ce qu'il pourra vous dire.

OCTAVE.

Je ferai du mieux que je pourrai.

SCAPIN.

Çà, essayons un peu, pour vous accoutumer. Répétons un peu votre rôle, et voyons si vous ferez bien. Allons, la mine résolue, la tête haute, les regards assurés (3).

OCTAVE.

Comme cela (4) ?

SCAPIN.

Encore un peu davantage (5).

OCTAVE.

Ainsi (6) ?

SCAPIN.

Bon (7). Imaginez-vous que je suis votre père qui arrive, et répondez-moi fermement, comme si c'était à lui-même... Comment, pendard, vaurien, infâme, etc. etc. *et quæ sequuntur.*

(1) Non sum apud me. Vs. 204.
(2) Atqui opus est nunc quum maxume, etc. Vs. 204, 205, 206.
(3) Hem, istuc serva ; et verbum verbo, par pari ut respondeas, etc. Vs. 212.
(4) Quid si adsimulo ? satin' est ? Voltum contemplamini, hem ! Satin' est sic ? Vs. 210, 211.
(5) Get. Non. Ibid.
(6) Quid si sic ? Ibid.
(7) Sat est. Ibid.

Et paulo infra :

Voyons un peu tes belles raisons..... Oh ! que diable (1) ! Vous demeurez interdit.

.....

SILVESTRE, *à Octave.*

Voilà votre père qui vient (2).

OCTAVE.

O ciel ! je suis perdu.

SCAPIN.

Hola, Octave. Demeurez, Octave (3). Le voilà enfui ! Quelle pauvre espèce d'homme ! Ne laissons pas d'attendre le vieillard.

ACTE I, SCÈNE VI.

ARGANTE (4), *se croyant seul.*

Je voudrais bien savoir ce qu'ils me pourront dire sur ce beau mariage (5).

SCAPIN, *à part.*

Nous y avons songé (6).

.....

ARGANTE, *se croyant seul.*

Prétendront-ils m'amuser (7) par des contes en l'air ?

SCAPIN, *à part.*

Peut-être (8).

.....

ARGANTE, *se croyant seul.*

Pour le coquin de Silvestre, je le rouerai de coups (9).

(1) GET. Ah ! quid agis ? Vs. 216.
(2) GET. Quis hic est senex ? ANT. Ipsus est. Vs. 215.
(3) Quo abis ? Antipho, mane,
Mane, inquam. Vs. 216, sq.
(4) Quasi si quis diceret Chremetem.
(5) Quid mihi dicent. Vs. 234.
(6) GET. Atqui reperi jam. Vs. 235.
(7) An hoc dicet mihi... ? « Invitus feci, etc. » Vs. 235, sq.
(8) GET. Places. Vs. 236.
(9) DEM. O Geta monitor !

SILVESTRE, *à Scapin.*

J'étais bien étonné, s'il m'oubliait (1).

ARGANTE, *apercevant Silvestre.*

Ah! ah! vous voilà donc, sage gouverneur de famille, beau directeur de jeunes gens (2)... Vous avez suivi mes ordres, vraiment, d'une belle manière! et mon fils s'est comporté fort sagement pendant mon absence!

ACTE I, SCÈNE VII.

SCAPIN, *à Silvestre.*

Va, va, nous nous partagerons les périls en frères (3).

ACTE II, SCÈNE VII.

SCAPIN, *à Octave.*

..... Combien est-ce qu'il vous faut (4)?

OCTAVE.

Deux cents pistoles (5).

.....

SCAPIN.

Je veux tirer cet argent de vos pères..... (6).

Et infra.

Allez-vous-en tous deux (7). (*A Octave.*) Et vous, avertissez votre Silvestre de venir vite jouer son rôle.

ACTE II, SCÈNE VIII.

SCAPIN, *à Argante.*

Monsieur, la vie est mêlée de traverses; il est bon de s'y tenir sans cesse préparé; et j'ai ouï dire, il y a long-temps, une parole d'un ancien, que j'ai toujours retenue.

(1) GET. (*A tergo senis cum Phædria.*) Vix tandem. Vs. 234.
(2) Itid. vs. 233, 234; et infra, vs. 286, seq. « ho! Bone custos, etc. »
(3) Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus. Vs. 555.
(4) Quantum opus est tibi argenti? eloquere. Vs. 556.
(5) Solæ triginta minæ. Vs. id.
(6) Age, age, inventas reddam. Vs. 558.
(7) Aufer te hinc. Sed opus est mi Phormionem, etc. Vs. 558, 559.

ARGANTE.

Quoi ?

SCAPIN.

Que (1), pour peu qu'un père de famille ait été absent de chez lui, il doit promener son esprit sur tous les fâcheux accidents que son retour peut rencontrer; se figurer sa maison brûlée, son argent dérobé, sa femme morte, son fils estropié, sa fille subornée; et ce qu'il trouve qui ne lui est point arrivé, l'imputer à bonne fortune, *etc.*

Ibidem, infra.

SCAPIN, *à Argante.*

J'ai été trouver le frère de cette fille qui a été épousée. Je l'ai mis sur ce mariage (2), lui ai fait voir quelle facilité offrait la raison de la violence pour le faire casser, vos prérogatives (3) du nom de père, *etc.* Enfin, je l'ai tant tourné de tous les côtés, qu'il a prêté l'oreille aux propositions que je lui ai faites, d'ajuster l'affaire pour quelque somme; et il donnera son consentement à rompre le mariage, pourvu que vous lui donniez de l'argent.

ARGANTE.

Et qu'a-t-il demandé (4) ?

SCAPIN.

Oh! d'abord des choses par-dessus les maisons (5).

ARGANTE.

Hé! quoi?

SCAPIN.

Des choses extravagantes.

ARGANTE.

Mais encore.

SCAPIN.

Il ne parlait pas moins que de cinq ou six cents pistoles.

(1) Omnes, quum secundæ res sunt maxume, etc. Vs. 241-246.
(2) Visum est mihi, ut ejus tentarem prius sententiam.
Prendo hominem solum, etc. Vs. 618, sqq.
(3) Liberalis est. Vs. 622.
(4) Perge eloqui. Vs. 640.
(5) A primo homo insanibat; *et totum illud* a vs. 641 ad vs. 644.

ARGANTE.

Cinq ou six cents fièvres quartaines qui le puissent serrer ! Se moque-t-il des gens ?

SCAPIN.

C'est ce que je lui ai dit (1). J'ai rejeté bien loin de pareilles propositions, et je lui ai bien fait entendre que vous n'étiez point une dupe, pour vous demander cinq ou six cents pistoles. Enfin (2), après plusieurs discours, voici où s'est réduit le résultat de notre conférence. Nous voilà au temps, m'a-t-il dit, *etc.*..... et je ne saurais avoir un cheval de service qui soit tant peu raisonnable, à moins de soixante pistoles.

ARGANTE.

Eh bien, pour soixante pistoles, je les donne (3).

SCAPIN.

..... Vingt pistoles encore.

ARGANTE.

C'est beaucoup (4); mais soit, je consens à cela.

.....

SCAPIN.

Il me faut encore, a-t-il dit, *etc.* (5).

ARGANTE.

Oh ! qu'il aille au diable (6) ! c'en est trop, et nous irons devant le juge.

ACTE II, SCÈNE X.

ARGANTE, *à Scapin.*

Je me résous à donner les deux cents pistoles. Allons le trouver, je les ai sur moi (7).

(1) Quod dixi adeo ei. Vs. 644.
(2) Ad pauca ut redeam. Vs. 647.
(3) Age, age; jam ducat. Vs. 661.
(4) Oi ei, Nimium est. Vs. 662, sq.
(5) Tum autem pluscula, etc. Vs. 664.
(6) Vs. 667, sqq.
(7) Opportune adeo argentum, etc. Vs. 678.

ACTE III, SCÈNE VII.

GÉRONTE, *à Argante.*

Le pendard de Scapin, par une fourberie, m'a attrapé cinq cents écus (1).

ARGANTE.

Le même pendard de Scapin; par une fourberie aussi, m'a attrapé deux cents pistoles. Je veux qu'il me fasse raison de la pièce qu'il m'a jouée (2).

GÉRONTE.

Et je prétends faire de lui une vengeance exemplaire.

ACTE III, SCÈNE VIII.

GÉRONTE.

Ah! te voilà, nourrice (3).

NÉRINE, *se jetant aux genoux de Géronte.*

Ah! seigneur Pandolphe, que..... (4).

GÉRONTE.

Appelle-moi Géronte, et ne te sers plus de ce nom (5): les raisons ont cessé, qui m'avaient obligé à le prendre parmi vous à Tarente.... Où est ma fille et sa mère (6)?

NÉRINE.

Votre fille, monsieur, n'est pas loin d'ici; mais, avant que de vous la faire voir, il faut que je vous demande pardon de l'avoir mariée (7), dans l'abandonnement où, faute de vous rencontrer, je me suis trouvée avec elle.

GÉRONTE.

Ma fille mariée!

(1) Hiccine ut a nobis tantum hoc argenti, etc. Vs. 954, sqq.
(2) Tum hunc impuratum poterimus nostro modo Ulcisci. Vs. 961, sq.
(3) Meæ nutricem gnatæ video. Vs. 735.
(4) Estne hic Stilpho? Vs. 739.
(5) Ne me istoc posthac nomine, etc. Vs. 741.
(6) Ubi illæ? Vs. 748.
(7) Ut potui, nuptum virginem locavi. Vs. 751.

NÉRINE.

Oui, monsieur.

GÉRONTE.

Et avec qui?

NÉRINE.

Avec un jeune homme (1) nommé Octave, fils d'un certain seigneur Argante.

GÉRONTE.

O ciel (2)!

ARGANTE.

Quelle rencontre! (3)

(1) Huic adolescenti, Harum qui, etc. Vs. 751.
(2) Antiphonine? Vs. 752.
(3) Quam sæpe temere Eveniunt, quæ, *etc.* V. 756, sq.

TABULA

RERUM QUÆ IN PRIMA PARTE POSTERIORIS HUJUS VOLUMINIS CONTINENTUR.

ADELPHI.

TITULUS ..... Pag. 2
C. Sulpitii Apollinaris Periocha 6
Prologus 7
Actus primus 11

HECYRA.

Titulus 128
C. Sulpitii Apollinaris Periocha 131
Prologus I 133
Prologus II 135
Actus primus 141

PHORMIO.

Titulus 230
C. Sulpitii Apollinaris Periocha 231
Prologus 233
Actus primus 239
Exempla imitationis e comœdia, quam V. C. *Molière* inscripsit: *les Fourberies de Scapin* 353

FINIS PRIMÆ PARTIS HUJUS POSTERIORIS VOLUMINIS.